DE SPECTACULIS THEATRALIBUS DISSERTATIONES DUÆ.

BENEDICTUS XIV.

PONTIFEX OPTIMUS MAXIMUS.

SAtis nobis ſit dicere permitti dumtaxat & tolerari, tametſi ægre, & ad majora vitanda mala ab Eccleſia Bacchanaliorum relaxationes: quemadmodum luſto, validoque ratiocinio concludit celebris, piuſque Theologus Thomas Stapletonius in ſua VIII. oratione contra Bacchanalia tom. 2. operum pag. 556. Diſcrimen præterea magnum eſſe inter ea, quæ præcipiuntur, & quæ tolerantur. *Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur*: verba ſunt S. Auguſtini contra Fauſtum lib. 20. cap. 21. Unde conſequitur in rebus dumtaxat toleratis, locum non eſſe extenſioni, & ut eiſdem uti pro arbitrio valeamus &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 1. Januar. MDCCXLVIII. Pontificatus noſtri anno octavo.

BENEDETTO XIV.

PONTEFICE OTTIMO MASSIMO.

CI contenteremo di dire permetterſi ſemplicemente, o tollerarſi, benchè di mala voglia, e per isfuggire mali maggiori, dalla Chieſa il divertimento Carnevaleſco, come dopo un ben fondato ragionamento conchiude il celebre e pio Teologo Tommaſo Stapletone nella ſua orazione ottava contra Bacchanalia, nel tom. 2. delle ſue opere alla pag. 556. Eſſervi in oltre una bella differenza tra le coſe ſi comandano, e le coſe che ſi tollerano: aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur: *ſono parole di S. Agoſtino contra Fauſtum al lib. 20. cap. 21. Dal che poi deriva non eſſer luogo nelle coſe ſemplicemente tollerate di fare eſtenſione, e di giuocare d'arbitrio.*

Lettera Circolare della Santità di Noſtro Signore Papa BENEDETTO XIV. agli Arciveſcovi, e Veſcovi dello Stato Temporale Pontificio.

DE SPECTACULIS
THEATRALIBUS
Chriſtiano cuique tum Laico, tum Clerico vetitis

DISSERTATIONES DUÆ.

ACCEDIT

DISSERTATIO TERTIA

DE PRESBYTERIS PERSONATIS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRÆDICATORUM.

EDITIO TERTIA,

Cui S. CAROLI BORROMÆI Opuſculum de choreis & ſpectaculis &c. ejuſdemque ſelectæ ſententiæ huc ſpectantes adjectæ ſunt.

ROMÆ,

PROSTANT VENETIIS, MDCCLXX.

APUD SIMONEM OCCHI.

PRÆSIDUM FACULTATE.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

D O M I N O

D. ANDREÆ MAJORAL ARCHIEPISCOPO VALENTINO

F. DANIEL CONCINA ORD. PRÆD.

F E L I C I T A T E M.

QUod mihi Italo terra, marique longe diſſito in mentem venerit, opus iſtud tuo, MAJORAL ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, nomine, quod dignitatis, & gloriæ plenum eſt, honeſtare, non aliud ſane in cauſſa fuit, quam inſignium operum Tuorum, probitatis, doctrinæ, & integritatis fama, quæ, cum intra vaſtiſſima Hiſpaniarum Regna contineri haud potuerit, per univerſam Europam uſquequaque reſonans ad aures quoque meas percrebuit, atque ita animum penetravit, ut TIBI tamquam veterum Eccleſiæ Patrum imagini pro tenuitate mea plaudere, & aliquod juſtæ, piæque exul-

tatio-

tationis perhibere argumentum coactus fuerim. Nec TU pro ea, qua præditus modeſtia es, commoveris: nec concipere alii aſſentationis ſuſpicionem jure valent, propterea quod priſcorum Eccleſiæ Catholicæ Patrum, & præſertim Chryſoſtomi ſtrenuus æmulator a me prædiceris; ſi TE heroica eorumdem geſta in tui Archiepiſcopatus regimine mirifice exprimere invictis rationum momentis demonſtravero: ſed contra ſuſpiciant infinitam Dei providentiam oportet, quæ in hac ſæculorum calamitate maxima talem Eccleſiæ Valentinæ præfecerit Archiepiſcopum, qualem prima Chriſtianæ Religionis florentiſſima ætas exoptaſſet.

Ut porro hoc, quod propoſitum a me eſt, ſermone exequar, haudquaquam commemorabo uberrimam illam dicendi facundiam, qua cum Evangelium Chriſti e Sacra Cathedra interpretaris, auditorum appetitiones coerces, inflectis animos, & corda ad implenda Divina mandata inflammas, vireſque erigis, atque confirmas. Non recenſebo ſive ſapientiam ſingularem, qua Academiam Complutenſem numeroſa auditorum frequentia illuſtraſti: ſive effuſam in dotandis Virginibus, Viduiſque ſuccurrendis liberalitatem; & in ſublevanda egenorum penuria caritatem ferventiſſimam. Labores vero Tuos graviſſimos, & Epiſcopalem ſollicitudinem in luſtranda Valentina Diœceſi, ſatis erecta Altaria, & Templa, aut inſtaurata, aut novis ornamentis, & nitida ſupellectili illuſtrata, etiam me ſilente, teſtantur, ac ſeræ poſteritati commendant. Quid ergo ediſſeram, ut ſuſceptam provinciam exornem? Unum in medium promam, quod omnium virtutum ſpecimen perſtringit; præſtantiſſimum, atque a ſæculis inauditum conſilium, quo amplum perilluſtris Valentinæ Civitatis Scenarum Theatrum arti comicæ exercendæ deſtinatum dirui, ſoloque æquari incredibili ſane fortitudine animi conatus es, atque opere perfeciſti. Hoc eſt grande, præclariſſimumque opus, quod TE MAJORAL ILLUSTRISSIME, priſcorum Eccleſiæ Patrum imitatorem perfectiſſimum mirum in modum repræſentat. Omnes quippe ad unum cujuſcumque ſæculi Sanctiſſimi Patres non ſecus ſpectacula theatralia inſectati ſunt, ac vitiorum, ſcelerumque omnium gymnaſium. His porro omnibus præſtitit, excelluitque magnus ille, ac celeberrimus Chryſoſtomus, de quo hæc Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ parens Card. BARONIUS ſcribit: „ At quid tandem effecit prædicans verbum op-„ portune, importune? Illud plane magni momenti opus, ut ſpe-„ ctaculum illud obſcænum MAJUMA dictum penitus aboleretur.“ (a) Neque hic invicti Patriarchæ conſtitit animus, ſed ſollicitare Imperatorem Arcadium, ut theatra omnia de medio tolleret: urgere populum, ut a theatris abſtineret: Hiſtrionum pravitatem manifeſtare, ut horrorem ingereret, vehementi ſtudio perſecutus eſt, ſicut ipſe teſtatur: Quid faciam? Ecce quotidie diſrumpor, ut a theatris recedatis (b).

Voto-

(*a*) Ad annum 399. (*b*) Hom. 44. in Act. Apoſt.

Votorum tamen ille ſuorum compos evadere minime potuit. TU vero, Archipræſul Præſtantiſſime, ipſo Chryſoſtomo, ad hoc quod attinet, felicior, & fortunatior, non modo ab inſigni Tua Civitate theatra penitus exterminaſti, verum ex ipſis etiam profani ædificii ruderibus, & eodem in ſolo peramplam reædificari domum ſumptu maximo effeciſti, pauperum, infirmorumque habitationi conſecratam. Quid in tam heroicis molitionibus ſuſcipiendum magis, admirandumque? Suſcepti conſilii rationem, magnitudinemque illi extollent. Alii maximam auri, & argenti vim in diruendis, excitandiſque fabricis impenſam. Et revera quis iverit inficias, grandia hæc eſſe, atque præclara? Verum non adeo inſueta, & peregrina, ut non alibi quoque occurrant obvia. Quin ad ejuſmodi aggredienda frequenter & mundi plauſus, & propriæ gloriæ amplificandæ inſita ſitis, & populorum acclamationes alliciunt non raro, & impellunt. Quid igitur hic inſolitum, quid heroicum, quid inauditum? Invictum profecto illud, impavidumque pectus, quo graviſſima, & difficillima, ne talia auderes, agereſque, obſtantia impedimenta, & oppugnationum impetus deviciſti. Prævalebat, latiuſque manabat oppoſita corruptela, & in hominum animos ſummopere dominabatur. Obſiſtebant conſiliis Tuis cum ſcenicæ voluptatis aſſeclæ, & rei politicæ curatores, qui ex theatrorum frequentia ditari civitates, augeri commercia, remque pecuniariam amplificari imperitiſſime arbitrantur: tum leviculi ſcientiæ mundanæ laureati ſophiſtæ dictitantes, prudentia illa opus eſſe, quæ plura diſſimulat, toleratque mala, ut graviora devitet. Omnes iſti turmatim, & veluti facto impetu adverſum TE qua clanculum muſſitabant, qua elata voce inclamabant: Deceſſores Tui probi, ornatique viri conſiſtere Theatra, Tragœdias, Comœdiaſque repræſentari, Mimos, & Mimas artem exercere ſuam permiſerunt, & tolerarunt. Quid? TU ne iiſdem ſanctior? TU prudentior? Numquid TU Elias, numquid TU Petrus, numquid Tu juſtus de Cælo veniſti? Conatus iſti Tui, auſuſque ex imprudenti animo, præcipiti deliberatione, & phantaſtica pietate proficiſcuntur. Quid TU inter tanta rerum diſcrimina, & adverſantes undique mundanorum hominum inſidias, clamoreſque? Divino quodam perfuſus afflatu, & univerſæ terrenæ rei, atque pereuntis gloriæ proculcator acerrimus, ſuperatis obſtaculis, atque proſtratis hoſtibus, ſtrenue opus Dei aggreſſus, incredibili fortitudine executus es, & ſplendidiſſimis illuſtraſti ornamentis: atque ut obloquentium ora penitus obſtrueres, illo uſus reſponſo es, quod in ſimili omnino eventu Sanctiſſimus Romanæ Eccleſiæ Pontifex GELACIUS repoſuit (a)*: Non quid Deceſſores mei egerint,*

(*a*) „ Sed dicis „„ etiam Chriſtianis temporibus hæc fuiſſe. Numquidnam quia „ ſub primis Præſulibus Chriſtianæ Religionis ablata non ſunt, ideo ſub eorum „ Succeſſoribus tolli minime debuerunt? Me pronuntiare convenit, Chriſtianis iſta per-

rint, non quid ipſi tolerarint; ſed quid præſtare ipſe debeam, ſpectandum mihi ſerio eſt, altiuſque commeditandum; quandoquidem non illorum, ſed MEI regiminis, commiſſique ſollicitudini meæ Gregis rationem, & quidem ſeveriſſimam, ſupremo, tremendoque Judici ſum redditurus; quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. (a)

Hæc vero inſolita, hæc heroica, hæc inaudita, quæ TE, inviċtiſſime MAJORAL, Chryſoſtomi, Gelaſii, aliorumque priſcorum Eccleſiæ Patrum redivivam imaginem depingunt, eoque eminentius TE efferunt, quo hoc funeſtiſſimo tempore rariora eſſe videmus. Ut autem luculentius pateat, quam ſint excelſa, quam prope divina, quæ brevi hactenus ſum oratione complexus, illud eſt perpendendum, TE apprime intellexiſſe, cum theatrum demolitus es, Veneris ſacrarium, Dæmonum receptacula, impudicitiæ conſiſtorium, profligatæ verecundiæ lupanar, turpitudinis & obſcœnitatis magiſterium, libidinis gymnaſium exterminaſſe, ut ſacri cujuſcumque ſæculi Scriptores uno ore teſtantur. Callebas ſiquidem non in furta, non in adulteria, non in perjuria, non in fornicationes, non in blaſphemias tot ſermones, tot homilias, tot libros, quot in theatralia ſpectacula, & infamem Hiſtrionum artem ediderunt Sanctiſſimi Patres. Quorſum tandem iſta? Quod cetera omnia privata crimina unam, aut alteram virtutem lædunt, atque in ipſo delinquente gradum ſiſtunt, ut iidem ipſi Patres, & imprimis Chryſoſtomus ajunt. At vero ſpectacula theatralia caſtra Diaboli, Mundi, & Carnis ſunt, ubi Mimi, & Mimæ, accepto ſtipendio, bellum Generale univerſo Chriſti Evangelio intentant: virtutes omnes, Modeſtiam, Fortitudinem, Verecundiam, Humilitatem, Pudorem, Caſtitatem adoriuntur, & labefactant, artemque eaſdem corrumpendi vaferrime edocent, & perſuadent. Contra oppoſita vitia, luxum, faſtum, ſuperbiam, ambitionem, procacitatem, lenocinium, fraudes, libidinem miris laudibus extollunt, & ad eadem amplectenda ſpectatorum animos illiciunt, urgent, & vias, quibus illuc pervenire ſpectatores queant, totis viribus patefaciunt. Atque ut in his certaminibus victoriam aſſequantur, non arti, non induſtriæ, non labori, non præſtigiis, doliſque parcunt. TU autem theatri demolitione, & ad pauperum ſolamen erecta domo, patrandæ,

„ perniciosa, & funeſta indubitanter exiſtere; quid me incuſas], ſi quod profeſſo
„ nomini inimicum eſt, a conſortibus profeſſionis Chriſtianæ pronuncio ſubmo-
„ vendum? Ego certe abſolvam conſcientiam meam; ipſi videant, qui juſtis
„ admonitionibus obedire neglexerint . . . Præterea ſi de meorum perſona præſcri-
„ bendum exiſtimas Prædeceſſorum, unuſquiſque noſtrorum adminiſtrationis ſuæ
„ redditurus eſt rationem, ſicut etiam in publicis dignitatibus fieri pervidetis. Ego
„ negligentiam accuſare non audeo Prædeceſſorum, cum magis credam, fortaſſe
„ tentaſſe eos, ut hæc pravitas tolleretur, quaſdam extitiſſe cauſas, & contrarias
„ voluntates, quæ eorum intentionibus præpedirent, ſicut ne nunc quidem vos iſtos
„ abſiſtere inanis conatibus velle perpenditis. (Baron. ad ann. 496. n. 28.)

(a) Sapientiæ cap. 6.

dæ, docendæque nequitiæ artem ſuſtuliſti, & excolendarum virtutum, & Sanctitatis templum reſeraſti.

Magna hæc omnia ſunt, atque præſtantia, at prodeſſe diu non poſſunt, niſi doctrinarum, opinionumque portenta, quæ ſeducentis benignitatis larva tecta, & ſcenicam voluptatem, & chorearum illecebras, & ludorum corruptelam, & uſurarum immanitatem, & promiſcuam hominum, & matronarum converſationem magnopere fovent, & Sacramentoruw frequentia alunt, de medio auferantur. Olim Fidei capita: Pater major me eſt (a): Hoc eſt Corpus Meum (b) *in diſcrimen ab Heterodoxis adducta fuerunt. Ætate autem noſtra intra Eccleſiæ ſinum a nonnnllis Catholicis benignioris Ethices aſſertoribus ſanctiora morum præcepta*: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ (c): Intrate per anguſtam portam; quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam (d): Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus (e): Regnum Cælorum vim patitur (f): Vigilate omni tempore orantes (g): Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt (h): Mutuum date nihil inde ſperantes (i): Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio &c. (k): Ne reſpicias mulierem multivolam; cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam . . . . averte faciem tuam a muliere compta (l): Si oculus tuus . . . . ſi manus tua ſcandalizat te, erue, abſcinde, & projice abs re (m). *Hæc, inquam, potiſſima Chriſtianæ vitæ mandata inanium diſtinctiuncularum involucro, & commentis ineptiſſimis deludunt, & profligant. Perhorreſcunt Catholici omnes prioris generis hæreſes, quæ vel per cuniculos Fidei myſteria lædunt; plures autem nihili hæreſes pendunt, quæ divinis morum legibus inſidias ſtruunt, cladeſque inferunt extremas: quaſi vero malæ hæ quoque, ac pernicioſæ non eſſent, cum omnium ſit conſtans, firmaque ſententia, hæreſes adverſus credenda dogmata a morum hæreſibus profectas ſemper fuiſſe. Unde autem tantæ peſtis intimis adfixæ viſceribus repetendum remedium? Ab Epiſcoporum, quos ſpeculatores, & moderatores Eccleſiæ ſuæ Deus conſtituit, ſtudio, vigilantia, & fortitudine. In eliminanda arte comica antiquorum Patrum veſtigiis inſtitiſti. Ut vero corruptam Ethicem extermines, non priſci Patres modo, & exteri, ſed recentes quoque Patrii, & domeſtici Epiſcopi imitandi præſto adſunt. Iſtorum autem una vox eſt, Chriſtianæ ſanctitatis redintegrationem ab illis cum primis pendere, qui pro Tribunali ſedentes ſolvendi, ligandique poteſtatem habent. Unum Tibi præ ceteris ob oculos pono S. Thomam de Villanova deceſſorem Tuum, qui ex iſtac Valentina cathedra ſanctitatis, & doctrinæ ſplendore ab ſe*

b *deco-*

(*a*) Joan.14. (*b*) Matt. 26. (*c*) Matt. 3. (*d*) Matt. 7. (*e*) Matt. 10. (*f*) Matt. 11. (*g*) Luc. 21. (*h*) 1. Corinth. 7. (*i*) Luc. 6. (*k*) Joel. 2. (*l*) Eccl. 9. (*m*) Matt. 5.

decorata hanc veram æque, ac tremendam pronunciavit ſententiam: Quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi Confeſſariorum, & Paſtorum blandiens adulatio, deliniens, demulcenſque aſſentatio? (a) *Innumeros alios præclariſſimæ Gentis Tuæ Hiſpanæ, quam ſi nulli Europæ Nationi ſecundam, ſive ingeniorum ſublimitas, ſive morum ſanctitas ſpectetur, dicam, minus æquo forte dixero, celeberrimos Paſtores, Theologoſque habes, quos Tuis ſacræ pœnitentiæ Miniſtris ſequendos præſcribas. Inter Paſtores refulgent Archiepiſcopi illi, & Epiſcopi novem, qui tercentenas, & amplius falſas, erroneaſque propoſitiones ex mollioris Caſuiſtæ operibus decerptas Romanæ Sedi proſcribendas obtulere. Theologos vero inter eminent Ribera, Mariana, Elizalde, Gonzales, Camargo, Munieſſa, omnes præſtantiſſimi Jeſuitæ, qui, ut Evangelicam doctrinam a corrupta Ethice vindicarent, non leves adverſitatum fluctus paſſi ſunt. Horum ego doctrina, & conſtantia me profeciſſe fateor tum in profligando novo opinandi modo, tum in* Theologia Chriſtiana *exornanda, quam diligentiſſimi cenſores ad ſeveram longo temporis intervallo exegere criſim, & vel ipſis apicibus lente, faſtidioſeque cribratis, ne unam quidem, aut æquo rigidiorem, aut plus juſto laxiorem, Divino afflante numine, offenderunt ſententiam. Idque exploratum, compertumque patet ex declaratione a Sapientiſſimo PONTIFICE BENEDICTO XIV. dictata, & in ultimi Tomi fronte præmiſſa, qua non minus, ſaneque ſincerius, quam alii, glorior, atque exulto. Duos alios Hiſpanos in tranſcurſu ſatis ſit indicare. Alterum, Eminentiſſimum Cardinalem DE AGUIRRE inclyti Benedictini Ordinis, Sacri Collegii, Hiſpanæque Gentis decus, & ornamentum, qui in labefactando, profligandoque novo corruptæ ethices ſyſtemate nemini palmam cedit, ut conſtare ex ſubjectis verbis valet.* (b) *Alterum, Illuſtriſſimum FRANCISCUM PEREZ DE PRADO, & CUESTA Epiſcopum Terulenſem, & generalem Hiſpaniarum Fidei Quæſitorem, morum & doctrinæ integritate inſignem, qui in ſuo doctiſſimo Opere inſcripto: DEFENSIO CANONICA ab ipſo Summo Pontifice BENEDICTO XIV. multis præconiis commendato, validiſſimis argumentis cum ab auctoritate, tum a ratione accerſitis Theatralem corruptelam profligavit* (c). *Quid, quod non Theologi modo, verum Civitates integræ etiam Hiſpanæ, præſertim Cordubenſis, Pampilonenſis, aliæque ſanioris doctrinæ monumenta perhibuere, cum aut theatra penitus diruerunt, aut Comœdiarum aſpectum ſibi, lege ſancita, interdixere. Quod in leve obſequii mei erga Hiſ-*

(*a*) Fer. 6. poſt 4. Dom. Quadrag.

(*b*) „ Inſuper modo e prælo prodibit liber R. P. Generalis Tyrſi, quem „ fere omnes avide expectant, iis exceptis, quibus monſtrum illud Probabiliſmi „ placet, & jam diu alte inſedit potius cordi quam menti. (Inter opera poſthu„ ma P. Joan. Mabillon, & P. Theod. Ruinart tom. 1. pag. 427.)

(*c*) Defenſa Canonica De la Poteſtad Decretoria &c. lege a pag. 535

Hiſpanos Theologos, Præſuleſque argumentum, univerſæque Hiſpanæ Gentis ſplendorem, & laudem dictum eſto.

Hæc aliquantulum animos recreant, eriguntque. Ceterum tali ſæculo vivimus, in quo eo calamitatum Chriſtianæ Religionis res devenit, ut nec mala jam pati, nec remedia valeamus. Ex corruptæ doctrinæ, morumque contagione erupit tandem non ſchiſma, non hæreſis aliqua, ut olim, ſed ipſum impietatis monſtrum, quod erecta fronte veluti ovans, ac triumphans univerſam aggreditur religionem tanta audacia, & tanta fidei Catholicæ ſtrage, ut habere locum videatur formidandum, tremendumque Chriſti Vaticinium: Verumtamen Filius Hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? (a) *Et ad ultimum omnium malorum cumulum illud accedit, quod inter ipſas impietatis flammas a quatuor Templi Domini angulis ardentes, animaſque devorantes, emittere vocis ſonitum, & libere inclamare non liceat. Si adverſus populorum ſcelera invehimur, nemo reclamat: at ſi molliorem medendi artem, quæ morbos linit, & fovet, carpimus; ſi, ubi ſit morbi ſedes, & vulnerum radix, pateſiat; ſi Auctores, qui divinæ medicinæ applicandæ rationem pervertunt, manifeſtentur; ſi clamamus omnium malorum, quibus obruimur, fontem eſſe Evangelicæ morum doctrinæ corruptionem; ſi denique immaculatiſſimam Chriſtianam Ethicem, qua Chriſtus Dominus homines Sanctos effecit, promovere, ut oportet, ſatagimus, continuo invidentia, & odio percitos, ſuperbiæ, & ambitionis æſtu exagitatos nos traducunt viri quidam benigni, teterrimamque Bajaniſmi, Janſeniſmi, & Rigoriſmi notam inurere nobis pro religione habent, ac ſi ætate noſtra nimiæ ſeveritatis, non peſtiferæ mollitiei extremum ſæviret in genus humanum, Populique jejuniorum, pœnitentiarum, ciliciorum, vigiliarumque nimia auſteritate preſſi, & excarnificati languerent.*

Hæc omnia idcirco obiter ob oculos revocavi, ut TU, qui in Domo Dei Judex, & Defenſor ſedes inter tot procellarum diſcrimina cæleſti armatura indutus murum æneum, & adamantinum adverſus eos, qui Sacrum Depoſitum Vigilantiæ Tuæ commiſſum arrodere, legeſque Sanctiſſimas blandiloquentia laxare, & pernicioſa benignitate ſubvertere haudquaquam prætermittunt, ſtrenue TE opponas, atque ad majora iis, quæ jam impavide præſtitiſti, audenda animum erigas, ſuccendaſque. Si Majores noſtri viri fortiſſimi, ut credenda dogmata in furentium Ethnicorum conſpectu propugnarent, effundere ſanguinem, & immaniſſimam perferre lanienam non reformidarunt: adeone pavidi, imbecilleſque futuri nos erimus, ut vel ob timorem omittendæ, vel ob acquirendæ fugacis gloriolæ ſpem ſanæ agendorum doctrinæ apertam, validamque defenſionem viliſſime derelinquamus? Oh Fides, Fides! ubi es Fides? *Clamat Auguſtinus. Perge porro*

b 2 TU,

(a) Luc. cap. 8.

TU, qui tot Chriſtianæ fortitudinis argumenta jam perhibuiſti. Et quoniam ab invecta Chriſtiana Fide nulla in florentiſſima Hiſpaniarum Regna hæreſis inferre pedem (quod inclytæ Gentis Tuæ privilegium eſt ſane ſplendidiſſimum) hactenus potuit; ne in poſterum id eveniat, ſerio, vigilanterque more tuo ſatagito. Hoc autem perficies, ſi intaminata moralis Evangelicæ ſanctitas, & adminiſtrandæ ſacramentalis pœnitentiæ diſciplina a Sanctis Eccleſiæ Patribus ſervata, integra conſiſtat, floreatque.

Reliquum nunc eſt, ANDREA MAJORAL ARCHIPRÆSUL AMPLISSIME, ut opus iſtud, quod non tam Nomini Tuo, quam Tuæ magnanimitati, vigilantiæ, & fortitudini prope divinæ inſcribo, æqui bonique facias. Prælo idem ſubjeci, hortante BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo, Optimoque, & Sanioris doctrinæ aſſertore, & vindice præclariſſimo. Quare nullus dubito, quin hoc præſertim ex capite tamquam graviſſimum munus, & obſequii erga TE mei argumentum ſis pro Tua humanitate illud ſuſcepturus. Doctrina in eodem expoſita, niſi me omnia fallunt, Evangelica eſt, atque adeo cum ſit inimica carni, & ſanguini, mundanorum hominum fremitus, cenſuras, & convicia in ſe concitabit. Jure igitur illam, non me, qui cum nihil ſim, nihil pertimeſco (ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum, ſi inſurgat in me prælium, in hoc ego ſperabo.) *Tuo validiſſimo Patrocinio commendo, atque invictæ defenſioni Tuæ demiſſiſſime ſubmitto. Vale.*

Timens

TImens avis inanem ſonum cadit in retia: ſic homines timentes inſultatorum verba vana, & inania, & erubeſcentes convitiis ſuperfluis cadunt in laqueos venantium, & captivantur a Diabolo .... Sunt multi male viventes Chriſtiani: inter quos qui voluerit bene vivere, & inter ebrios ſobrius eſſe, & inter fornicarios caſtus eſſe .... Et inter Spectatores NUGACIUM THEATRORUM noluerit ire niſi ad Eccleſiam, patitur verba aſpera: & dicunt Magnus tu, juſtus: tu es Elias, tu es Petrus, de cælo veniſti. Inſultant: quocumque ſe verterit, audit hinc, atque inde verbum aſperum. Quod ſi timet, & recedit a via Chriſti, cadit in laqueos venantium .... Quando audit verba aſpera, unde ſibi habet facere ſolatium, ut non curet verba aſpera, nec recedat a via, & intret per januam? Dicat. Qualia verba audio, ſervus peccator? Dominus meus audivit: *Dæmonium habes* .... Non opus erat ut Dominus hoc audiret, ſed te monuit adverſus verba aſpera, ne incidas in laqueos venantium.

S. AUGUSTINUS Serm. 1. *in Pſal. XC.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

SPectaculorum abuſus, quo nihil Evangelicæ Sanctitati perniciosius, olim in quibuſdam dumtaxat primoribus Europæ Civitatibus permiſſus ſerpebat: at non longo temporis intervallo veluti dira peſtis, adeo latas egit, amplificavitque radices, ut vix aliqua jam, ſaltem in Italia, Civitacula ſit, quæ Theatra erecta non habeat, ceu collegia ad erudiendam in rei amatoriæ arte juventutem, & veluti nundinarum Emptoria, quo undique populi convenientes, marſupia evacuent ſua, augeantque Incolarum divitias. Primum eventu non caruit, ſed præter vota etiam ſucceſſit. Nam juvenum, quin & provectorum mores jam ad extremum effeminati ſunt, & diſſoluti. Alterum adverſa fortuna cecidit: ſiquidem divitiarum, redituumque augendorum loco, penuriam, & pauperiem Comœdorum aureæ nimium conductiones invexere: Idque ſolum tot inter mala, boni evenit, ut præ extrema inopia peragi amplius alicubi ſpectacula nequeant. Silent enim vel ipſo bacchanaliorum tempore Theatra in non paucis Civitatibus, & ampla Muſarum, Scenarumque templa, aranearum, & ſcorpionum facta receptacula ſunt. Mirum certe in modum plures in Civitates quadrat, quæ Salvianus ſcribit *lib. 6. de Provid.* inquiens: *Conſiderandum ergo utrumque eſt, ideſt, quid ſit quod adhuc loca ipſa, ac diverſoria ludricrorum ſint, ludrica autem eſſe ceſſaverint: loca enim, & habitacula turpitudinum idcirco adhuc ſunt, quia illic impura omnia prius acta ſunt: nunc autem ludrica ipſa ideo non aguntur, quia agi jam præ miſeria temporis, atque egeſtate non poſſunt. Et ideo, quod prius actum eſt, vitioſitatis fuit, quod nunc agitur, neceſſitatis... Quod non ubique, quæ acta ſunt, agantur, miſeriæ eſt beneficium, non diſciplinæ*. Sed o tempora! o mores! o Portenta, & monſtra, quæ Salvianus non vidit, nos cogimur videre. Spectacula, quæ in publicis dumtaxat Civitatum Theatris olim, nunc vel ipſis in Cœnobiis quibuſdam peraguntur. Vulgi quippe opinionibus in errorem vel ipſi Sapientes rapiuntur. Ipſæ perſonæ Sacris addictæ, Clerici, & Presbyteri, & etiam Clauſtralium aliqui non ſolum Theatra publica adire, Comœdiis intereſſe ſibi minime religioni vertunt: ſed illorum ipſorum non pauci comœdos agunt, & ſpectacula in propriis Monaſteriis referunt. Hac namque via Cœnobitæ iſti comœdiarum repræſentatione, levi incommodo, pauciſque expenſis, oblectantur omnes. Pravam corruptelam lugentes Viri Dei ſapientia, & probitate præſtantes, cum de eadem ſermo occurreret, ſuaſuerunt, & calcaria addidere, ut diſſertationem contra eamdem adornarem. Abuſus occultus ſi fuiſſet, eum ſilentio litaſſem: at publicus quibuſdam in locis cum ſit, ſapientum conſiliis auſcultandum duxi. Initio decreveram paucis rem abſolvere, eaque ſolummodo in medium afferre, quæ directe cœnobitica ſpectacula reſpiciunt: Sed

ſerio

ſerio re expenſa, altius controverſiam repetere coactus fui, & in duas diſſertationes argumentum tribuere.

II. Non me fugit, quoſdam dicturos vanum, atque inutilem eſſe laborem noſtrum. Quoniam Comœdiarum, Theatrorumque oblectamenta nec Civiles, nec Canonicæ leges, nec Patrum, nec Theologorum, nec Concionatorum validæ, vehementeſque declamationes auferre de Chriſtianorum medio potuerunt unquam. Quid ergo aerem verberamus, operamque ludimus, Theatra & Spectacula damnantes? Aut enim Chriſtiani probi ſunt, & bene morati: Et iſti tuo libro non indigent. Aut Chriſtiani mundani ſunt, & Theatris addicti, & his liber iſte ſuperfluus omnino eſt. Qui ſic ratiocinantur, ignorant, Eccleſiam agrum eſſe tritico, atque zizaniis ſatum; ignorant Servatoris noſtri mandatum: *Sinite utraque creſcere, ne ſimul eradicetis, & triticum. Matth.* 13. *verſ.* 29. Ideone adverſus ſcelera, criminumque pericula inclamandum nobis non eſt, quod ſcelera, & flagitia penitus eliminari nequeant? Silere ergo Chriſtus, ſilere Apoſtoli, ſilere ſancti viri omnes debuiſſent: quod quam ſit abſurdum, nemo eſt, qui non videat. Fuerunt, atque impoſterum, quamdiu durabit hominis natura originalis culpæ labe inquinata, erunt peccata. Proptereane vanæ, irritæque adhortationes noſtræ, quibus electos Dei homines, peccatoreſque a culpis, atque a pereundi periculo ſubducere nitimur? Quin illud ſcire nos convenit, ob electorum ſalutem, ſuæque divinæ Majeſtatis gloriam permittere Deum delicta; pluraque Eccleſiam tolerare, ut majora declinet incommoda. Multa in hanc rem Auguſtinus ſcribit *Epiſt.* 43. ad Glorium, & Eleuſium, olim *Epiſt.* 161. *Tolerat Aaron multitudinem Idolum exigentem, & fabricantem, & adorantem. Tolerat Moyſes adverſus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia Sanctum nomen ejus. Tolerat David Saulem perſequentem, ſceleratis moribus Cæleſtia deſerentem, magicis artibus inferna quærentem, occiſum vindicat, Chriſtum etiam Domini propter Sacramentum venerandæ unctionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, perverſoſque filios ſuos, quos populus quia tolerare noluit, divina veritate accuſatus, divina ſeveritate correptus eſt. Tolerat denique ipſum populum ſuperbum, contemptorem Dei. Tolerat Eſaias, in quos tam multa crimina jaculatur . . . . . Tolerat Hieremias, a quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Phariſæos, & Scribas . . . Tolerat ipſe Dominus Judam, Diabolum, furem, & venditorem ſuum.*

III. Tolerat itaque Eccleſia vitia, abuſus, illecebras, & oblectamenta, quæ improbat, & execratur. Non ob id tamen eximit Miniſtros ſuos ab onere inclamandi, invehendique contra mala, quæ invita, & deflens permittit, & patitur. Ut enim Patres omnes, & potiſſimum Chryſoſtomus, docent, Theologi, divinique verbi miniſtri partes officii ſui implere debent: fructus vero, ac fauſtus Miniſterii eventus Deo ſoli relinquendus eſt, ut Deus ipſe perſpicue Ezech. cap. 33. jubet: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis*

ſuis

ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua: ipſe in iniquitate ſua morietur; porro tu animam tuam liberaſti. A medio & amplius ſæculo, nullus in Italia, quatenus mihi conſtat, ſcriptor prodiit; qui ex inſtituto adverſus Theatrorum abuſum calamum acuerit. Contra ſtrenui Comœdiarum, & Tragœdiarum propugnatores plures in iſtarum commendationem evulgarunt libellos. Quamobrem non mirum; ſi perniocioſiſſima corruptela adeo altas egerit radices, lateque manaverit, eamque honeſtatis, & innocentis ſolatii larvam induerit, ut ipſi Deo ſacrati viri excandeſcant, dum condemnari hodierna Theatra inaudiunt. Verum muſſitent, obmurmurent, garriant illi: interim ego divinæ Scripturæ, & Ss. Patrum veſtigiis inſiſtens, Monitum ſaluberrimum S. Caroli Borromæi executioni demandare conſtitui. *Spectacula* (inquit S. Archiepiſcopus Act. 2. p. in Syn. Diœ. an. 1572.) *ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, Concionator perpetuo deteſtabitur, execrabitur, demonſtrabit incommoda, publicaſque ærumnas inde in populum Chriſtianum dimanare. In quam ſententiam populum confirmabit argumentis, quæ graviſſimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt, in eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.* En perpetuam Eccleſiæ traditionem adverſus Theatricas voluptates. Quid ad hæc reponent hodierni Critici, quos garrire non pudet, fruſtra allegari antiquos Patres contra ætatis noſtræ Theatra? quoniam Sancti illi Patres deteſtati ſunt Theatra obſcœna, & turpia, quæ ſuo tempore obtinebant, ſecus quæ hodie repræſentantur. Ita ne vero? Perperam ergo S. Carolus, perperam cæteri omnes ultimæ ætatis ſanctiſſimi viri in medium adducunt Tertullianum, Cyprianum, Chryſoſtomum, Salvianum, ut evincant, Theatra noſtra interdicta & noxia Chriſtianis eſſe.

IV. Admirantur, & obſtupeſcunt viri Dei, catholicam Religionem tempeſtate noſtra in dies decreſcere, & intra anguſtiores coerceri fines, contra impietatem audaciſſime vultum erigere, liberius procedere, ſuaque in dies amplificare confinia. Verum ceſſat admirationis ratio, ſi principia, unde hæc manant, conſideremus. Duobus vertitur cardinibus Religio Chriſtiana, credendis nempe, agendiſque, quæ tam intimo ſocientur fœdere, ut disjuncta vivere longo temporis intervallo difficile queant. Sublimem Trinitatis, Incarnationis, Dominicæ paſſionis, aliorumque dogmatum altitudinem æmulatur immaculata Evangelicæ Moralis ſanctitas. Refulget in mente tanquam in ſede ſua articulorum Fides: at lactatur, adoleſcit, & nutritur pio voluntatis affectu, morumque integritate. Iſtiuſmodi amoris caſtitas adeo pura, & intaminata eſt, ut vel ipſas deliberatas cogitationes, nedum delectationes execretur. Hominum vero concupiſcentia ad generis humani propagationem a Deo inſita ob peccatum originale adeo perturbata, & affrænata evaſit, ut rationis excuſſo fræno, ad voluptatem & libidinem vehementi abripiatur impetu. Quamobrem lex Chriſti, quæ caſtitatem aut virginalem, aut conjugalem illibatam imperat cuſtodiendam, duo adhibenda præſidia jubet. Alterum ſpectat jejunia, preces, eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera,

qui-

quibus intus indomitæ apetitionis vires franguntur, & cohibentur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu*, inquit Deus per Joelem *cap.* 3. & Paulus ſubdit: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. Tandem Chriſtus ipſe: *Qui vult*, inquit, *venire poſt me, abneget ſemeptiſum, & tollat crucem ſuam quotidie*. Alterum extrinſecus luxuriæ incitamenta removet, pompas nempe, luxum, ſpectacula, theatra, comœdias, familiaremque cum mulieribus ſocietatem: *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit. Speciem mulieris multi admirati reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere ne ſedeas omnino*, inquit Eccleſiaſticus c. 9. & rurſus c. 42. *In medio mulierum noli commorari; de veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri. Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens*, nempe blanditiis demulcens. Concluditque *c.* 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Hæc documenta paſſim obvia ſunt in Scripturis ſanctis.

V. Mente nunc a præjudiciis vacua expendat quiſque plurium Catholicorum conſuetudinem, & mores. Continuo ac editi in lucem ſunt Chriſtianorum plures, profeſſionem in baptiſmate emiſſam renuntiandi Satanæ, ejuſque pompis, violare, atque ipſa virtutum ſemina extinguere perdiſcunt. Quam morum peſtem vel ipſe ethnicus Cicero lib. 3. Tuſcul. deplorabat: *Quod ſi tales nos natura genuiſſet, ut eam ipſam intueri, & perſpicere, eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus, haud erat ſane, quod quiſquam rationem, ac doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura promoveret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Quum vero parentibus redditi, ideſt magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribns, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt etiam poetæ, qui cum magnam ſpeciem doctrinæ, ſapientiæque præ ſe tulerint, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Quum vero accedit eodem, quaſi maximus quidam magiſter populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum varietate, a naturaque deſciſcimus, ut nobis optimam naturam invidiſſe videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil præſtantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt. Ad quam fertur optimus quiſque: veramque illam honeſtatem expetens, quam una natura maxime inquirit, in ſumma inanitate verſatur, conſectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ . . . . Qua cecitate homines, cum quædam etiam præclara cuperent, neſcirent nec ubi, nec qualia eſſent, funditus alii everterunt ſuas civitas, alii ipſi occiderunt. Atque hi quidem optima petentes non tam voluntate, quam curſus errore falluntur*.

VI. Si vel ipſe Tullius tam pravas deteſtatur corruptelas in cultoribus dæmonum, quanto magis horrenda hæc erunt in Catholicæ Religionis profeſſione? Nonne pueri ipſi, puellæque Catholicæ, antequam diſcernere bonum inter, & malum ſciant, luxus, ambitionis, faſtus, & mundanæ vanitatis imaginibus replentur? Nonne ipſorum parentum, domeſticorum, ſociorumque pompis, conviviis, ceteriſque illecebris ad ea, quæ mundi ſunt, inſtruuntur, & roborantur? Hoc venefico educationis lacte nutriti, & paſti, cum adoleverint, tum mares, & feminæ una diu, noctuque converſantur, ludis, comœdiis, ſaltationibus ſedulam navant operam. His extimis flabellis accenditur internus concupiſcentiæ ignis, & augetur. Ferculis exquiſita arte conditis carnem alunt, ſaginantque, & ultro citroque mutuam irritant libidinem. Feminæ veſtium ſplendore, peregrinis pomparum formis, vaferrimis ſexus artibus, & tumentium mamillarum illiciis homines faſcinant, inquit Hieronymus *lib. 2. epiſtola de vitando ſuſpecto contubernio. Quid tu facies puella ſani corporis, delicata, pinguis, æſtuans inter carnes, inter vina, & balnea, juxta maritos, juxta adoleſcentulos, quæ etſi rogata non feceris, tamen formæ putes teſtimonium, ſi rogeris. Libidinoſa mens ardentius honeſta perſequitur, & quod non licet, dulcius ſuſpicatur. Veſtis ipſa vilis, & pulla animi tacentis indicium eſt, ſi per terram, ut altior videaris, trahatur, ſi de induſtria diſſuta ſit, ut aliquid intus appareat, operiatque quod fœdum eſt, & aperiat quod formoſum. Caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens ſtridore ad ſe juvenes vocat. Papillæ faſciolis comprimuntur, & criſpanti cingulo anguſtius pectus arctatur. Capilli vel in frontem, vel in aures defluunt: palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quaſi videri noluerit, celat feſtina, quod volens detraxerat.* His præſtigiis adeo effeminantur homines, ut vilia illos dixeris mancipia mulierculаrum. His ad nutum inſerviunt, genua flectunt, brachia ſuſtentant, & faſcinatos, dementatoſque ſe præferunt. *Dabit tibi* (ſubdit loc. cit. Hieronym.) *barbatulus quilibet manum, ſuſtentabit laſſam, & preſſis digitis aut tentabitur; aut tentabit.... Loquetur nutibus, & quidquid metuit dicere, ſignificabit affectu.... Ipſum jactent aſſidere lectulo, obſtetrices manus adhibere languenti, portare matulam, calefacere lintea, plicare faſciolas.... Nec mireris ſi ancillæ & ſervuli de vobis iſta confingunt ..... Aperi quæſo aures tuas, & clamorem totius civitatis exaudi. Jam perdidiſtis veſtra vocabula, mutuo ex vobis cognomina ſuſcepiſtis. Tu illius diceris, & ille tuus.* Quid, quod quaſi paucæ eſſent ejuſmodi voluptatis illecebræ, ad theatra comœdiaſque una conveniunt, ut cantus ſuavitate, & ſonitus modulatione, & vivida pſaltriarum, & comœdorum, qui impudicitiæ artem repræſentant, lenociniis vehementius accendantur ad venerem. Iſtiuſmodi hominum, qui amaſiunculis matronulis adhæreſcunt, viliſſimam ſervitutem graphice deſcribuit *Paradox. cap.* 2. Cicero, inquiens: *An ille mihi liber, cui mulier imperat? Cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat, quod videtur? Qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? Poſcit? dandum eſt. Vocat? veniendum. Ejicit? abeundum. Minatur? extimeſcendum. Ego vero iſtum non modo ſervum,*

ſed

ſed nequiſſimum ſervum, etiamſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto.

VII. Numquid tot inter ſcopulos illibatum florebit caſtitatis lilium, ſermo pudicus erit, & modeſtus, ſcurrilitate, & turpiloquio pulſis? Numquid caſti oculi, numquid mens a pravis cogitationibus vacua, & voluntas a delectationis conſenſu immunis? *Inter has tantas illecebras voluptatum* (ait loc. cit. Hieronymus) *etiam ferreas mentes libido domat*. Et paulo ante: *Quis unquam mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certe ſollicitat. Securius eſt perire non poſſe, quam juxta periculum non periiſſe*. Et profecto ſi hæc, quæ recenſui, non ſunt libidinis flabella, & veneris gymnaſia, quænam erunt? Aut nulla in mundo ſunt inquinandæ caſtitatis pericula, aut quæ narravi, ſunt graviſſima. Primum adverſatur Scripturis ſanctis; verum itaque ſecundum. Aut Religioni ergo Catholicæ renuntiandum, quæ illa ipſa lege, qua caſtitatem ſervandam imponit, præfatas caſtitatis ſyrtes declinandas præcipit, aut ab ejuſmodi periculis cavendum.

VIII. Ne quid autem per exaggerationem dictum appareat, cedo. Modeſtior ne veſtitus, & inceſſus? Moderatiores ne pompæ, luxus, vanitates in matronulis Catholicis ætatis noſtræ, ac in feminis ethnicis? Numquid plus temporis impendunt Turcæ, Indi, & cujuſque ſectæ homines in ludis, in feminarum famulatu, in ſpectaculis, comœdiis, oblectamentis, quam Catholici illi, qui hodiernæ mulierum converſationi, & comœdiis operam navant? Numquid illi ſelectioribus epulis, lautioribus conviviis concupiſcentiam provocant, atque iſti? Quid ergo in profeſſione Baptiſmatis repudiarunt Catholici? Si iſtæ non ſunt Mundi, & Diaboli pompæ, quænam erunt? Perge porro. Quænam ſunt Diaboli pompæ in Baptiſmate ejuratæ; niſi ſint ſpectacula, comœdiæ, luxus, faſtus, promiſcuæ hodiernæ converſationes? Ediſſerant: ſi loco hujuſce profeſſionis: *Abrenuntio Satanæ, & omnibus pompis ejus*: hanc contrariam ediiſſent: *Spondeo Satanæ, ejuſdem vanitatibus, faſtui, & ſpectaculis ſedulam daturum operam*: inſanire ne liberius poſſent, ac inſaniunt mares, & feminæ una convivantes, converſantes, & theatris aſſidentes? Numquam libidinis incitamenta impotentius publicum ſubierunt aſpectum: ergo numquam libidinis lues latius manavit. Conſectarium hoc ineluctabile eſt. Rariores nunc concubinatus, & ſcorta publica imminuta ſunt, quia cultior explendæ veneris adinventa eſt ars, ignominia, & horrore rejectis. Flagitia olim ſuum prodebant horrorem. Concubinarii, homicidæ, aliique ſceleſti homines exulabant ab altaribus. Sæculo noſtro lux, & tenebræ, vitia & virtutes, bonum & malum fœdus inierunt, & virtutis larvam ipſa ſcelera induere; quod eſt malorum extremum. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*. Iſaias. *cap.* 5. Quæ omnia conſequuntur animi ſtupor, mentis cæcitas, voluntatis obſtinatio, incredulitas, & impietas. Delevit olim Deus humanum genus, præſertim ob carnis ſcelera, aquarum diluvio. Inundant tempore noſtro impietatis torrentes ſenſibus leviores, ſed animæ funeſtiores. Miramur, dum plebejos homines vitis vino ebrios

 dex-

dextrorſum, & ſiniſtrorum inambulantes ſpectamus. Nihil vero obſtupeſcimus, cum nobiliores viros ad majora natos proſtitutionis vino ingurgitatos, ad muliercularum latera adhærefcentes, earumque & brachia, & veſtes ſuſtinenter per vicos, & plateas conſpicimus. Ipſi Turcæ, & Indi in admirationem, talia dum vident, aguntur. Et quod omnem ſuperat fidem, tam matronulæ, quam earumdem amatores nullo ſe tangi venereo affectu effutire non erubeſcunt. Sed audiant (& confundantur) S. Baſilium, qui de *Conſt. Monach. cap.* 4. inter aut pecora, aut temulentos iſtos rejicit, inquiens: *Si quiſpiam dicet, quod plerumque cum mulieribus colloqui, & converſari nihil afferat periculi, is vel non eſt particeps virtutis maſculæ, & eſt ADMIRABILISSIMUM QUODDAM PECUS, inter utramque naturam velut medius conſtitutus: vel ſi particeps illius eſt, immerſus eſt affectionibus, ut periculum ne ſentiat ad exemplum temulentorum, & phreneticorum, qui licet graviſſima patiantur, tamen extra paſſiones ſe conſtitutos eſſe putant.*

IX. Graviſſima ſane hæc ſunt, ſed parva evadunt, ſi cum iis, quæ ſequuntur, conferamus. Quandoquidem non modo Catholici plurimi præfata agunt, verum etiam Theologi, Clerici reperiuntur non pauci, qui eadem probant, confirmant, propugnant. Damnant utique omnes fornicationem, adulterium, mollitiem, atque vel ipſos impudicos aſpectus, nedum venereas delectationes. At theatra adire, comœdias frequentare, marium, feminarumque converſationem fovere, choreas ducere, ludis vacare, peregrinas pomparum formas induere, & cetera temporis noſtri oblectamenta, ut licita permittunt: Chriſtianos, qui talia ex inſtituto peragunt, ad ſacra altaria admittunt, eoſdem ſacroſancto Chriſti corpore reficiunt, atque beatos prædicant. Et quod omnem ſuperat fidem ovantes inclamant: *aureum ſeculum noſtrum* eſſe: quod numquam tanta obtinuerit Sacramentorum frequentia, numquam tantus populorum ad Eccleſias concurſus. Nec eſt, quod opponas, numquam in Chriſtiana Religione tanta Eccleſiarum profanatio, numquam Chriſti Sacramenta tam ſacrilega adminiſtratione polluta, & proculcata: quoniam reponunt nonnulli amœnioris Theologiæ blandiloqui profeſſores, Chriſtianos Sacramentorum frequentiæ aſſuetos, dum ad ſenectutem vergunt, deferveſcente concupiſcentia, reformaturos eſſe mores ſuos, & bene paratos tandem ad Sacramenta acceſſuros. Belle, & venuſte! Sacrilegiis, flagitiiſque animam nutriant, quoad vires ſtant, ſeſeque in libidinis luto veluti ſues revolvant, quia cani & ſenes evadent candidi, & immaculati. Mundo, & diabolo uſque dum natura viget, inſerviant. Depontani, & ſilicernio proximi heroica ſanctitatis facinora edent.

X. Non advertunt, aut animadvertere nolunt ejuſmodi dulcioris doctrinæ aſſertores, ſe prima Evangelicæ legis fundamenta ſuffodere, & commentitiam Religionem politica, ſeu carnali prudentia partam invehere, & mundum cum Evangelio intimo componere fœdere, quæ eſt chimera chimerarum. Quæ enim conventio Chriſti cum Belial? Catholica Religio, ut dixi, qua lege imperat animi corporiſque caſtitatem, eadem jubet, ut libidinis irritamenta, qualia ſunt mulierum familiaritas, co-

mœ-

mœdiarum frequentia, inanium pomparum uſus, gulæ, & ventris ſaturitas, devitentur. Venter enim, & genitalia, inquit Auguſtinus, ſibi vicina ſunt, & pro ordine membrorum, ordo quoque vitiorum exiſtit. Si a præfatis Theologis inquiras, peccatum grave ne ſit, theatra adire, comœdias frequentare, viros & mulieres converſari, ludis vacare, otio diffluere; & hæc omnia ſimul pro more habere? Pernegant. Quin ad Sacra Chriſti admittunt, qui hæc frequentant. Si dicamus, non modo vitanda exteriora luxuriæ pericula, & occaſiones, verum etiam chriſtianis jejuniis, quæ nec exquiſitas epulas, neque Indicas matutinas ſorbitiunculas excipiunt, & pœnitentiæ ſeveritate coercendam eſſe concupiſcentiam, & carnis rebellionem deprimendam; continuo rumores excitantur, & injuſti rigoris arguitur ſana doctrina. Has vero diſſertationes turbare publicam quietem, civium mœſtitiam parere, Chriſtianos a frequentandis theatris abducere, theatrorum magiſtris, & conductoribus pecunias ſurripere, advenarum acceſſum ad civitates impedire, atque adeo publico bono detrimentoſas eſſe, infeſtaſque, fortaſſe vociferaturi ſunt.

XI. Spectra hæc, & vana deliria, quæ pſeudo-politici effingunt, infra ex inſtituto profligabo. Illud in præſentia recordari lectori intereſt, nonnullos reperiri Caſuiſtas, qui non modo adire theatra, & comœdias hodiernas laicos Chriſtianos tolerant, verum etiam ipſos Clericos, & Presbyteros animant ad ejuſmodi ſpectacula frequentanda, blaterantes, ne venialem quidem, ſi eadem frequentent, culpam admittere. Adverſus tantam ſeductionem hæc *libro de catech. Rud. cap.* 25. ſcribit Auguſtinus: *Animadverſurus etiam es, quod illæ turbæ impleant Eccleſias, quæ implent & theatra; & hæc videndo ad imitandum tentaberis .... Videbis etiam multos, qui appellantur Chriſtiani, hæc omnia mala operari ... Sed ſi quaſi ſecurus talia facias, multum erras .... Cum ergo videris multos non ſolum hæc facere*, ſed etiam defendere, atque ſuadere, *tene te ad legem Dei, & non ſequaris prævaricatores: non enim ſecundum illorum ſenſum, ſed ſecundum illius veritatem judicaberis.* His faſciniis animos addunt vel ipſis bene moratis Chriſtianis, ut ſpectaculis interſint, ut ſenſuum delectationi indulgeant: quoniam hac via ſibi conciliant turbas ampliores, & matronarum, magnatumque multitudinem. Subdit *libro de Paſt. cap.* 3. idem Sanctus Pater Auguſtinus: *Et ſi ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros; ite, quid mali eſt? Si feſta iſta celebrare, quæ celebrantur per univerſas civitates in lætitia converſantium ... ite, celebrate, magna eſt Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat ... Hæc ſi dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores ... ita dicentes multitudinem conciliamus.* In nos vero, qui hæc reprehendimus; præfatas turbas concitant, irritantque facillime, quod earumdem oblectationibus bellum intentemus, ut idem Sanctus Auguſtinus *Serm.* 14. *ad Frat. in eremo* expertus teſtatur: *Si in aliquo reprehenduntur, latrant ut canes, mordent ut ſerpentes, dolent ut parturientes, dicentes malum bonum, & bonum malum.* Iſtorum miſeram ſortem, & pervicacitatem luget *tract.* 90. *in Joan. O miſeros homines qui cum eſſe volunt mali, nolunt eſſe veritatem, qua damnantur mali. Nolunt enim eam eſſe quod eſt, cum ipſi debeant*

nolle

nolle eſſe quod ſunt , ut , ipſa manente, mutentur , ne , ipſa judicante , damnentur .

XII. Sed tempus jam eſt , ut multa in pauca contrahamus . Quemadmodum nihil a ſpiritu magis diſtat , quam caro , ita nullum ſcelus longius a Deo ſeparat , mentem vehementius excæcat , animum fortius faſcinat, ac venerea lues . Imbecillitatis peccata appellari hæc ſolent, quod nec ipſe inficior, ſi quis fortuito & inopinato ruat . At repetita , & in conſuetudinem traducta libido ſecum veluti torrens omnia fere ſcelera trahit . Quæ furta , quæ rapinæ, quæ injuſtitiæ , quæ fraudes illam non comitantur ? Libidinoſi, ut hanc impotentem appetitionem , & lupam inſatiabilem expleant, patrimonia prodigunt, debita non ſolvunt , domos evertunt, ſævi , crudeles, inhumani evadunt . Et quia vehementiſſima eſt luxuriæ voluptas, ita huic ſe tradunt petulci homines , ut de cæleſtibus bonis prorſus deſperent , quemadmodum Paulus Epheſ. 4. adfirmat . *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam* .

XIII. Itaque libidinem & carnalem voluptatem conſequitur deſperatio. Deſperationem impietas . Quo latius graſſatur libido, eo impudentius vexillum explicat impietas . Gulæ, ventris , luxuriæ , voluptates theatrales ætate noſtra ultimam attigerunt metam : ergo mirandum minime eſt (ut eo , unde profecta oratio eſt , revertatur) ſi infidelitas , & impietas ſe prodant, ſuaque effata inter amaſios ; & amaſias effundant , negentque Paradiſum , Infernum , Æternitatem , unumque eſſe dicant hominum , & jumentorum interitum . Quamobrem Paulus ad Coloſ. 3. clamat : *Mortificate ergo membra veſtra , quæ ſunt ſuper terram , fornicationem, immunditiam , libidinem , concupiſcentiam malam , & avaritiam , quæ eſt ſimulacrorum ſervitus . Propter quæ venit ira ſuper filios incredulitatis* . Duplicem diſtinguo impietatem , alteram *poſitivam* , alteram *negativam* . Priror nudata fronte erumpit . Hæc paucorum eſt . Poſterior latiſſime ſerpit , pluribus obtecta fucis, & lenociniis . Vera Religio palam non rejicitur ; ſed attemperatur , & incredibili artificio humanis appetitionibus accommodatur, inquit *lib. QQ. Vet. & Nov. Teſtam. quæſt.* 110. S. Auguſtinus : *Quædam ſibi applicant veluti velamina , quibus impietatem contegant , ut videntes fallantur . Non poteſt enim impietas proponi , quia non invenit emptorem : & ubi lex Diaboli eſt , ſi ipſe nominetur , horretur . Sed ſicut mel veneno admiſcetur , per quod lateat ; ita & legi Diaboli quædam juſta admiſcent, & nomen applicant veritatis* . Blandiloquis igitur, & accommodatitiæ doctrinæ cultoribus , qui Mundum cum Evangelio conjungere nova arte contendunt , cum S. Auguſtino in *Pſalm.* 136. hoc præbete reſponſum : *Quid reſpondemus ? Babilonia te portat , Babilonia te continet , Babilonia te nutrit , Babilonia de te loquitur . Non noſti capere , niſi quod fulget ad tempus , æterna meditari ignoras ; non capis quod interrogas . Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Vere Fratres ſic eſt . Incipite velle prædicare veritatem quantulamcumque noſtris , & videte quam neceſſe ſit , ut tales patiamini irriſores , & exactores eritatis plenos falſitatis* .

XIV. Unum, antequam præfandi finem facio, a lectore meo enixe poſtulo, ut, præjudicatis opinionibus ex conſuetudine, ſeu verius turpiſſima corruptela generatim ſerpente conceptis renunciare paullulum velit, eamque animi indifferentiam induere, qua quiſque opus habet, ut juſtam dicere ſententiam queat. Lege ergo, ut cenſor ſeverus cauſſam, quam pro Chriſto, ſeu adverſus Mundum, & Diabolum ego oravi. Cauſſa graviſſima cum ſit, quod ex ea pendeat æternitas, tuam diligentiam, mentemque a præjudiciis vacuam jure ſibi vendicat. Si quæ ſcripſi, aut falſa, aut nimium rigida deprehenderis, illa rejicito, ſevere profligato, & memetipſum aberrationis meæ redarguito, nulla adhibita lenitate. Omnes in exilio ſumus, omnes peregrinamur a Domino; omnes plus, minuſve eadem inquinati peſte eiſdem obruimur calamitatibus, & appetitionum ictibus concutimur. Stultitia ſumma me laborare æſtimarem, ſi plus æquo Chriſti jugum, ſola cæleſti caritate ſuave exaſperarem, & gravius reddere vellem. Qui nimia laxitate peccant, id ſaltem emolumenti habent, quod appetitionibus ſatisfaciunt. Qui contra, nimio rigore ſæviunt, duo mala committunt, alterum culpæ, alterum pœnæ, qua ſemetipſos & alios conficiunt. At non in minorem reprehenſionem ii merito incurrunt, qui, inconſultis Evangeliis, Patribus, Conciliis, veriſque Theologis, metiri ratiunculis proprio cerebello, & carnali prudentia partis, Ethnices Chriſtianæ excelſa, & divina mandata non reformidant. Illud ſaltem aſſequi hoc qualicumque labore meo liceat, ut, falſis opinionibus, atque erroneis Chriſtianorum conſiliis ſublatis, vera refulgeat Chriſti doctrina, qua electorum animæ illuſtratæ a tantis illecebrarum præſtigiis ſerventur immunes. Cæterum ſi uſus ſpectetur, non me latet, ſperari vix poſſe, ut pernicioſiſſima, & uſquequaque inundans Mimorum, Mimarum & comœdiarum corruptela penitus exterminetur. Ominari enim de Hiſtrionibus id poſſumus quod de Aſtrologis *lib.* 1. *hiſt.* Tacitus enuntiavit. *Genus dominum potentibus fidum; ſperantibus fallax, quod in Civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur.*

PARERGON.

EO Adverſarii mei ſtudia ſua conferre videntur, ut me ab Evangelicæ doctrinæ explicandæ inſtituto abducant ſuis perpetuis libellis, quos ſi refellere omnes vellem, ſane vitam totam in tricis, & impoſturis convellendis inſumerem, votorumque ſuorum compotes illi evaderent. Verum ut eorumdem conatus deludam, quin id, quod eſt in manibus, interrumpam, occaſione data dumtaxat aliquem ex plurimis craſſiorem errorem, immanioremque impoſturam refutare obiter decrevi. Cum opus iſtud lucem aſpicere publicam deberet, duo libelli adverſus meam Theologiam Chriſtianam, aliaque opera prodierunt, quorum primus hanc præfert Epigraphem : *Lettere Teologiche Morali a diſeſa della Storia del Probabiliſmo eſaminate, e dimoſtrate infette di falſità. In Trento* 1752. Libellus iſte a capite ad talum ineptiis, næniis, & impoſturis ſcatet. Unicam tranſcribo ex pag. 41. ubi hæc habentur. „ E' ſtato avviſato il P. Concina dell' inſolenza di „ quegl' Indici. Come ſi difende egli ? Aſſicura, che non ha compoſti quegl' In- „ dici. Ma ſe non gli ha compoſti, gli avrà ben letti in avanti, eſſendo incredi- „ bile che abbia laſciato uſcire ſotto il ſuo nome tanti fogli, quanti ne abbraccia- „ no quegl' Indici. Poteva ancora confeſſare, che nemmeno ha compoſta quella „ Teologia, ed altri libri, giacchè è PARERE di molti SAGGI fondati ſu „ buoni INDIZJ, che o tutta, o almeno la maggior parte d' eſſi ſia lavoro ſpe- „ ditogli d'OLTRAMONTE, ed adottato da lui.

Ad indices verborum quod attinet, libere fateor ab aliis eſſe confectos, & a me adoptatos. Quis eſt enim Scriptor, qui in operum ſuorum Indicibus tempus terat ? Sed ajo nimis inconſiderate eoſdem objici. Si enim falſe indicant operis loca, tum rejiciantur ut mendoſi, & inepti. Si contra recte deſignant; cur improbantur ? Forſitan quod opinionum laxitas luculentius pateat ? Vellent ergo Adverſarii ut occulte latitaret laxitatis blandum veneficium, ne tam facile deprehendi a lectoribus poſſet ? Abſit. Quænam ergo querimoniæ cauſſa ? Quod opiniones ut laxæ notatæ, ejuſmodi non ſint ? Si hoc aſſerant, perperam accuſant innoxios Indices, ſed potius injuſtam eſſe cenſuram evincere debent : quod ſi præſtent, ego palinodiam cantandam ſpondeo.

Caput alterum, nempe me *Theologiam Chriſtianam* aut integram, aut majori ex parte miſſam *a Tranſalpinis* (Quinam iſti Tranſalpini ? Janſeniani ne, an Lutherani, vel Calviniani ?) accepiſſe, quemadmodum & alios libros, & iſtos typis

publi-

publicis edidiſſe, tanto me terrore, & pavore replevit, ut vix meos exprimere ſenſus valeam. Talia ſiquidem legens, mecum ipſe inter lacrymas, & ſuſpiria, tremendiſſimaque Dei judicia ſuſpiciens colloquebar. Religioſus, Sacerdos, octoginta quinque annos natus, in momenta ſingula rationem Deo redditurus evulgare typis publicis non perhorreſcit calumniam partim tam atrocem, tamque inauditam, ut horrorem incutiat; partim adeo perridiculam, & puerilem, ut ineptirem ipſe, ſi tot eamdem refellere teſtimoniis vellem, quot religioſos viros, amicoſque ſtudiorum meorum ſocios habeo. Urbi, & Orbi noti ſunt, qui alienis refulgere plumis ambiunt. Vel ergo auctor iſte licitum, honeſtumque reputat, proximi famam apertiſſimis mendaciis, & calumniis proſcindere, & in hæreſis ſuſpicionem adducere; aut religionem pro vano commento habet. Falſum poſtremum; verum igitur primum. Alterum ergo præſtet neceſſum omnino eſt. Aut jactata indicia publicet, quod, ut præſtet, enixe oro, obteſtorque, immo vehementer provoco, urgeoque: aut immaniſſimam calumniam retractet. Nulla hic evadendi rima patet; alioquin non modo calumniatorem ſe vivis, poſteriſque perhibet, verum etiam univerſæ Reipublicæ Litterariæ patefacit, ſe doctrinam de impingendis calumniis propugnare. Hæc obiter perſtrinxi, quæ ceteroquin alto præterire ſilentio conſtitueram tamquam ineptiſſimas fabellas, & puerorum crepitacula, niſi hæc pauca in tranſcurſu reponere ſuaſiſſent viri graves doctique, hac adjecta ratione. Si tu taceres, inclamarent Poſteri: Celeberrimus Theologus, animarum moderator, doctrina, & morum integritate præſtantiſſimus, decrepitus, & morti proximus typis publicis teſtatus eſt, Theologiam Concinianam, ejuſdem auctore vivente, a Tranſalpinis Hæreticis elaboratam fuiſſe. Fr. Concina, cum poſſet; non reclamavit. Ergo ejuſdem ſilentium manifeſtiſſima confeſſio eſt.

Libellus alter ſeditionis pleniſſimus unica conſtans pagella hoc inſcribitur titulo: „ Supplementi di alcune propoſizioni . . . . . . eſtratte dalla Teologia Criſtiana „ del famoſiſſimo P. C., e da aggiungerſi alla ritrattazione pubblicata dal mede- „ ſimo in Roma ec. " Excudebant Romæ ad Minervam 1752. Heredes DOMINICI STRINGIGULÆ. His ultimis verbis carpitur Divus Patriarcha Dominicus Sacroſanctæ Inquiſitionis Inſtitutor. Hoc autem ſupremum Fidei Tribunal Sicam diſtrictam, & Carnificinam Hæretici Tranſalpini appellitant. Ad hanc Hæreticorum phraſim alludens hujuſmodi libelli auctor, Dominicum *ſtringere gulam* ait, ejuſdemque Religioſos vocat Heredes *Dominici Stringigulæ*. Hæc autem doctrina, non Theologia Chriſtiana, revera a Tranſalpinis Hæreticis mutuo accepta eſt ſine fœnore. Ad cetera nihil repono, ſed eorumdem judicium illis, quorum intereſt, demiſſe ſubjicio. O tempora! O mores!

INDEX CAPITUM.

DISSERTATIO PRIMA,

CAPUT I.

*L*ectorum præjudicia in anteceſſum præoccupantur. Communis Theologorum non Catholicæ Religionis modo, ſed Lutheranæ quoque ſectæ doctrina hoc in opere propugnatur adverſus hodierna Theatra. Pag. 1.

CAP. II. *Specimen Hiſtoriæ ſpectaculorum.* 3

CAP. III. *Patres ſpectacula improbant, & quod Idololatriam ſapiant, & quod ad luxuriam provocent. Mens Tertulliani juſius exponitur.* 7

CAP. IV. *Cypriani, Lactantii, Salviani, Chryſoſtomi, Clementis Alexandrini, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, & Auguſtini ſententia de Theatris, ſeu Spectaculis exponitur.* 12

CAP. V. *Nonnulla poſteriorum temporum documenta adverſus Theatrales ludos.* 19

CAP. VI. *Compendium hiſtoriæ Theatrorum ab ætate Scholaſticorum ad hæc noſtra tempora.* S. Thomæ *doctrina vindicatur ab ineptis plurium Caſuiſtarum commentis.* 20

CAP. VII. *Narratio eorum, quæ quatuor ætatis noſtræ Auctores* Caffaro, Boſſuetus, Lamy, Vulpius *de ludis Theatralibus ſcripſere. Vera Theatri noſtri temporis idea, & ſincera imago.* 27

CAP. VIII. *Luculentior turpitudinis, & obſcœnitatis notio. Turpitudo alia in rebus repræſentatis, & geſticulationibus, alia in vocibus. Comœdiæ publicæ hodiernæ omnes turpes, & obſcœnæ ſunt, vel ob rem repræſentatam, vel ob voces, & geſticulationes, vel ob choreas, vel ob actus intermedios. Viri induti veſte muliebri, aut mulieres veſte virili abominabiles ſunt apud Deum.* 32

CAP. IX. *Hodierna Theatra antiquis turpiora, quod in noſtris, ſecus in illis, mulieres Chriſtianæ mimas agant. Quamvis tamen obſcœniora antiqua fuiſſent, non propterea obſcœnitate, & turpitudine hodierna carent.* 36

CAP. X. *Feminæ Chriſtianæ in ſcenas hodiernas prodeuntes, ut Mimas agant, peccant mortaliter, ſuntque in ſtatu damnationis ſimul cum ſuis Hiſtrionibus, nemine ſanæ mentis diſſentiente. Prætextus Matrimonii, cujus velo ſcenicæ impuritates obtendi ſolent, rejicitur ut ineptum commentum.* 42

CAP. XI. *Nonnulla rationum momenta, quæ noſtræ ætatis ludos Theatrales pravos, criminumque plenos evincunt.* 44

CAP. XII. *Alterutrum Chriſtianus præſtet neceſſum eſt: aut Divinis Scripturis, aut Theatris nuntium remittat. Illorum potiſſimum ſophiſma, ſe nempe nihil mali experiri, diluitur, Graviſſima crimina, quæ culpabilis ignorantiæ tenebris obducti perpetrant, indicantur. Communis ſenſus Chriſtianorum, Comœdiam eſſe ſcholam impudicitiæ, lenocinium corruptæ caſtitatis, & ſeductionis, clamat.* 48

CAP. XIII. *Expenditur illorum opinatio, qui concedunt pugnare quidem Theatra cum Chriſtiana profeſſione; at pernegant damnari mortalis culpæ eorumdem ſpectatores indiſcriminatim certo poſſe.* 51

CAP. XIV. *R. P. Pauli Segneri piiſſimi Soc. Jeſu Profeſſoris auctoritate Theatra, & Comœdiæ obſcœnæ improbantur.* 55

§. UNICUS. *Specimen eorum, quæ P. Paulus Segneri in ſuo* Criſtiano iſtruito *docet 3. part. ſerm. 31.* 56

CAP. XV. *Nonnullæ animadverſiones in recenſitam P. PAULI SEGNERI Jeſuitæ doctrinam adverſus Theatrorum defenſores, quos effutire haud pudet, Eccleſiæ Patres ob idololatriam,*

triam , ſecus ob impudicitiam Theatra damnaſſe. 67

CAP. XVI. *Ex principiis ipſius Probabiliſmi Theologi evincunt , actores , & ſpectatores Comœdiarum turpium peccare mortaliter , quod probabili ut minus periculo gravis culpæ ſe ſe exponant.* 68

CAP. XVII. *Auctoritate benigniorum Theologorum improbatur excuſatio illorum , qui ſe ſpectare obſcœnas Comœdias innoxie ajunt . Peccant iſti mortaliter , inquiunt benigni Caſuiſtæ , ex hoc ſolo capite , quod approbant , & ſua præſentia conſentiunt in peccata mortalia Hiſtrionum.* 72

§. UNICUS. *Conſectarium ſerio meditandum.* 75

CAP. XVIII. *SS. Patres docent ſpectatores turpium Comœdiarum , & Theatrorum peccare mortaliter , potiſſimum ob præſentiam , qua probant Hiſtrionum , aliorumque adſtantium flagitia.* 76

CAP. XIX. *Quam inepte ex Principum permiſſione Theatrorum honeſtas inferatur.* 81

CAP. XX. *Exploditur futilis objectiuncula , a libertate , quæ Poetis , & Comœdis conceditur carpendi mores , & ipſorum Principum lapſus corrigendi , arceſſita.* 89

CAP. XXI. *In examen adducitur conſilium illorum , qui corrigenda Theatra , & Comœdias proponunt. Quam ſit vanum , & chymericum votum iſtud . Cl. Muratorii , & Auctoris* Theatri Italici *commenta refelluntur.* 90

CAP. XXII. *JACOBUS PIGNATELLI Sac. Theol. & J. U. Doctor , tom. 8. Conſult. 153. hodierna Theatra turpia , & fœda eſſe : peccare mortaliter tum Actores , tum Spectatores omni argumentorum genere demonſtrat . Iſtius Conſultationis Synopſis.* 101

§. UNICUS. *Monitum ad Lectores , & præſertim Confeſſarios.* 110

CAP. XXIII. *Auctoritate* BENEDICTI XIV. *Pontificis Regnantis , & Ven. Cardinalis* BELLARMINI , & *Cardinalis* LANFREDINI *evincitur graviter illos peccare , qui hodierna Theatra frequentant.* 112

CAP. XXIV. *Penes ipſum humanæ rationis Tribunal falſum eſt , quod Pſeudopolitici obtrudunt ; Theatra nempe bonum publicum promovere & advenarum acceſſum , & divitias in Civitates pertrahere.* 114

CAP. XXV. *Quam graviter peccent viri graves , & eccleſiaſtici , qui hodiernis Theatris interſunt.* 116

CAP. XXVI. *Aliquine occurrere eventus queant , in quibus licitum interdum huic , aut illi Chriſtiano ſit adire Theatra ?* 119

CAP. XXVII. *Doctrina* LUTHERANORUM *adverſus hodierna Theatra exponitur , ut legant , & confundantur , ſi qui ſunt Catholicorum , qui Comœdias , Tragœdiaſque ætatis noſtræ purgare a flagitio non erubeſcunt.* 120

§. UNICUS. *Conſectarium ſerio meditandum.* 125

CAP. XXVIII. *Aliud ſophiſma repellitur : Confeſſarii abſolvunt Mimos , Mimas , Saltatrices , Cantatrices , & Comœdiarum ſpectatores : quid ergo mali eſt in Theatrorum frequentia ?* 127

CAP. XXIX. *Thomæ Tamburini , Hermanni Buſembaum , Leonardi Colendal , Sanchez , Filliucii , Thomæ Hurtado ,* aliorumque opiniones refelluntur. 129

§. UNICUS. *Libelli inſcripti :* In lode dell' Arte comica diſcorſo del Signor Dottor &c. *inaudita , & incredibilia commenta refelluntur. Eloquentiſſimi* ARISTIDIS *oratoris Pagani* oratione de Comœdiis non agendis *audax quorumdam Chriſtianorum ignorantia retunditur.* 133

CAPUT ULTIMUM.

Univerſæ Diſſertationis anacephaleoſis : paucis perſtringuntur Patrum SS. reſponſa ad ea omnia , quæ Theatrorum defenſores opponunt. 137

APPENDIX

Ad præcedentem Diſſertationem ex P. Marianæ opere de Spectaculis.

CAP. I. *Cur de Spectàculis Diſputatio ſuſcipiatur. Varia ſpectaculorum genera.* 142
CAP. II. *De ſenſuum voluptdte.* 143
CAP. III. *Mulieres in ſcenam introducendas non eſſe. Quodnam ſcelus enormius ſit: Mulieres, an juvenes muliebri veſte ornatos in ſcenam prodire?* 145
CAP. IV. *Hiſtriones a Sacramentis arcendos eſſe.* 147
CAP. V. *De Theatrali Muſica.* 148
CAP. VI. *Quid veteres Patres, jus Pontificium, & ethnici Philoſophi de ludis ſcenicis ſenſerint.* 149
CAP. VII. *Non eſſe ſcenicos ludos permittendos. Spectatores lethaliter delinquunt, aut quod in graviſſimum delectationis venereæ periculum ſeſe conjiciunt: aut quod grave ſcandalum perpetrant, & infamem artem ſua præſentia confirmbnt. Quid ſit conſenſus interpretativus ab expreſſo, diſtinctus.* 151

A P-

APPENDIX ALTERA

De ſpectaculo agitationis Taurorum, & ſacris repræſentationibus, quæ fieri in Hiſpania ſolent.

CAP. I. *Licitane ſit Taurorum agitatio, quæ fieri in Hiſpania conſueſcit?* 154

CAP. II. *Quam turpe ſit in Dei Templa Cantores Theatrales inducere. Sanctorum acta in Theatris Mimorum arte referre ſacrilega profanatio eſt.* 157

DISSERTATIO SECUNDA.

Adverſus Theatra nonnullorum Regularium tempore carniſprivii.

CAP. I. *Regulares, qui propriæ Religionis habitum exuunt, & laicales, ſeu Theatrales veſtes induunt, ut in ſuis Cœnobiis Comœdias profanas repræſentent, peccant mortaliter. Gravius vero peccant Superiores id permittentes, aut pro viribus non impedientes, nulla excuſatione ſuffragante.* 161

CAP. II. *Regulares Comœdorum perſonas agentes in ſuis Cœnobiis, & Comœdias Ethnicorum fabulis permixtas repræſentantes, graviſſime peccant, quia Chriſtiani, quia Religioſi. Prælati triplici capite peccant, quia Chriſtiani, quia Religioſi, quia Superiores.* 164

CAP. III. *Auctoritate* BENEDICTI XIV. *Sapientiſſimi Regnantis Pontificis Comœdiæ nonnullorum Clauſtralium improbantur. Noviſſimi Caſuiſtæ laxam, ſcandalique plenam doctrinam in favorem Clericorum, qui Comœdiis aſſiſtunt, execratur Pontifex Summus.* 168

CAP. IV. *Quædam ſophiſmata, quæ opponi ſolent, diluuntur.* 170

CAP. V. *Alia ſophiſmata ab auctoritate Caſuiſtarum quorumdam petita evertuntur.* 172

CAP. VI. *Sub Examen inducuntur Cottonius, Brognolus, Bordonius, Antonius a Spiritu Sancto, & Octavius a S. Joſeph.* 174

CAP. VII. *Nonnullæ hoc de argumento quæſtiunculæ.* 177

CAP. VIII. *Nonnullæ animadverſiones in libellum Inſcriptum:* SAGGIO Iſtorico-Canonico &c. Dedicato agli Ordini Regolari in Palermo 1751. *Quam ſint libelli iſtius errores craſſi, & Regularibus pernicioſi.* 178

DISSERTATIO TERTIA.

De Presbyteris Perſonatis.

CAP. I. *Peccant mortaliter Presbyteri, qui claricali veſte poſita, laicorum veſtes induunt, & vultu larva abſcondito, diſcurrunt per vicos, & plateas, Theatra adeunt, ludentibus & choreas agentibus ſpectatores adſunt.* 182

CAP. II. *Auctoritate ſacrorum Canonum demonſtratur, Presbyteros larvatos prodeuntes peccare mortaliter.* 185

CAP. III. *Poſteriores Synodi declarant peccare mortaliter Presbyteros perſonatos, dum eoſdem graviſſima Excommunicationis, vel Suſpenſionis pœna mulctant.* 186

CAP. IV. *Benignorum Theologorum communi Sententia peccati mortalis damnantur Clerici perſonati incedentes.* 189

CAP. V. *Nonnulla Sophiſmata exploduntur.* 194

CAP. VI. Redargutio in Clericos perſonatos, Miſſamque celebrantes, & in Confeſſarios eoſdem abſolventes. *Doctrina* P. Pauli Oliva *contra Confeſſarios Benigniſtas. Non ſunt conferendæ eleemoſynæ Sacerdotibus perſonatis Theatra adeuntibus pro ſacrificiis celebrandis.* 196

APPRO-

APPROBATIONES,

Nos Fr. Antoninus Bremond Sac. Theolog. Prof. ac totius Ord. FF. Prædicat. hum. Mag. Gen. & Servus.

CUM, uti Nobis exponitur, R.P. Lect. Fr. Daniel Concina Ordinis Noſtri compoſuerit Librum cui Titulus eſt: *De Spectaculis Theatralibus Diſſertationes duæ, &c.* illumque prælo ſubjicere deſideret; Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, ſervatis aliis de jure ſervandis, paterne indulgemus; dummodo a duobus Theologis Ordinis noſtri præfatum opus luce dignum judicetur, eorumque cenſorio calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Conventu Noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die 8. Auguſti 1752.

Fr. Antoninus Bremond Mag. Ord.

Reg. fol. 4.

Fr. Joannes Thomas de Boxaders Mag. Prov. Terræ S. & Socius.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Ordinis noſtri, attento, ac cenſorio oculo vidimus, & perlegimus: *De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuique tum laico, tum Clerico vetitis* Diſſertationes duas: *Et de Presbyteris Perſonatis* alteram indefeſſa diligentia, zelo, ac quam plurima eruditione conſcriptas ab A. R. P. F. Daniele Concina ejuſdem noſtri Ordinis Theologo, Prædicatore, & hactenus evulgatis libris Scriptore celebratiſſimo: eaſque invenimus Verbo DEI, Synodorum, cum antiquiorum, tum recentiorum Statutis, Patrum quoque non minus, quam Theologorum Sententiis plane conformes: ut proinde eædem, nedum Chriſtianæ Reipublicæ apprime utiles, verum etiam ad refrænandam nimiam corrupti hujus Sæculi licentiam omnino neceſſarium cenſeamus, ut prælo donatæ publici juris fiant, ac omnium Chriſtianorum animis, & tabulis Cordis carnalibus Spiritu DEI vivi altius inſculpantur; quatenus hi profeſſionis ſuæ memores, qua in baptiſmo pompis Satanæ abrenunciarunt, vanitatibus Spectaculorum Theatricorum nuncium remittentes, ipſi potius, cum Apoſtolo, ſpectaculum fiant mundo, Angelis, & hominibus.

Dabamus Romæ in Collegio Caſanatenſi S. Thomæ de Urbe ad S. Mariam ſuper Minervam pridie Kalend. Auguſti Anno 1752.

Fr. Cyrillus Riga Ord. Præd. SS. Theol. in Univ. Viennenſi Doctor, Theologus Caſanatenſis.

F. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Theologus Caſanatenſis.

REverendiſſimi Patris Sacri Palatii Magiſtri mandatis obſequens Diſſertationes duas *De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuique tum Laico, tum Clerico vetitis*; necnon aliam diſſertationem peculiarem *De Clericis perſonatis*, attente legi, & in eis nihil offendi, quod contra Fidem ſit, aut bonos mores, ſed piam ſolidamque doctrinam, ita ut in publicam lucem prodire aut utiliter poſſe plane cenſeam, ut ſaltem qui ex Deo ſunt, & verba ejus audiunt, probe noſcant quantum

tum *deprecanda ſit miſericordia DEI, ut donet intellectum ad iſta damnanda, & affectum ad fugienda, & miſericordiam ad ignoſcenda.*
S. Aug. narr. in pſ. 50.

Petrus Franciſcus Fogginius Bibl. Vaticanæ Cuſtos Coadjutor.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente perlegi, & majore, qua potui, diligentia expendi: *De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuiqui tum laico, tum Clerico vetitis Diſſertationes duas*, atque his adjectam *de Clericis Perſonatis Diſſertationem Tertiam* ab Adm. R. P. Daniele Concina Ordinis Prædicatorum Theologo celeberrimo compoſitas; eaſque Sanctionibus Evangelicis plane conformes, & ex Patrum, Conciliorum, ac Theologorum, tam veterum, quam recentiorum Sententiis, verbiſque ſcite contextas, publica luce donari, valde opportunum cenſeo; ut Chriſti Fideles cujuſcumque conditionis intelligant, a Chriſtiana profeſſione quantum abhorreat, periculi, & ſceleris plena Theatrorum ſpectacula frequentare; viri autem ſolemnibus votis regularis inſtituti, vel ſacris Ordinibus peculiariter Deo mancipati clare agnoſcant, quantum ipſos dedeceat, aut ſcenicos, & hiſtriones agere, aut ſtatus clericalis dignitatem larvarum monſtris deformare.

Datum Romæ in Collegio SS. Baſilii & Caroli ad Catinaros die 6. Octobris 1751.

D. Hieronymus Bugnatus Cler. Regul. S. Pauli Congregationum Sacr. Rituum, necnon Sacr. Indulgentiarum, ac Reliquiarum Conſultor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſt. Magiſtro.

F. M. De Rubeis Patr. Conſtantinopol. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſephus Auguſtinus Orſi Sac. Palatij Apoſtol. Magiſt. Ordinis Prædicatorum.

DE

DE PUBLICIS SPECTACULIS

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

Lectorum præjudicia in anteceſſum præoccupantur. Communis Theologorum non Catholicæ Religionis modo, ſed Lutheranæ quoque ſectæ doctrina hoc in opere propugnatur adverſus hodierna Theatra.

TAntæ invidiæ, odiique plena eſt cauſa tractanda, ut antequam ipſam ingrediar, admonere lectorem magnopere interſit, me hocce in opere non privatam aliquam, aut paucorum, ſed communem, certam, atque luculentiſſimam cujuſcumque ætatis Theologorum non Catholicorum modo, ſed vel ipſius Lutheranæ ſectæ, atque ſapientum Ethnicorum doctrinam propugnaturum fore. Eo infeliciſſimo ſæculo, omnium antecedentium fæce, vitam degimus, quo vel ipſa prima Evangelicæ doctrinæ capita, quæ mores, & humanas appetitiones intra honeſtatis terminos coercent, opiniones æquo rigidiores quorumdam Rigoriſtarum, ut ipſi ajunt, intrepide reputant. Quæ directe & hoſtiliter cum Chriſtiana profeſſione pugnant, conſuetudinis larva induunt, & cum reformare ad legum divinarum amuſſim hominum mores nequeant, leges moribus & turpiſſimis corruptelis attemperant, *Theologiæ Accommodatitiæ* beneficio. Quamobrem germana Chriſtianæ profeſſionis imago, & Evangelicæ doctrinæ effigies in plurimis aut uſquequaque obſcurata, aut penitus abolita jacet.

II. Quemadmodum autem nulla eſt corruptela tam Evangelicæ Morali exitialis, & pernicioſa, & hominum ſenſibus demulcendis blandiendiſque tam idonea, ac Theatrica voluptas: ita nullus occurrit abuſus, quem majori conatu, verſutioribus commentis, & ſagaciori aſtutia ab omni pravitatis labe purgare mundani homines ſtudeant. Et eo res iſta pervenit, ut vel ipſi honeſti probique Eccleſiaſtici non pauci votorum ſolemnitate Deo addicti, nedum mundani homines, Theatrorum frequentiam tamquam honeſtum, & innocens ſolatium exiſtiment, & pugnaciſſime defendant. Quare operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi ipſo diſputationis initio altius defixa præjudicia convellerem, fidemque oppignorarem meam, nonniſi communem, certamque doctrinam hac in controverſia me defenſurum fore.

III. Ut porro obligatam fidem liberem; hanc inſiſtam viam. Primum Synopſim Theatricæ Hiſtoriæ paucis perſtringam. Poſt Patrum doctrinam, qua ipſi Theatra omnia execrati ſunt, perſpicue exponam. Verum quia Comœdiarum, & Hiſtrionum patroni & defenſores, in Evangelicam doctrinam, atque in ipſam ad hoc quod attinet, profanam eruditionem mentis aciem non ſatis intendentes, ætatis noſtræ Theatra toto genere ab antiquis differre, illaque turpia & laſciva, hæc pudica, & honeſta aſſerere minime erubeſcunt: idcirco poſt Patrum doctrinam enucleatius turpitudinis, obſcœnitatis, & hujuſce ætatis Theatrorum notiones dabo; & evincam non minus hodierna, quam antiqua Theatra obſcœna, laſciva, & turpia eſſe. Aliud quoque præcludam effugium illorum, qui cum ſenſui communi penitus non renuntiaverint, adverſari Chriſtianæ profeſſioni Theatra noſtra negare omnino non audent; contendunt tamen lethalis culpæ damnari Theatrorum ſpectatores ſine temeritate non poſſe: quia, inquiunt, trutinæ iſtæ, quibus malitiæ theatricæ gravitas ponderetur; obviæ minime ſunt. Revera Diſſertationem hanc adornaveram, quin diſtinctionis peccati mortalis a veniali meminiſſem, contentus patefacere, peccare quidem Chriſtianos, qui Theatra frequentant; miſſa diſputatione de criminis qualitate, & gradu. Hanc moderationis legem mihi præſtitueram, tum quod Scripturæ ſanctæ, Patres, & Concilia abſtinendum a peo-

peccato abſolute inculcent, perraro facta diſtinctione peccati mortalis a veniali: tum quod ſæpe imbecillem mentem noſtram latent malitiæ confinia, & gradus, quamvis manifeſta & evidens ſit actionis pravitas. Æque autem peccandi periculo ſe objiciunt qui gravem, ac qui levem in dubia diſputatione malitiam definire non reformidant. Illud vero penes omnes exploratum, compertumque eſt, lethaliter illos peccare qui certi de actionis iniquitate, dubii vero de ejuſdem vel levitate, vel gravitate, illam ſcienter, & deliberate, dubitatione non poſita, exequi temere audent. Si porro ab eruditis oppoſitoribus percuncteris, habeant ne ipſi bilances quibus trutinent venialem theatricæ voluptatis malitiam, obmuteſcant, ut piſces, oportet, quoniam ſi Divinæ Scripturæ, ſi Patres, ſi Concilia non decernunt malitiam eſſe mortalem; neque definiunt eſſe venialem. Peccant ergo, nemine diſſentiente, lethaliter, ſi ipſi certi de malitia, & ambigui ancipiteſque de criminis qualitate, Theatra illa frequentant, quæ exitioſa, & Baptiſmatis profeſſioni infeſta confitentur.

IV. Ceterum divina providentia diſponente contigiſſe exiſtimo, ut ipſi hanc controverſiam excitarent. Occaſioni quippe id mihi fuit, quo ſeverius expenderem, & documenta diligentius conquirerem, unde cum graves Theologi, tum benigniſſimi Caſuiſtæ inferunt peccare mortaliter Theatrorum ſpectatores. Certi ergo ſint, atque ſecuri lectores benevoli, nihil a me propria ſententia & auctoritate in hac controverſia decernendum fore. Quid? adverſus corruptelæ torrentem uſquequaque inundantem, & ſecum vel ipſos probos, eruditoſque viros abripientem, ego miſellus homuncio inſurgam, & aggeres objiciam? Inſania non vacaret auſus adeo temerarius. In id ergo dumtaxat incumbam, ut aberranti multitudini communem cujuſcumque ætatis Patrum, Conciliorum, Theologorum tum Eccleſiæ Catholicæ, tum Proteſtantium, tum Ethnicorum luculentiſſimam doctrinam opponam. Præjudiciis igitur poſitis, eam indifferentiam lector ſubeat, qua opus eſt, ut rectum proferre judicium valeat, num promiſſa mea exacte perſolverim.

V. Duo in anteceſſum præmitto. Primum peccata indicabo, quæ communiter contingere, & patrati in Theatris publicis ſolent. Num poſtea, evenire interdum poſſit, ut aliquis ſine culpa ſaltem gravi ſpectare Comœdias valeat, ſub finem Diſſertationis in examen adducam. Quod ideo præmoneo, quia multi ex fortuito, & perraro eventu regulam inferunt abſolutam quod, quam ſit abſurdum, nemo non videt. Secundo Theatrorum ſpectatores tribuo in claſſes quatuor. In prima colloco juvenes fere omnes, & provectos plurimos, qui carnalis voluptatis amore capti, & veneris lue polluti Comœdias ſpectant ut concupiſceutiæ opportuna flabella. In ſecunda eos conſtituo, qui illuc conveniunt, non ut concupiſcentiam, quæ fore jam ſaturata, & ob inveteratam conſuetudinem feſſa, & exſucca languet, ſuccendant, ſed ut oculos chorearum artificio, & aures muſicæ, cantuſque ſuavitate demulceant, quemadmodum illi lurcones, qui poſt lautum convivium bene ingurgitati, aliquibus bellariis & liquoribus labia & palatum titillant. Tertiæ claſſis illi ſunt, qui Theatra adeunt, non ut cantum, vel muſicam, vel Tragœdias, Comœdiaſque audiant, vel ſaltatrices ſpectent, ſed ut amaſiunculas ſuas elegantiſſime, ne dicam laſciviſſime comptas viſitent, eaſdem alloquantur, & cum eiſdem in ſuis pulpitis velitationes inſtituere amatorias, videri, & videre interdum tactiones, & tactiunculas, & tenerrima colloquia miſcere mutuo valeant. Iſti neque cantum, neque muſicam, neque choreas, neque Mimos aut Mimas curant. Et quidem jure. Nam quis eſt tam fatuus, qui fictas perſequi voluptates velit, cum habeat, unde ſaginare revera ſuas appetitiones & ſenſus poſſit? Quartæ tandem claſſis ſunt pauci, qui illuc conveniunt, ut tempus fallant, ut aliquod cum amicis negotium tractent, ut videant, & curioſitati indulgeant, & aliquam pulchram, & dulcem cantilenam audiant. Num iſti omnes, alii ex uno, alii ex altero capite delinquant, diſquiram, & expendam.

VI. Tandem omnes, qui lecturi hoc opus ſunt, enixe rogo, obteſtorque, ut alterutrum præſtent: nempe aut in certamen deſcendant, & ſcripto, non ore; veritatis doctrina, non linguæ conviciis, & impoſturis evincant, palamque Reipublicæ litterariæ faciant, doctrinam hanc

meam

meam improbabilem, falſam, vel æquo rigidiorem eſſe: & ad hoc quod attinet, illos provoco, urgeoque, ſponſione facta, ſinceræ, non fictæ Retractationis: aut ſi præſtare hoc nequeant, deſinant garrire in circulis, blaterare in officinis, muſſitare in palatiis, & Matronarum, imperitorumque auribus inſuſurrare, doctrinam hanc ex ipſo Evangelio, & Patrum choro ſponte manantem, commentitii Rigoriſmi labe inquinatam eſſe. Sed, veritate deprehenſa, reſipiſcant, & hanc ſe hactenus vel ignoraſſe, vel diſſimulaſſe fateri ad majorem Dei gloriam non dedignnetur. Quod ſi præſtare neutrum velint, hoc ſaltem non prætermittant: alto videlicet ſilentio contemnant librum iſtum. Quid quæſo eſt, quod contra eumdem ciere turbas, concitare barbatulos, & cælum terramque miſcere debeant? Si liber iſte miles eſſes, qui gladio diſtricto Theatrorum januis alliderct, excubiaſque ageret, ut ingredientes arceret; merito conclamarent ad arma. Sed jacet iſte in Bibliopolæ officina ſolus, neminem aggreditur, nulli moleſtus eſt. Si diſplicet, illum derelinquant tamquam blattis tineiſque paſcendis opportunum. Arcanum nobis ediſſerant. Cur tot libris veneficis, qui primis Evangelii capitibus inſidias ſtruunt, benigniſſime parcitur? Contra, adverſus libros, qui Evangelicam promovent Sanctitatem, qui æternum ſalutis negotium agunt, continenter muſſitatur, & clamitatur? Quænam iſtius diverſitatis ratio? Forſitan quod veritas in apricum traducta percellit, mordet, angit, & iniquitatem viro Chriſtiano, viro Eccleſiaſtico indignam exprobrat? Forſitan quia locum obtinuit, quod S. Auguſtinus *lib. de decem Chord. cap.* 4. ſcribit? *Sermo Dei adverſarius tuus eſt, quia contraria jubet, quam tu facis . . . . . Quia adverſarius eſt Sermo Dei qui jubet; timeo, ne ego adverſarius ſim QUIBUSDAM, quia hæc loquor.*

CAPUT II.

Specimen Hiſtoriæ Spectaculorum.

I. ERuditus P. *Le Brun* Gallico Idiomate Opuſculum edidit, in quo originem, progreſſum, & vices Theatrorum deſcribit. Hoc autem ſecundo capite pauca ego, ad Hiſtoriam quod attinet, delibabo. Et ut eorum, quæ dicturi ſumus, notio quædam habeatur, ſpectacula ſunt ſenſuum lenocinia, & oblectamenta. Eo enim hæc pertinent, ut oculos, aures, alioſque ſenſus demulceant, excantent, faſcinentque. Duo primum Spectaculorum genera. Alterum corporum vires exercebat; alterum ſpiritus recreabat. Illud in Circo equorum curſu, beſtiarum, & Athletarum conflictu peragebatur. Hoc in Theatro ſub umbra, unde *Scenæ* nomen prodiit, fiebat, ubi comœdias, & tragœdias repræſentabant Actores, qui *Tragœdi*, & *Comœdi* appellabantur. Actores illos etiam *Hiſtriones* vocabant Romani, ut obſervat T. Livius. Qui vero ſolis geſtibus res prodebant, *Mimi*, & *Pantomimi* denominati ſunt, quos Horatius *Satyros* appellat. Generatim, qui in Theatro quidquam agebant, *Scenici*, *Ludiones*, *Periti artis ludicræ*, quemadmodum reipſa dicitur *Ars ludicra*, *Ars Theatralis*, *Ars Scenica*, *Ludi Scenici* vocari cœpti ſunt. Comœdiarum aliæ *Togatæ* a Romanorum Toga, aliæ *Palliatæ* a Græcorum Pallio, aliæ *Atellanæ* a Villa Tuſciæ, ubi primum inventæ fuere, dictæ ſunt.

II. Tacitus teſtatur ante Pompejum ludos theatrales perraros fuiſſe: nec locus iiſdem deſignatus habebatur; ſed data occaſione in tempus ſcena ſtruebatur. *Quippe Pompejum incuſatum a Senioribus, quod manſuram Theatri ſedem poſuiſſet. Nam ante ſubitariis gradibus, & ſcena in tempus ſtructa, ludos edi ſolitos, vel, ſi vetuſtiora repetas, ſtantem populum ſpectaviſſe: ne, ſi conſideret, Theatro dies totos continuaret. Cæterum everti per accitam laſciviam, ut quod uſquam corrumpi, & corrumpere queat, in Urbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis juventus, gymnaſia, & otia, & turpes amores exercendo*: lib. 14. cap. 20. *Annal.* Anno itaque V. C. 699. & quinquageſimo ante Chriſti nativitatem, primum ex lapidibus Theatrum Roma habuit. Secundum Auguſto imperante anno V. C. 743. excitatum fuit, quo tempore tertium Balbus erexit. Tiberius, Auguſti ſucceſſor, ſpectaculis infenſus, niſi populi tumultum veritus eſſet, Theatra abſtuliſſet. Ejus imperio pulſi Italia Hiſtriones fuere, quos Cajus Caligola,

omnium impiorum nequiſſimus, revocavit. Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius impotenter Theatra adamarunt. Domitianus, quamquam non ſecus ac anteceſſores ſui, Theatris faverit, attamen *interdixit Hiſtrionibus Scenam*, inquit Svetonius, *intra domos quidem exercendi artem jure conceſſo*. Cavit quoque ne Equites Romani theatralibus ludis intereſſent, id gravi perſona indignum reputans. Trajanus in Theatrum redire Hiſtriones, ideſt Saltatores, & Pantomimos, juſſit. Antoninus Pius, ſin ſuſtulit, coercuit tamen Theatrorum frequentiam, Actorumque aureas penſiones diminuit. Commodus Marci Aurelii ſucceſſor, pravitatis monſtrum, ludos theatrales non modo fovit, ſed libidine, & impudicitiis publicis fœdavit. Iſtius profligatos, perditoſque mores imitatus eſt Helliogabalus, qui comœdum egit, & nefanda impuritate lubrica, & obſcœna in Theatro repræſentavit. Alexander Severus paullulum Scenæ impudentiam temperavit, quam deinceps laxavit *Carinus*, *homo* (inquit Vopiſcus) *omnium contaminatiſſimus, adulter, & frequens corruptor juventutis*. Diocletianus dicere ſolitus erat, ſubdit Hiſtoricus, *caſtiores eſſe oportere ludos, ſpectante Cenſore*. Addit Vopiſcus, honeſtam gentem ejuſmodi ſpectaculis ſemper fuiſſe infenſam. *Et hæc quidem* (ſcribit) *idcirco ego in litteras retuli, quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia ſua, proſcriptis legitimis hæredibus, Mimis, & balatronibus deputarent*.

III. Sed antequam ultra provehor, illud animadvertendum eſt, tribus hiſce prioribus ſæculis duo obtinuiſſe Spectaculorum genera; alterum Deorum cultui, alterum populi oblectamento dicatum; ut ſcribit Tacitus *lib.* 14. qui ludos theatrales, in divorum honorem celebratos, ſacros appellat. Quare Spectacula, quæ populi oblectationi, & lætitiæ deſtinata erant, nihil ſapiebant idololatriæ, quam redolebant ea, quæ ſacra dicebantur, quibuſque Sacerdotes præſidebant. Spectacula, ad populi voluptatem inſtituta, non adeo impudica erant, ut vulgus exiſtimat. Impudicæ mulieris Floræ ludos ſemel tantum in anno celebrabant ſolæ effrenatæ meretrices, quibus fæx populi, & canalicolæ aſſidebant, probis omnibus dedecori ſibi ducentibus ſordidiſſimæ adeſſe repræſentationi. Hinc Scriptorum aliqui antiquitatis non ſatis, ut ſibi blandiuntur, periti, occaſione accepta, evulgarunt, Antiquorum comœdias, tragœdiaſque inhoneſtiſſimas fuiſſe: quod tamen falſum eſſe, ludis Floræ exceptis, tum veteres, tum recentes Scriptores teſtantur. Horatius in ſua poetica arte Tragœdiam, ceu Matronam gravem, modeſtamque depingit.

Effutire leves indigna tragœdia verſus,
Ut feſtis Matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.

Quod aliqui Imperatores Ethnici, quos num. 2. recenſui, ſcenas inquinaverint, id ſolum evincit, homines iſtos impudentiſſimos fuiſſe, & pro temporum viciſſitudine Theatra deturpaſſe, ſecus artem ipſam theatricam manifeſta turpitudine, & obſcœnitate infectam fuiſſe, ut fuſius infra explicabitur. Quare P. Petrus *Le Brun* in ſuo citato de Theatris tractatu refert P. Rapin docentem hodierna Theatra mollia eſſe, & effeminata, quæque cum antiquis Paganorum collata inhoneſta ſunt, atque impudica. Et ſane Senecæ Tragœdiæ, quas ſolas ex antiquis habemus, recentiorum Poetarum tragœdiis caſtiores ſunt, atque honeſtiores. Quid, quod Plautus ipſe, qui in ſuis comœdiis præ ceteris lubricus fuit, & ſordidus, ut ſpectatores alliciat ad Theatrum, iiſdem ſpondet in captivorum prologo recitandam fabulam non eſſe, ut cetera ſua opera impudicam, ſed caſtam, atque pudicam.

Profecto expediet fabulæ huic operam dare,
Non pertractate facta eſt, neque item ut cetera,
Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles.

Plauto itaque compertum erat, majori in pretio comœdias illas in ſuo etiam tempore haberi, quæ caſtitatem, honeſtatem, atque pudorem præferebant. Quapropter honeſtiores Terentii comœdias magni ſemper fecerunt Antiqui, & Moderni. Quippe eo Terentius ſpectabat, ut vitia corrigeret, moreſque formaret, minime vero ut impudicos affectus

ctus cieret; quemadmodum in ejuſdem Epitaphio legitur.

Natus in excelſis tectis Carthaginis altæ,
Romanis ducibus bellica præda fui.
Deſcripſi mores hominum, juvenumque, ſenumque,
Qualiter & ſervi decipiant dominos.
Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus.
Hæc quicumque legit, ſic puto, cautus erit.

Imperator Conſtantinus, Chriſtianam Religionem amplexus, Ethnicorum templis, & ſpectaculis bellum indixit; eadem tamen prorſus tollere minime valuit, ut colligitur ex Euſebio, qui ſcribit, in obitu Imperatoris, *publica ſpectacula, & quacunque alia vitæ oblectamenta homines in otio degentes conſectari ſolent, remota fuiſſe*. Ab ejuſmodi ſpectaculis abſtinuiſſe Chriſtianos, eruitur ex Imperatore Juliano Apoſtata, qui Idolorum Sacerdotes hortatus eſt, ne Theatra Galilæorum more adirent. *Deinde Sacerdotem quemquam hortare, ne accedant ad Theatra*. Epiſt. ad Arſac. pag. 430. edit. Span. Eccleſia tranquillitate donata plures adverſus ſpectacula conditæ fuere leges, quas iſthuc tranſcribere congruum reputamus. Imperatores Valentinianus I. Valens, & Gratianus anno 371. hanc tulerunt legem, quæ habetur Cod. Theodoſ. 15. titul. 7. leg. pag. 361. *Scenici, & Scenicæ, qui in ultimo vitæ, neceſſitate cogente interitus imminentis, ad Dei ſummi Sacramenta properarunt; ſi fortaſſis evaſerit, nulla poſthac in Theatralis Spectaculi conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti obſervari, ac teneri ſanctione jubemus, ut vere in extremo periculo conſtituti, id pro ſalute poſcentes (ſi tamen Antiſtites probant) Beneficii conſequantur*. Alias leges tulerunt an. 380. quæ habentur eodem Codice tit. 7. l. 4. pag. 365. *Mulieres, quæ ex viliori ſorte progenitæ ſpectaculorum debentur obſequiis, ſi ſcenica officia declinarint, ludicris miniſteriis deputentur; quas necdum tamen conſideratio ſanctiſſimæ Religionis & Chriſtianæ legis reverentia ſuæ fidei mancipavit: eas enim, quas melior vivendi uſus vinculo naturalis conditionis evolvit, retrahi vitamus*. Hæc lex Mediolani data fuit, fortaſſis Ambroſio inſtante; quæque Aquilejæ anno 381. renovata fuit, & habetur *tit. 7. l. 8. pag.* 370. Anno 386. Theodoſius Magnus vetuit, ne Judices ludis theatralibus intereſſent, illis diebus exceptis, in quibus natus, & Imperii ſceptra ipſe tenuit, ut habetur Tit. 5. l. 2. pag. 350. *Nullus omnino Judicum aut theatralibus ludis, aut Circenſium certaminibus, aut ferarum vacet, niſi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel Imperii ſumus ſceptra ſortiti: hiſque ut ante meridiem tantum ſolemnitati pareant; poſt epulas vero ad ſpectaculum redire deſiſtant: in qua tamen omnes Judices, ſive privati nihil penitus auri præmio dandum eſſe cognoſcent.*

IV. Honorius, & Arcadius Imperatores anno 339. omnia ſuperſtitionis Paganicæ templa dirui præceperunt. *Si quæ in agris templa ſunt, ſine turba, ac tumultu diruantur. His enim dejectis, atque ſublatis, omnis ſuperſtitionis materia conſumetur*. Cod. Theodoſ. 16. tit. 10. leg. 16. Et anno 414. & circiter ſola Chriſtiana Religio omnes Imperii dignitates exercebat; ſolaque templa habuit precibus communibus deſtinata. Spectacula tamen de medio tollere omnino haud judicarunt conſentaneum Imperatores. Arcadius anno 399. *Cod. Theod.* 15. *tit. 6. leg.* 2. ait: *Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia horum reſtrictione triſtitia generetur*. Idem dicit Honorius in Occidente tit. 10. l. 16. leg. 17. *Ut profanos ritus jam ſalubri lege ſubmovimus, ita feſtos Conventus Civium & communem omnium lætitiam non patimur ſubmoveri. Unde abſque ullo ſacrificio atque ulla ſuperſtitione damnabili exhibere populo voluptates, ſecundum veterem conſuetudinem, inire etiam feſta convivia, ſi quando exigant publica vota, decernimus.*

V. Leges iſtæ minime impedierunt, quin Sancti Epiſcopi adverſus ſpectacula declamarent. Epiſcopi Africani in Concilio anno 399. vel, ut Baronius contendit, anno 401. celebrato, duo inter alia ab Imperatore poſtularunt. Primum, ne diebus feſtis in viis, plateiſque ſaltationes fierent. *Maxime* (inquiunt) *cum etiam in natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas Civitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident.*

dent. Quibus diebus etiam, quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exerceant, ut matronalis honor, & innumerabilium feminarum pudor devote venientium ad ſacratiſſimum diem injuriis laſcivientibus appetatur. Secundum, ne diebus Dominicis ſaltem, & aliis ſolemnitatibus Chriſtianæ Religionis theatrales ludi celebrarentur. *Nec non & illud petendum, ut ſpectacula Theatrorum, ceterorumque ludorum die Dominica, vel ceteris Religionis Chriſtianæ diebus celleberrimis amoveantur.* Hoc idem pro Mediolanenſi Civitate obtinuerat Ambroſius. Et Theodoſius junior anno 425. hanc tulit legem, quæ eſt 5. lib. 15. tit *de Spectaculis*. *Dominico (qui Septimanæ totius primus eſt, dies) & Natale, atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchæ etiam, & Quinquageſimæ diebus, quandiu cæleſtis lumen lavacri imitantia novam ſancti Baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur, quo tempore, & commemoratio Apoſtolicæ paſſionis, totius Chriſtianitatis Magiſtræ a cunctis jure celebratur, omni Theatrorum, atque Circenſium voluptate per univerſas Urbes eorumdem denegata, ut totæ Chriſtianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.*

Carthaginenſes tanta inſania erga theatrales ludos abripiebantur; ut tandem ſola Dei vindicta Wandalorum gladio executioni demandata, abuſum, omnium malorum fontem, delere potuerit. Severam, ac tragicam punitionem tetris coloribus depingit Salvianus lib. 6. pag. 133. *Quis æſtimare hoc malum poſſit? Circumſonabant armis muros Cirthæ atque Carthaginis Populi Barbarorum; & Eccleſia Carthaginenſis inſaniebat in Circis, luxuriabat in Theatris . . . . . Fragor, ut ita dixerim, extra muros, & intra muros præliorum, & ludicrorum; confundebatur vox morientium, voxque bacchantium; ac vix diſcerni forſitan poterat plebis ejulatio, quæ cadebat in bello, & ſonus populi, qui clamabat in Circo.*

VI. Concilium Arelatenſe, celebratum anno 452. juxta Sirmondum, renovavit excommunicationem, quæ in primo Concilio anno 314. lata fuit in Theatricos. *De Theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, a communione ſeparari.* Can. 5. Non ideo tamen Theatra ceſſarunt. Nam D. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis ſexto ſæculo invectus eſt adverſus theatrales ludos, ut docet Cyprianus Epiſcopus Tolonenſis. Cur Sancti Pontifices Imperantibus Magiſtratibus Chriſtianis non effecerint, ut Theatra penitus diruerentur, Gelaſius Papa reſpondet. *Ego negligentiam accuſare non audeo Prædeceſſorum, cum magis credam fortaſſe tentaſſe eos, ut hæc pravitas tolleretur, & quaſdam extitiſſe cauſas, & contrarias voluntates, quæ eorum intentiones præpedirent.* Hic Pontifex Theatrorum abuſum præcidit, ut advertit Eunodius Papienſis in ſuo Apologetico apud Baronium anno 496. Verum paucis poſt annis Theatra iterum aperta fuere. Nam Theodoſius Italiæ Rex hæc de Theatris pronunciavit. *Mores autem graves in Spectaculis quis requirat? Ad Circum neſciunt convenire Catones. Quidquid illic gaudenti populo dicitur, injuria non putatur. Locus eſt, qui defendit exceſſum.* Caſſiodorus *lib.* 1. *Epiſt.* 27. & clarius validiuſque idem Rex apud eumdem Caſſiodorum *lib.* 3. *Epiſt.* 51. adverſus ſpectacula invehitur. *Spectaculum expellens graviſſimos mores, invitans leviſſimas contentiones, evacuatio honeſtatis; fons irriguus jurgiorum, quod vetuſtas quidem habuit ſacrum, ſed contentioſa poſteritas fecit eſſe ludibrium.* Cur ergo ea non ſuſtulit? Reſpondet: *Hæc nos fovemus neceſſitate populorum. Expedit interdum deſipere, ut poſſimus populi deſiderata gaudia continere.* Vide *Epiſ.* 31. *lib.* 1. Spectacula Romæ omnino ceſſarunt ſub Juſtiniano Imperatore, quando præcipua ædificia diruta fuere.

VII. Ethnicorum Auctores plurimi Theatra improbarunt. Ovidius in ſua ad Auguſtum Apologia *lib.* 2. *Triſt.* hæc ſcribit.

> *At tamen hoc fatear, ludi quoque ſemina præbent*
> *Nequitiæ: tolli tota Theatra jube.*

De arte amandi *lib.* 1. Theatra ſcopulos vocat impudicitiæ, quo mulieres concedunt, ut ſpectent, ſpectenturque.

> *Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.*
> *Ille locus caſti damna pudoris habet.*

De remed. amoris *lib.* 2.

> *At tanti tibi ſit non indulgere Theatris*
> . . . .
> *Enervant animos citharæ, cantuſque, lyræque,*

Et

Et vox, & numeris brachia mota ſuis.

Ovidius haud erat ſeverioris Ethicæ regulis addictus. Valerius Maximus *lib.* 2. *de Spec. cap.* 4. deſcribit damna quæ Romanis Theatra intulere, & laudat *cap.* 6. Maſſilienſes, quod Mimos recipere nollent. *Ne talia ſpectandi conſuetudo imitandi licentiam ſumat.*

Tacitus *lib.* 4. *cap.* 8. *Annal.* narrat Romanorum Sapientiores deteſtatos fuiſſe comœdos, comicoſque, quos e Græcia non pauci conquiſiere. *Vix artibus honeſtis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum pudicitia, modeſtia, aut quidquam boni retinebitur.*

Seneca Epiſt. 7. *Nihil vero tam damnoſum; quam in aliquo Spectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt. Quid me exiſtimas dicere? Avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior.* Juvenalis deridendos Romanos propinat; quod cum olim nationes ſibi ſubjugaverint, nunc ventri, & ſpectaculis indulgeant.

CAPUT III.

Patres ſpectacula improbant, & quod Idololatriam ſapiant, & quod ad luxuriam provocent. Mens Tertulliani fuſius exponitur.

I. HActenus pauca delibavi, quæ ad hiſtoricam eruditionem attinent. Nunc ad cauſam ipſam propius accedo, & doctrinam Sanctorum Eccleſiæ Patrum adverſus Theatra ſincere exponam. Omnes, quorum intereſt Comœdiarum uſum vigere, in id potiſſimum ſuas conferunt ſtudia, ut honeſtatis coloribus eaſdem depingant. Et quamquam Chriſtiani Poetæ, vel modeſtiores cum ſua lucubrant Comœdias, Ethnicorum *Terentii*, & *Plauti*, aliorúmque ſibi imitanda proponant exemplaria, in quæ tam acriter Patres invecti ſunt; nihilo ſecius contendunt, Patres Gentilium ſpectacula quædam idcirco improbaſſe, aut quod Idololatriam, & ſuperſtitionem ſaperent, aut quod Mimi, & Pantomimi impudicis geſticulationibus turpia facta referentes, eadem inquinarent. Nos vero in præſentia oſtendemus, Patres Sanctos omnia ſpectaculorum genera improbaſſe. Et in primis quatuor generatim rejiciunt, ut obſervat Jacobus Pamellius in notis *ad lib. Tertull. de Spect.* nempe ludos Circenſes in Circo, artes Scenicas in Theatro, Agones in ſtadio, & Munera, Venationes, ſeu gladiatorios ludos in Amphitheatro. Deinde ſingillatim Comœdorum, Tragœdorum, Mimorum, & Pantomimorum ludicras, obſcænaſque actiones execrantur. Nunc ego antiquiorum dumtaxat Patrum, qui opponi ſolent, ſenſa expendam.

II. Non deſunt, qui evulgant, *Pios*, & *Religioſos* homines maximo affici dolore adverſus Theatra, quod credant, Patres eadem diris devoviſſe. Extant utique in Patrum libris, inquiunt, acres adverſus ſpectacula declamationes; ſed earumdem ſenſus, ratio, & vis comprehendantur oportet. Quoniam tum Scenici ludi haud erant, quemadmodum nunc, ſimplicia ſolatia, & honeſta oblectamenta; ſed falſæ Religionis officia, Idololatriæ labe contaminata. Quæ veritas, præ aliis, comperta eſt *Antiquariis*, qui priſcarum ætatum ſecretiora arcana inveſtigant, & pretioſiora vetuſtatis monumenta ſcrutantur, expenduntque. Id autem ut evincant, auctoritatem opponunt Tertulliani ſcribentis in Apologet. cap. 38. *Æquæ Spectaculis veſtris in tantum renunciamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas.* Si ingenii, & eruditionis ſolummodo res eſſet, eam ſilentio præterirem; at cum Religionis ſit, & pietatis, temperandum mihi non exiſtimavi, quin pro modulo meo, quod cenſeo Chriſtianorum moribus exitiale, patefaciam. Principio itaque ajo, adductam Tertulliani auctoritatem mutilam eſſe, ſi argumentum quo de agitur, ſpectemus. Addit namque Tertullianus, nullo interpoſito verbo: *Quin & ipſis rebus de quibus tranſiguntur, præter ſumus: Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu, cum inſania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xyſti vanitate.* Non ergo ob ſolius ſuperſtitionis originem, ſed etiam ob omnium ſenſuum contaminationem, & crimen impudicitiæ Theatra inſectatur. Quid, ſi iſtic ſolam ſuperſtitionis cauſſam produxiſſet, ubi tantum obiter de ſpectaculis verba facit? Doceant vel ipſi *pii religioſique* homines, qui extremis dumtaxat labiis ſacram ſcientiam deguſtarunt, veram genuinamque Sanctorum Patrum,

&

& quorumque Scriptorum in rebus controverſis intelligentiam ex locis, in quibus non obiter tantum, ſed ex inſtituto controverſiam verſant, hauriendam eſſe. Porro Tertullianus librum integrum in 30. *Capita* tributum de *Spectaculis* elucubravit. Et eruditi antiquitatis cultores truncatum textum ex Apologetico ejuſdem nobis opponunt?

III. Quoniam vero ad Tertullianum cauſam hanc appellant, primum omnium Patrum Tertulliani doctrinam expendendam ſuſcipio. Is in præfato *libro de Spectaculis* primis duodecim capitibus Spectaculorum originem, loca, diverſitatem, Numina varia, quibus erant dicata, idque genus ſimilia recenſet, hiſque titulis omnibus abſtinendum ab illis evincit. Deinde *cap.* 13. concludit his verbis. *Satis opinor, implevimus ordinem: quot, & quibus modis Spectacula Idololatriam committant, de originibus, de titulis, de apparatibus, de locis, de ſacrificiis quidem certi ſumus nulla ex parte competere nobis ea, qui bis Idolis renunciavimus.*

IV. His peractis, alia prorſus via Spectacula adoritur, & totam reliquam libri partem eo collineat, ut demonſtret, fugienda eſſe Theatra ob id potiſſimum, quod aut ad impudicitiam, libidinem, voluptatem, mollitiemque provocent; aut ſævitiam, feritatem, odium, vindictam, æmulationem, ſuperbiam in ſpectatorum animis concitent. Audiamus ipſum Tertullianum, qui ſuum cap. 14. ſic auſpicatur.

V. *Nunc interpoſito noſſe Idololatriæ, quod ſolum ſubjectum ſufficere debet ad abdicationem ſpectaculorum: alia jam ratione tractemus ex abundanti propter eos maxime, qui ſibi blandiuntur, quod non nominatim abſtinentia iſta præſcripta ſit, quaſi parum etiam de Spectaculis pronuncietur, cum concupiſcentiæ ſæculi damnantur* Joan. 1. 2. *Nam ſicut pecuniæ vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ, ita & voluptatis concupiſcentia eſt; ſpecies autem voluptatis etiam ſpectacula, opinor, generaliter nominatæ concupiſcentiæ continent in ſe, & voluptates: æque generaliter intellectæ voluptates ſpecialiter, & in Spectacula diſſeruntur. Ceterum retulimus ſupra de locorum conditione, quod non per ſemetipſa nos inquinent, ſed per ea quæ illic geruntur, per quæ ſimul inquinamentum combiberint, tunc & in alteros reſpuunt.* Quid quod vel ipſe Cn. Pompejus, qui primus manſuram Theatri ſedem excitavit, præſentiens reprehenſionem prudentum, a quibus magnam ſperabat laudem, ac ſi Theatro conſtituto, turpitudinis officinam inſtruxiſſet, Veneris Templo Theatrum quaſi appendicem adjunxit, ut hoc circuitionis fuco ſuæ conſuleret famæ: inquit cap. 10. Tertullianus. *Itaque Pompeus Magnus ſolo Theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, ſed Veneris Templum nuncupavit: cui ſubjecimus* (inquit) *gradus Spectaculorum. Ita damnatum, & damnandum opus Templi titulo prætexuit, & diſciplinam ſuperſtitione deluſit.*

VI. Sed ut magis palam fiat Tertulliani, aliorumque Patrum mens in hac controverſia, pauca quædam Chriſtianæ Religionis capita, ſeu fundamenta jacienda ſunt, quæ forſitan non omnibus Antiquariis, ſed Theologis, præ aliis, quibus eſt cæleſtium arcanorum explanatio concredita, ſunt explorata. Primum, quod omnes voluptates, ſolatia, & oblectamenta, quæ referri in Dei gloriam nequeunt, Chriſtianis vetita ſunt. Ea vero omnia, quæ Deo placita non ſunt, nec referri ad eum valent, illi ſane diſplicent; & quæ illi diſplicent, diaboli ſunt, & inter diaboli pompas computantur: quæ omnia idololatriam ſapiunt, quæque omnia in Baptiſmatis profeſſione ejuravimus. Hoc principium paucis explicat Tertullianus cap. 24. *Nihil enim non diaboli eſt, quidquid Dei non eſt, vel Deo diſplicet, hoc erit pompa diaboli, adverſus quam in ſignaculo fidei ejeramus, neque facto, neque dicto, neque proſpectu participare debemus.* Alterum eſt quod cum tam ſevere impudicitia quæque vetita Chriſtianis ſit, idcirco ea omnia declinare debent, quæ caſtitati contraria ſunt. Nihil autem caſtitati infeſtius, quam Theatra, ait Tertullianus cap. 17. *Similiter impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam a Theatro ſeparamur, quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Quod ſi nobis omnis impudititia execranda eſt, cur liceat audire, quæ loqui non licet? Cum*

etiam

etiam ſcurrilitatem, & omne vanum verbum judicatum a Deo ſciamus, cur æque liceat videre quæ facere flagitium eſt?... Habes igitur & Theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ. Poterat ne clarius aſſerere vitita Chriſtianis non ſolum ob Idololatriæ crimen, ut falſo contendunt Antiquarii quidam, verum etiam *ob interdictionem impudicitiæ?* Sed ad principium, quo ille utitur, animum intende. Si de omni verbo otioſo reddenda Deo ratio eſt, quanto magis de Theatrorum dictis, factiſque? Tertium eſt, quod in Theatris humani cordis, animique inclinationes omnes concitantur, motus impotentes, paſſioneſque vehementiores provocantur, irritanturque; quæ omnia fieri lex Evangelica vetat. En verba Tertulliani *cap.* 15. *Omne enim Spectaculum ſine concuſſione ſpiritus non eſt. Ubi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod ſcilicet voluptas ſapit. Ubi ſtudium, ibi & æmulatio, per quam ſtudium ſapit. Porro & ubi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor, & cetera ex his, quæ cum his non competunt diſciplinæ.* Quartum, ſi fabularum ſtudium, ſi Poetarum figmenta, ſæculariſque litteraturæ doctrinæ vix permittuntur Chriſtianis; licitane Spectacula, Theatra, Comœdiæque illis erunt? *Sin & doctrinam ſæcularis litteraturæ* (inquit Tertull. c. 17.) *ut ſtultitiæ apud Deum deputatam, aſpernamur: ſatis præſcribitur nobis, & de illis ſpeciebus Spectaculorum, quæ ſæculari litteratura luſoriam, vel agoniſticam ſcenam diſpungunt. Quod ſi comœdiæ, & tragœdiæ ſcelerum, & libidinum actrices, cruentæ, & laſcivæ, impiæ, & prodigæ nullius rei aut atrocis, aut vilis commemoratio melior eſt &c.* Plura alia principia, quæ tamen ad recenſita revocantur, afferre ex Tertulliano, aliiſque Patribus poſſem; ſed nonnulla paullo infra adjiciam. Nunc præſtat, quæ opponuntur, ſub examen inducere.

VII. Objiciunt duo repræſentationum genera in Antiquorum Theatris diſtinguenda eſſe: alterum, quod eloquio auditum; alterum, quod geſtu oculos demulcebat. Primum in comœdiis, tragœdiis, Atellaniſque, quæ honeſtæ erant oblectationes, peragendis verſabatur. Secundum geſticulationibus, poſituris, corporum motibus, ſaltationibus, ſonitus inter, & cantiones geſta referebat. Geſticulatores, Mimi, & Pantomimi appellabantur. Hæc, non illa ſpectacula, reprobaſſe Patres contendunt. Ceterum, concludunt, quia pauci ingenii acumine, rerumque penetratione ornati reperiuntur, qui varios vocabulorum ſignificatus teneant; idcirco *homines pii, & religioſi* in eum prolapſi ſunt errorem, ut crederent, omnes theatrales ſcenas proſcriptas eſſe. Verum, ut mea præfert opinio, nec profunda penetratione, nec acri ingenio opus iſthic eſt; ſed quiſquis vel levioris armaturæ colligere valet, Patres Sanctos utrumque repræſentationis genus deteſtatos eſſe. Idque evidenter conſtat ex ſolis recenſitis principiis. Ultro fatemur, vehementius invectos fuiſſe Patres in ſordidiſſimas Minorum, & Pantomimorum actiones, fœdiſſimamque Meretricularum nuditatem, in adulteria, in maſculorum concubitus, in fornicationem. Quid inde? Propterea ne non improbarunt interiores voluptates, cogitationes pravas, tactus impudicos, oſcula obſcena? Propterea ne non improbarunt vel ipſum in hæc prolabendi periculum?

VIII. At ne parum univerſalis, minuſque præciſa videatur reſponſio, ex ipſis Patribus diluere objectionem lubet. Nec enim nova oppoſitio iſthæc; ſed in omnium Poetarum, doluptatiſque amatorum ore ſemper fuit. Cum enim homines ardentiſſimo voluptatum, gaudiorum, atque oblectationum deſiderio afficiantur, vires, conatuſque omnes exerunt, ut licitum evincant, honeſtumque quod impotenter cupiunt, & appetunt. Audiamus Tertullianum ipſum, qui omnia, quæ nunc pro Comœdiarum honeſtate afferri ſubtiliter ſolent, acutiſſime ſibi opponit, eademque diluit. *Quam ſapiens* (inquit c. 11.) *argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cum aliquid ejuſmodi de gaudiis, & fructibus ſæculi metuit amittere.* Porro ad objectionem his verbis reſpondet c. 27. *Sint dulcia licet, & grata, & ſimplicia, etiam honeſta quædam.* (An non eſt ipſamet objectio? Audi reſponſum.) *Nemo venenum temperat felle, & elleboro; ſed conditis pulmentis, & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit. Ita & diabolus lethale, quod conficit, rebus Dei gratiſſimis, & acceptiſſimis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu*

 cano-

canora, ſeu ſubtilia, proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de canunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum.

IX. Satis ſuperque hæc forent pro objectæ difficultatis reſolutione. Verum ut magis veritas ſplendeat, & rimæ omnes ad perfugium occludantur, alios cavillos & technas recenſere juvat, quibus voluptatum amatores vel ipſo Tertulliani tempore velum honeſtatis comœdiis prætendere contendebant. Sint, inquiebant illi, Spectacula impudica, immodeſtæ comœdiæ; nos probe honeſteque eiſdem fruimur. Reſpondet Tertullianus c. 14. *Nam, & ſi qui modeſte, & probe Spectaculis fruitur pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt ſine tacita ſpiritus paſſione. Nemo ad voluptatem venit ſine adfectu, nemo adfectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſi caſus incitamenta ſunt adfectus.* Quod ſi quis obfirmate pernegare vellet, ſe nec paſſionem aliquam, nec adfectum, neque adfectus conſequutiones, caſus nempe, animæque ruinam, neque voluptatem ullam in Theatris experiri; hunc alia via aggreditur Tertullianus, reumque ſtultitiæ damnat, quod eo conveniat, ubi nihil ſaporis percipiat nihil commodi. *Ceterum, ſi ceſſat adfectus, nulla eſt voluptas; & eſt reus jam ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil conſequitur.*

X. Tria alia principia, quæ Tertullianus adhibet adverſus Spectacula, breviſſime perſtringam. Primum. Fingam, te nullo adfectu, nulla prorſus tangi voluptate: reus nihilominus criminis es, quod aliis peccantibus adſis, conniveas, tuaque præſentia veluti adjutrices porrigas manus. *Nobis* (inquit Tertullianus cap. 14.) *ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi & talia facientibus non conferamur. Si furem . . . videbas, concurrebas cum eo. Utinam ne in ſæculo quidem cum illis moraremur: ſed tamen in ſæcularibus ſeparamur, quia ſæculum Dei eſt, ſæcularia autem diaboli.* Secundum. Poetæ in ſuis comœdiis, tragœdiis, & tragicomœdiis vix quidquam ſimplicis veritatis abſque falſitatis mixtura efferunt. Grandia portenta, miracula, fabuloſa inventa, eaque omnia, ſive vera, ſive falſa, confingunt, quæ admirationem excitare, mentem animumque defigere, ſpiritum commovere poſſe exiſtimant: atque iis fucis, & figmentis delibuta propinant, illarumque figurarum, troporum, digreſſionumque coloribus depingunt, quibus poſſint ſenſim, & delicate omnium appetituum turbam ciere, affectum, amorem, iram, indignationem, prout varia refert repræſentatio, concitare. Quid de actoribus dicam, qui Poetarum commenta populo elaborato artificio referunt; qui nunc amorem, modo iram, nunc lacrymas, modo lætitiam, nunc ſpem, nunc deſperationem vafre ſimulant, & ementiuntur. Licitane Chriſtianis hæc? quibus ſermo ſimplex, & ingenuus ſit oportet, præcipiente Chriſto: *Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt: non, non*: Matth. 5. v. 37. Hoc quoque argumento utitur Tertullianus, &, latius Auguſtinus, ut infra patebit, ad improbanda Spectacula. Innuit enim Tertullianus c. 23. *Jam vero ipſum opus perſonatum, quæro, an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem Exod. 20. vetat fieri: quanto magis imaginis ſuæ? Non amat falſum auctor veritatis; adulterium eſt apud illum, quod fingitur. Proinde vocem ſexus, ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adſeverantem, non probabit, qui omnem hypocriſim damnat.* Hæc poeticam artem non abſolute, ſed in hunc adhibita finem, hiſque mendaciis pollutam, damnant.

XI. Tertium Tertulliani principium iſtud eſt. Sint Spectacula, quæ propugnas, licita, & honeſta (quod tamen falſum omnino eſt.) Nihil præter caſtitatem, pudorem, verecundiam, ſcelerum deteſtationem, amoremque virtutis redoleant. Non ob id licet Chriſtianis illuc ire. Quoniam ſupereſt adhuc innocentiæ ſeu caſtitatis offendiculum. Quodnam? eſt congreſſus hominum & mulierum, quæ Spectacula, & Theatra amant, ceu opportunam una conveniendi occaſionem. Illuc paſſim concedunt, non tam ut commenta poetica audiant, comœdoſque reſpiciant, quam ut in mutuam coeant ſocietatem: quiſque illic Poeta, & Actor; & quæque Poetria, & Actrix. Nonne experientia conſtat, in veſtium ſplendore, in vultus pigmentis, in colloquiis allegoricis Theatrorum ſpectatores comœdis ſimillimos eſſe? Anne iſthic deſcribam mulierum artificia, quibus, antequam ad Theatrum pergant, caput ſuum, ſpe-

ſpeculum conſulentes, vexant, capillos contorquent, nec ferro, nec igni parcentes, ut crinitæ, cincinnatæ, & criſtatæ appareant, pulverem ſerunt, odores, & unguenta adjiciunt: vultum ſi pulchro nativo colore ornatum habent, qua diligentia naturam adjuvant, ſi deformem, qua arte, quibus fucis, & pigmentis Dei imaginem polluentes non immutant, falſam & illudentem ementientes pulchritudinem? Quid de univerſo corporis ornatu? Quid de muliebri virorum cultu dicam? Quoniam adeo effeminati tandem evaſerunt; ut femellis nec in veſtium vanitate, nec in odorum fragrantia quidquam cedant. Hoc ergo pomparum, vanitatumque exquiſito apparatu ad Theatrum incedunt; una conveniunt, oculis ludunt, geſtu, & lingua loquuntur: dulciſſima amicitiarum fœdera ineunt foventque tenerrimis colloquiis, quibus libidinum ſcintillas excitant, concludit Tertullianus c. 25. *Immo in OMNI Spectaculo nullum magis SCANDALUM occurret, quam ipſe ille mulierum, & virorum accuratior cultus, ipſa conſenſio: ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in Spectaculo ineundo prius cogitat, niſi videri, & videre.* In omni mulierum, & virorum converſatione extra ipſa Theatra, & Spectacula, hæc omnia contingere poſſunt, tu inquis; & ego ajo, reapſe plerumque contingere, ſi converſatio frequens ſit, & familiaris. Sed quid inde? Iſtud ego argumentum in medium protuli, ut evincerem, Tertullianum Spectacula omnia deteſtari non ob id tantum, quod confictis Numinibus dicata ſint, quod idololatriam ſapiant, quod Mimorum & Pantomimorum geſticulationibus inquinentur; ſed potiſſimum ob cetera, & potiora momenta, quæ deſcripſimus. Quin nec Tertullianus, nec ceteri Patres æque exprobrant Chriſtianis idololatriam, vel periculum in eamdem prolabendi, ac exaggerant crimina impudicitiæ, libidinum, omniumque virtutum contaminationem. Ex his omnibus Tertullianus colligit concluſionem, quæ Chriſtianæ profeſſionis ſumma eſt, nempe Chriſtianorum oblectationes, delicias, & ſpectacula eſſe ſanctitatem vitæ, integritatem morum, carnis conflictationem, jejunia, lacrymas, cilicia, delictorum pœnitentiam, voluptatum, & ipſius Mundi contemptum: ſoli vero Deo, ceu noſtræ felicitatis centro, adhærere, & ipſius extremum adventum commeditari. *Noſtræ cœnæ* (inquit a cap. 28. uſque ad finem) *noſtræ nuptiæ nondum ſunt: non poſſumus cum illis diſcumbere, quia nec illi nobiſcum. Vicibus diſpoſita res eſt, nunc illi lætantur, nos conflictamur.* Sæculum *inquit Joan.* 16. gaudebit, vos triſtes eritis. *Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut quum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis, immo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem.* Item cap. 29. *Quid enim jucundius, quam Dei Patris, & Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam faſtidium voluptatis, quam ſæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conſcientia integra... Hæ voluptates, hæc Spectacula Chriſtianorum, ſancta, perpetua, gratuita...* Item cap. 30. *Quale autem Spectaculum in proximo eſt adventus Domini jam indubitati, jam ſuperbi, jam triumphantis? Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria reſurgentium Sanctorum! Quale Regnum exinde juſtorum? Qualis Civitas nova Jeruſalem? At enim ſuperſunt alia ſpectacula, ille ultimus, & perpetuus judicii dies ille nationibus inſperatus, ille deriſus, cum tanta ſæculi vetuſtas, & tot ejus nativitates uno igne haurientur. Quæ tunc Spectaculi latitudo? Quid videam? Ubi gaudeam, ubi exultem, ſpectans tot ac tantos Reges, qui in Cœlum recepti nunciabantur, cum ipſo Jove, & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes? Item Præſides, perſequutores Dominici ſanguinis, ſævioribus, quam ipſi contra Chriſtianos ſævierunt, flammis inſultantibus liqueſcentes? Præterea Sapientes illos Philoſophos coram diſcipulis ſuis una conflagrantibus erubeſcentes, quibus nihil ad Deum pertinere ſua dicebant, quibus animas aut nullas, aut non in priſtina corpora redituras adfirmabant? Etiam Poetas non ad Rhadamanthi, nec ad Minois ſed ad inopinati Chriſti Tribunal palpitantes: tunc magis Tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales in ſua propria calamitate. Tunc Hiſtriones cognoſcendi ſo-*

lutiores multo per ignem: tunc ſpectandus auriga in flammea rota totus rubens: tunc Xyſtici contemplandi non in gymnaſiis, ſed in igne jaculati: niſi quod ne tunc quidem illos velim viſos, ut qui malim ad eos potius conſpectum inſatiabilem conferre, qui in Dominum deſævierunt. Hic eſt ille (dicam) fabri, aut quæſtuarii filius, Sabbati deſtructor, Samarites, & dæmonium habens. Hic eſt, quem a Juda redemiſtis, hic eſt ille arundine, & colaphis diverberatus, ſputamentis decoratus, felle, & aceto potatus. Hic eſt, quem clam diſcentes ſubripuerunt, ut reſurrexiſſe dicatur, vel hortulanus detraxit, ne lactucæ ſuæ frequentia commeantium læderentur. Ut talia ſpectes, ut talibus exultes, quis tibi Prætor, aut Conſul, aut Quæſtor, aut Sacerdos de ſua liberalitate præſtabit? Et tamen hæc jam quodammodo habemus per fidem, ſpiritu imaginante repræſentata. Ceterum, qualia illa ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt? *Credo circo, & utraque cavea, & omni ſtadio gratiora.*

XII. Hæc licet paulo prolixiora, tranſcribere volui quoniam hæc ſunt ſacra priſcarum ætatum monumenta, ad quæ oculos convertere; hæc ſunt Chriſtianæ Religionis principia, ad quæ animum intendere debent quicumque de moribus diſputare geſtiunt Chriſtianorum. Qui vero hæc tota mentis indagine commeditari non eſt aſſuetus, eaque alta memoria repoſita non habet, ſatis difficile, quid Evangelicæ integritati congruat, quidve repugnet, decernet. Porro ut hanc divinam ſcientiam aſſequamur, præter ingenii acumen, mentis vaſtitatem, vimque penetrandi, & omnia ad vivum reſecandi, jugibus precibus, atque cæleſti illuſtratione opus eſt. Tertullianus omnia Spectacula mundana exterminare, minime vero tantum de ſuperſtitione, de Idololatria, aliiſque criminibus purgare conatus eſt. Et Spectacula, & Theatra cæleſtium arcanorum Chriſtianis aperuit, ut illuc omnes cogitatus ſuos dirigant. Conferas nunc velim Spectacula, quæ Tertullianus Dei ſervis contemplanda proponit, cum tragœdiis, & comœdiis illis, quas modeſtiores Comœdi peragere hodiedum ſolent. Deinde collige, tantum ne invicem diſcrepent, quantum lux a tenebris?

XIII. Tatianus S. Juſtini Martyris Auditor in oratione quæ in operum S. Juſtini calce extat, ait, quod Hiſtrio ſit *præclararum actionum calumniator, adulterii promotor, inſanæ avaritiæ commendator, cinædorum doctor, condemnandorum auctor*: deinde, & Græcos, & hodiernos Theatrorum laudatores his verbis reprehendit. *Quid obſecro ſit apud vos egregium, aut admiratione dignum? Obſcœna verba naſo reſonante effutiunt, & motibus indecentibus agitantur, & adulteriorum in ſcena Magiſtros filiæ, & filii veſtri ſpectant.*

XIV. Minutius Felix in Octavio, Tertulliano coævus. *In ludis curulibus, quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam, in gladiatorii homicidiis diſciplinam? In ſcenicis etiam minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enervis hiſtrio, amorem dum fingit: infligit.*

CAPUT IV.

Cypriani, Lactantii, Salviani, Chryſoſtomi, Clementis Alexandrini, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, & Auguſtini ſententia de Theatris, ſeu Spectaculis, exponitur.

I. Antequam iſtorum Patrum ſenſa ob oculos pono, duo præmittam fas eſt. Primum, quod duplex Idololatriæ genus Theologi diſtinguunt, alterum intellectus, voluntatis alterum. Idololatria intellectus creaturam pro Numine habet, illique religioſum cultum offert. Idololatria voluntatis, creaturam ſupra verum Numen amat. Illa in mente, hæc in affectu ſita eſt. Illam ſpeculatricem, hanc practicam appellant. Quare hoc ſacrilegum crimen nec a Chriſtiano populo deletum omnino eſt; ſed thronum, ſeu ſedem dumtaxat mutavit, & ab intellectu Ethnicorum in voluntatem Catholicorum plurium demigraſſe conſpicitur. Mundi pompas, vanitates, oblectamenta, voluptates, quæ in verum Deum referri nequeunt, ad diabolum, & conſequenter ad Idololatriam pertinere, Patres docent: quare his omnibus in baptiſmatis profeſſione renunciavimus, & tamquam conficta Idola ejuravimus. De utraque Idololatria, & potiſſimum de ſecunda, Patres loquuntur, dum ſpectacula improbant. Secundo animadverten-

tendum, hac etiam ætate nos Theatra, & ſpectacula, quæ peraguntur, deteſtari, non ſolum quod caſtitatem corrumpant, verum etiam quod ſuperſtitionem, & Idololatriam ſapiant. Quemadmodum enim recentiores, doctioreſque Poetæ a cujuſque impudicitiæ labe purgare moderna ſpectacula nequiverunt, ita neque ab omni Idololatriæ fuligine. Enim vero ſi originem illorum quæramus, unde eruemus? An ex divinis inſtitutionibus, en ex Evangelio, Apoſtolis, aut Patribus? Non ſane aliunde, quam ab ipſis Ethnicis. De Ethnica ergo origine non eſt ambigendum. Quid plura? Spectacula moderna utique nec in Deorum honorem, nec intentione illis placendi celebrantur. At nonne Jovem, Mercurium, Apollinem, cæteraque Paganorum Numina in ſuis Comœdiis, & Tragœdiis invocant Poetæ Chriſtiani, proteſtatione adjecta, quod ita ſcribant, ne poeſis frigeat? Quid, ſi tempora ſpectes? Nonne in bacchanaliis iſta potiſſimum celebrantur? In quo ergo hæc ab Ethnicis diſcrepant? In intentione, & propoſito, in quibuſdam circumſtantiis nimium fœdis, & ſordidis? At, doctoribus noſtris Poetis teſtibus, & re ipſa loquente, plures Chriſtianorum comœdiæ ſordidiorem olent impudicitiam, quam comœdiæ plurium Paganorum. Dic ſodes: dum ejuſmodi Spectacula celebrantur, cui Numini dicantur? Deo vero? Abſit. Ergo Paganorum Numinibus. Quod namque nec dirigitur, nec dirigi in Deum verum poteſt, neceſſe eſt ut ad falſa Numina, nempe ad diabolum, id pertineat, quæcumque ſit operantis intentio. Omne ſiquidem agens, ut ajunt, propter finem agit: & quoties finis operis pravus eſt, bonus operantis haud eſſe finis poteſt. En quot titulis Idololatriam voluntatis ſapiant vel hæc ipſa theatra noſtra, quorum honeſtatem propugnare quidam contendunt. Quamobrem non modo Patres adverſus Ethnicorum, ſed adverſus quoque Chriſtianorum Spectacula invehuntur ob id etiam, quod Ethnicæ ſuperſtitionis, & Idololatriæ fœdis reliquiis temerata ſint. Et hanc rationem amplificant iis principiis, quæ modo indicata ſunt. Hinc tamen minime infertur, nec nos, nec Patres aliis titulis ſpectacula non deteſtari. Quin fortius eadem amoliri conamur, quod ſint morum integritati, & evangelicæ ſanctitati exitialia, atqud peſtifera. His poſitis, ad Patrum accedimus examen.

II. Et quoniam Theatrorum Patroni S. Cypriani etiam auctoritatem ſecundo loco obtrudunt; idcirco poſt Tertulliani examen Sancti Martyris Cypriani doctrina expendenda eſt. Inter opera S. Cypriani liber reperitur de Spectaculis, quem nonnulli Cypriani abjudicant, duabus innixi conjecturis, quod nempe ſtilum Cypriani non redoleat, & quod ejuſdem nulla ſit apud Pontium mentio. Verum tanquam genuinum Cypriani fetum defendunt doctiſſimi viri, Baronius, Pamelius, Sirmondus, Heraldus, Bellarminus, aliique, quibus ſubſcribo, tum quod nihil Cypriani ſtylo ſimilius, tum quod ſilentium Pontii levis nimium eſt conjectura. Verum, ut ut ſit, quid in præfato libro adverſus Theatra contineatur, diſcutiendum eſt.

III. Sub initium libri Auctor invehitur adverſus Theatrorum patronos defenſoreſque his verbis: *Non deſunt vitiorum aſſertores blandi, & indulgentes patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem, & quod eſt deterius, cenſuram Scripturarum cæleſtium in advocationem criminum convertunt, quaſi ſicut innocens ſpectaculorum ad remiſſionem animi appetatur voluptas. Nam & eo uſque enervatus eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorum præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur. Placuit paucis vos nunc inſtruere . . . Nullum enim malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet, dum & multitudinis conſenſu aſſeritur, & excuſatione blanditur.* Sic loquitur Cyprianus, cujus auctoritatem opponunt Theatrorum advocati.

IV. Inſtituit deinde acrem in Chriſtianos declamationem, qua eos a Spectaculis avocet, propterea quod & ſuperſtitione, & idololatria infecta ſint, & maxime quod in baptiſmatis Sacramento quarumcumque comœdiarum voluptatibus renunciarint. *Secum tantummodo unuſquiſque deliberet, & cum perſonam profeſſionis ſuæ loquatur; & nihil unquam indecorum geret: plus enim ponderis habebit conſcientia, quæ nulli ſe alteri debebit, niſi ſibi. Quid Scriptura interdixit? Prohibuit enim ſpectari, quod prohibet geri. Omnia, inquam, iſta Spe-*

cta-

ſtaculorum genera damnavit, quando Idololatriam ſuſtulit, ludorum omnium matrem, unde hæc vanitatis, & levitatis monſtra venerunt. Quod enim ſpectaculum ſine dolo? Quis ludus ſine ſacrificio? Quod certamen non conſecratum mortuo? Quid inter hæc Criſtianus fidelis facit? Si Idololatriam fugit, quid, qui jam ſanctus ſit, de rebus criminoſis voluptatem capit? Quid contra Deum ſuperſtitiones probat, quas amat, dum ſpectat? Ceterum ſciat omnia hæc inventa dæmoniorum eſſe, non Dei. Impudenter in Eccleſia dæmonia exorcizat, quorum voluptates in ſpectaculis laudat, & cum ſemel illi renuncians, reſciſſa ſit res omnis in baptiſmate, dum poſt Chriſtum ad diaboli ſpactaculum vadit, Chriſto tanquam diabolo renunciat. Idololatria, ut jam dixi, ludorum omnium mater eſt; quæ, ut ad ſe Chriſtiani fideles veniant, blanditur illis per oculorum, & aurium voluptatem.

V. Huciſque Cyprianum arcendos demonſtravit Chriſtianos a Spectaculis, utpote ſuperſtitione, & Idololatria infectis: nunc ad ea improbanda procedit, quod impudicitiæ virus, quod libidinis peſtem ingerant in oculos, immittant in aures, mentemque obſcœnis repleant cogitationibus. *Sed, ut de hoc Scenæ inquinamento inverecundo jam tranſitum faciam, pudet referre, quæ dicuntur, pudet etiam accuſare, quæ fiunt, argumentorum ſtrophas, adulterorum ſallacias, mulierum impudicitias, ſcuriles jocos, paraſitos ſordidos, ipſos quoque Patresfamilias togatos, modo ſtupidos, modo obſcœnos.... Quid loquar comicas, & inutiles curas, quid illas magnas tragicæ vocis inſanias, quid nervos cum clamore commiſſos?*

VI. Planum igitur eſt, non ob ſolum ſuperſtitionis, & Idololatriæ crimen, ſed etiam ob impudicitiæ, & libidinis flagitia, Cyprianum evincere, Religioni Chriſtianæ infeſta eſſe Spectacula. Verum habet, inquis. Sed illa Spectacula & Diis erant dicata, & nimium erant impudica. Audi Cyprianum, qui, ut hunc quoque cavillum retundat, ſubdit, Chriſtianis abſtinendum a ſpectaculis eſſe, etiamſi Diis dicata non eſſent, etiamſi crimen apertum libidinis non haberent: quoniam, quantumvis ab iſtorum vitiorum monſtris purgata concedantur, adhuc vanitatem continent, quæ Chriſti fidelibus minime licita eſt. *Hæc etiamſi non eſſent ſimulacris dicata, adeunda tamen & ſpectanda non eſſent Chriſtianis fidelibus.* Auſculta rationem. *Quoniam etſi non haberent crimen, habent in ſe maximam, & parum congruentem fidelibus vanitatem.* Quid preſſius, quid manifeſtius ſcribere poterat Cyprianus, ut perfugia quæque occluderet? Plurima quoque in Epiſtola ad Donatum comœdiarum ſcelera, præter ſuperſtitionem, & idololatriam recenſet. *Quæ*, inquit, *pudica fortaſſe ad Spectaculum Matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? ... Quid non poſſit ſuadere, qui talis eſt? Movet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem: nec deeſt probri blandientis auctoritas, ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum, non magis Regno, quam vitiis Principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire. Quære jam nunc, an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer, vel pudicus?*

VII. Tertio loco opponunt priſcæ Antiquitatis periti Lactantium, quem contendunt, ob ſolam Idololatriam interdicere Chriſtianis ſpectaculorum frequentiam. Ut lector dijudicare queat, verum, an falſum hoc ſit, integrum Lactantii textum illius oculis ſubjicio. Non ſolum ſpectacula, quæ agebant Mimi, Pantomimi, & Pantomimæ, ſed omnia ſpectaculorum genera recenſet Lactantius, ac in eadem omnia ſuas fert cenſuras. Lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 2. *In Scenis quoque neſcio, an ſit corruptela vitioſior. Nam & comicæ fabulæ de ſtupris Virginum loquuntur, aut amoribus Meretricum: & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiam elegantia perſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi, & ornati.* Ut vides, non de turpibus ſordidiſque, ſed de comœdiis ſententiarum gravitate, & verſuum ſuavi harmonia, elegantibus ver-

bis

bis digeſtis, ſermonem habet. Perſequitur vero: *Item tragicæ hiſtoriæ ſubjiciunt oculis parricidia, & inceſta Regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus quid aliud niſi libidines docent, & inſtigant? Quorum enervata corpora, & in muliebrem inceſſum, habitumque mollita, impudicas feminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur .... Quid de Mimis loquor, corruptelarum præferentibus diſciplinam? Qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes, aut virgines faciant, cum hæc & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique, quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maxime concitatur, ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula revertuntur: nec pueri modo, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos peccare jam non decet. Circenſium quoque ludorum ratio quid aliud habet, niſi levitatem, vanitatem, inſaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, ut jam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum exclamare, & efferri, & exilire cœperint. VITANDA ERGO SPECTACULA OMNIA, NON SOLUM ne quid vitiorum pectoribus inſideat, quæ ſedata, & pacifica eſſe debent; ſed ne cujus nos voluptatis conſuetudo deliniat, & a Deo, atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes ſunt conſtituti. Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ ſunt. Ludi autem ſcenici Libero, Circenſes Neptuno. Paulatim vero & ceteris Diis idem honos tribui cœpit: ſinguli que ludi Numinibus eorum conſecrati ſunt, ſicuti Siſinnius Capito in libris ſpectaculorum docet. Si quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quæ Religionis gratia convenitur, diſceſſit a Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales & feſta celebravit.* Certe ſi noſtris vixiſſet Lactantius temporibus, non potuiſſet preſſius omnium ſpectaculorum genera diris devovere, & rimas, perfugiaque omnia occludere, ut ad incitas redigeret comœdiarum defenſores.

VIII. Salvianus *Lib. 6.* omnes ſuæ eloquentiæ nervos intendit adverſus cujuſque generis ſpectacula. Sed duo potiſſima peccatorum genera, impudicitiæ nempe, mundanæ voluptatis, & ſuperſtitionis carpit. *Nam, cum duo ſint maxima mala, aut ſi homo ſe perimat, aut Deum lædat, hoc utrumque in ludis publicis agitur. Nam per turpitudines criminoſas æterna illic ſalus Chriſtianæ plebis extinguitur, & per ſacrilegas ſuperſtitiones Majeſtas Divina violatur. Dubium enim non eſt, quod lædunt Deum, utpote Idolis conſecratæ.* Perſequitur deinde declamationem adverſus aliorum malorum monſtra. *Quidquid*, ſubdit, *immunditiarum eſt, hoc exercetur in Theatris; quidquid luxuriarum, in palæſtris; quidquid immoderationis, in Circis; quidquid furoris, in Caveis. Alibi eſt impudicitia, alibi laſcivia, alibi intemperantia, alibi inſania, ubique dæmon, immo per ſingula ludicrorum loca univerſa dæmonum monſtra. Præſident enim ſedibus ſuo cultui dedicatis. Ac per hoc in ſpectaculis ejuſmodi non ſola eſt illecebra, nec ſola vitioſitas. Admiſceri enim huic Chriſtianum hominem ſuperſtitioni, genus eſt ſacrilegii, quia eorum cultibus communicat, quorum feſtivitatibus delectatur.* Maximum ergo crimen, cujus Salvianus arguit Chriſtianos ſpectaculis adſtantes, eſt delectatio vana, voluptas impudica, & laſciva lætitia, quam capiebant. Quæ delectatio efficiebat, ut ſuperſtitionis quoque, repugnante etiam ipſorum animo, reipſa ſontes evaderent.

IX. D. Joannes Chryſoſtomus pluribus in locis Theatrorum libidinem, & impudicitiam execratur *Homil. 3. de David, & Saule*, ubi nec verbum eſt de idololatria, prolixe impudicos oculos, venereos cogitatus, deſideria prava ex ſpectaculis concitata narrat, & ab Altaribus arcendos Chriſtianos docet, qui Theatra frequentant: cujus doctrina nimis rigida, ut nunc evenit, quibuſdam videbatur. *Et quid hi, inquiunt, adeo magni ſceleris commiſerunt, ut ab iſtis ſacris cancellis arcendi ſint?* (Idipſum nunc opponitur.) *Immo quod delictum hoc gravius quæris iſtorum, qui cum ſeipſos plane adulterio contaminarint, impuden-*

pudenter ac rabidorum more canum ad hanc ſacram Menſam irruunt? Quod ſi velis adulterii modum cognoſcere, non mea verba tibi referam, ſed illius, qui de tota hominis vita judicaturus eſt. Qui viderit mulierem ad concupiſcendam illam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo: *Matth.* 5. *Quod ſi mulier forte in foro obvia, & neglectius culta ſæpe curioſius intuentem cepit ipſo vultus aſpectu: iſti, qui non ſimpliciter, neque fortuito, ſed ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quoque contemnant, & hac cauſa pergunt illuc, ac totum ibi deſidentes diem in facies abjectarum feminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere, ſe eas non vidiſſe ad concupiſcendum? Ubi verba quoque accedunt fracta, laſcivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi vox vehementer ad voluptatem compoſita, ubi ſtibio picti oculi, ubi coloribus tinctæ genæ, ubi veſtis curioſius concinnata, ubi totius corporis habitus fuco plenus eſt, aliaque multa lenocinia ad fallendos, ineſcandoſque intuentes inſtructa; ubi ſocordia ſpectantium, multaque confuſio: hinc ipſe locus ad laſciviam invitans tum ab iis acroamatibus, quæ præceſſerunt, tum ab iis, quæ conſequuta ſunt.* Plurima ſcribit hoc de argumento *homil.* 38. *in Matth.* Pauca iſthuc tranſcribam, quæ decretorium efficiunt argumentum.

X. Itaque, poſtquam prolixa oratione theatrorum damna, & ſpectaculorum omnium horrenda ſcelera depinxit, ad diluendam accedit excuſationem vaniſſimam eorum, qui nihil mali ex ſpectaculorum frequentia ſe perpeti dicebant. His ergo verbis ſuam concludit homiliam. *Quid ergo, ſi oſtendam, inquies, nihil damni ab hac frequentia emergere? Certe vel hoc ipſum damnum eſt, ſine cauſa, ac temere tempus inſumere, & aliis offendiculo eſſe. Nam, ſi tu damnum non patiaris, alium hujus ſpectaculi ſtudioſiorem reddis. Quomodo autem damnum non patiaris, qui præbes his ſpectaculis occaſionem? Nam præſtigiator, corruptus puer, fornicaria mulier, omneſque illi diabolici chori, in caput tuum cauſam ſpectaculorum regerunt. Quemadmodum enim, ſi ſpectatores non eſſent, nec eſſent, qui ejuſmodi ludos exhiberent; ſic, quia ſpectatores ſunt, & iſti geſtorum ignem patiuntur.* ITAQUE, LICET SINE CASTITATIS DISPENDIO ID AGERES, *id quod certe fieri nequit; aliorum tamen perniciei graves dabis pœnas, ſive ſpectantium, ſive ſpectacula edentium: atque ad caſtitatem ſervandam majus lucrum feciſſes, ſi illo non veniſſes. Si enim caſtus nunc es, multo caſtior eſſes, ſi ſpectacula illa vitaſſes. Ne itaque inutiliter contendamus neque inutiles defenſiones excogitemus; Una defenſio, & excuſatio eſt, ſi fugiamus fornacem Babylonicam, ſi procul ab Ægyptia meretrice degamus; etiamſi nudos oporteat ab illa effugere. Ita enim & multa fruemur voluptate, conſcientia nos non accuſante, præſentem vitam caſte agemus, futuraque bona conſequemur, gratia, & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui gloria, & imperium nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Plurima quoque ſcribit hac de re *homil.* 6. *in Matth.* ubi oſtendit pœnitentiæ lacrymis diluenda nobis eſſe peccata in hoc ſæculo, non riſu, & theatrorum cachinnis tempus terendum. *Tot, tantorumque facinorum rationem redditurus, ſedes ridens, urbanas facetias proferens, & voluptati indulgens? Sed, ſi id non fecero, inquies, ſi luxero, quæ mihi hinc utilitas? Multa ſane, & tanta, quantam explicare non poſſum. In ſæcularibus enim judiciis; quantumvis plores, non effugies ſupplicium poſt latam ſententiam. Hic vero, ſi ingemiſcas tantum, ſententiam ſolviſti, & veniam conſequeris. Ideoque de luctu ſæpe Chriſtus nos admonet, & eos, qui lugent, beatos prædicat; illos vero, qui rident, miſeros declarat. Hoc quippe Theatrum non riſum admittit: neque ideo convenimus, ut cachinnos effundamus, ſed ut gemamus, atque ex hujuſmodi gemitu Regni hæreditatem nanciſcamur . . . Attamen ita ſunt quidam omni ſenſu vacui, ut poſt hæc audita verba dicant: Abſit, unquam lacrymas fundam: mihi vero id concedat Deus, ut ſemper rideam, & ludam. Quid hujuſmodi cogitatione infandius? Non enim Deus id dat, ut ludamus, ſed diabolus. Audi igitur, quod paſſi ſint ii, qui ludebant.* Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. *Tales erant Sodomitæ, tales etiam illi tempore diluvii . . . Ne itaque illa petas a Deo, quæ a diabolo accipis. Nam Dei eſt dare cor contri-*

tri-

tritum, *& humiliatum*, *animum vigilem*, *temperantem*, *continentem*, *pœnitentem*, *compunctum*. *Hæc illius dona*. An ob ſolam Idololatriam ſpectacula Chryſoſtomus improbat?

XI. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pædagog. cap.* 1. adverſus Theatra hæc inter alia ſcribit. *Magna itaque confuſione*, *& iniquitate hi cœtus pleni ſunt*, *& occaſio conventus cauſa eſt turpitudinis; cum viri*, *& feminæ mixtim conveniunt*, *alter ad alterius ſpectaculum . . . dum enim laſciviunt oculi*, *caleſcunt appetitiones*, *& oculi proximos impudentius aſpicere aſſuefacti*, *quod conceſſum ſibi vident ocium*, *intendunt cupiditates*.

XII. S. Baſilius hom. 4. *Neſcientes orcheſtram*, *quæ ſpectaculis impuris abundat*, *his*, *qui illic conſident*, *communem*, *ac publicam eſſe laſciviæ officinam*: *quin illic tibiarum modulationes perquam concinnæ*, *ac meretriciæ cantiones audientium animis inſidentes*, *cunctis*, *utpote citharædorum*, *aut tibicinum pulſum æmulantibus*, *nihil aliud*, *quam obſcœnitatem ſuadent*.

XIII. S. Gregorius Nazianzenus *ad Sacel. Jambic.* 3. aſſerit, theatrum *ſcholam eſſe fœditatis omnis*, *& laſciviæ*. S. Ambroſius *de fuga ſæculi cap.* 1. S. Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 19. Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, ut legitur in Biblioth. PP. Tom. 2. acri ſtilo adverſus theatra invehuntur.

XIV. Ultimo loco nonnulla ex Auguſtino adjicere lubet. Sanctus Doctor quæcumque ſpectacula Chriſtianis illicita & criminoſa oſtendit. Et primum dæmonis vafritiem in theatrorum, ſcenarumque invento patefacit. Sub initium nequiſſimi ſpiritus in Numinum honorem celebranda ſpectacula ſuggeſſerunt, ut Religionis velamine obſcœna ſcelera contecta facilius animos invaderent. Prævidebat vaferrimus ſatanas idololatriam illam ſpeculatricem, & intellectualem opportuno tempore deſituram. Idcirco ſcenicorum luem ludorum excogitavit ſine fine duraturam, ut acute animadvertit S. Pater, qui *lib.* 1. *de Civ. Dei cap.* 33. hæc ſcribit. *Dii propter ſedandam corporum peſtilentiam ludos ſibi ſcenicos exhiberi jubebant*. *Pontifex autem veſter propter animorum cavendam peſtilentiam ipſam Scenam conſtrui prohibebat*. *Si aliqua luce mentis animam corpori præponitis*, *eligite*, *quem colatis*. *Neque enim & illa corporum peſtilentia ideo conquievit*, *quia populo bellicoſo & ſolis antea ludis circenſibus aſſueto*, *ludorum ſcenicorum delicata ſubintravit inſania*: *ſed aſtutia ſpirituum nefandorum prævidens*, *illam peſtilentiam jam fine debito ceſſaturam*, *aliam longe graviorem*, *qua plurimum gaudet*, *ex hac occaſione non corporibus*, *ſed moribus curavit immittere*. Non ſolum Auguſtinus improbat theatra, quod lue impudicitiæ animum corrumpant; ſed quod potiſſimum ſuis confictis umbris a rerum veritate mentem avocent, lib. de vera Relig. cap. 22. *Et hæc enim quædam imitatio veritatis*. *Nec ob aliud a talibus prohibemur ſpectaculis*, *niſi*, *ne umbra rerum decepti*, *ab ipſis rebus*, *quarum illæ umbræ ſunt*, *aberremus*. Quam rationem antea prodiderat Tertullianus. Perſequitur Auguſtinus alia mala recenſere, quæ theatra ſuapte natura ſemper inducunt. Quamvis enim impudicos motus, falſa figmenta non inveherent; inutilibus tamen narrationibus, & vaniſſimis fabulis animum replent, & cor humanum in ſtudio occupant vanitatis. De hoc peccato ipſe ſe accuſat, & profanas lacrymas, quas audiendo Didonis mortem effuderat, amariſſimis pœnitentiæ lacrymis abluit, *lib.* 1. *Conf. cap.* 13. ubi inquit: *Tenere cogebar Æneæ neſcio cujus errores*, *oblitus errorum meorum*, *& plorare Didonem mortuam*, *quia ſe occidit ob amorem*: *cum interea me ipſum in his a te morientem*, *Deus vita mea*, *ſiccis oculis ferrem miſerrimus*. *Quid enim miſerius miſero*, *non miſerante ſe ipſum*, *& flente Didonis mortem*, *quæ fiebat amando Æneam*, *non flente autem mortem ſuam*, *quæ fiebat non amando te?* Tandem ſui ipſius mala, quæ ex ſpectaculis paſſus eſt, deſcribit; & quod veluti captivus, ad illa raperetur, Deo enarrat, teſtans, quod urbanus, & elegans apparere geſtiebat, dum libidinis luto, & concupiſcentiæ bituminæ inquinatus undique ſordeſceret. Utinam tot impudiciſſimi ſpectaculorum ſectatores, qui candidiorem urbanamque Auguſtini elegantiam ementiuntur, Auguſtini ſinceriſſimam confeſſionem imitarentur. *Lib.* 3. *Conf. cap.* 1. addit. *Venam igitur amicitiæ coinquinabam ſordibus concu-*

piſcentiæ, candoremque ejus obnubilabam tartarea libidine: & tamen fœdus, atque inhoneſtus, elegans, & urbanus eſſe geſtiebam abundanti vanitate . . . . Rapiebant me ſpectacula theatrica plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

XV. Præterea, ut intaminatæ caſtitatis Heroes, qui inter ſpectaculorum lenocinia, & omnium virtutum ſcopulos, vitiorumque ſentinas, immotum æquabilemque jactant animum, & puram mentem, erubeſcant talia mentiri, ob oculos pono ſpectaculum, quod contemplati ſi fuerint, oſtentare in theatris illos pudebit caſtitatem, & innocentiam. Spectaculum, quod illis commeditandum offero, eſt ruina, quam vir ſanctus Alipius in aſpectu Amphitheatri paſſus fuit. Tragicum formidandumque eventum deſcribit Auguſtinus l. 6. Conf. cap. 8. *Non ſane relinquens incantatam ſibi a parentibus terrenam viam, Romam proceſſerat, ut jus diſceret: & ibi gladiatorii ſpectaculi inhiatu incredibili, & incredibiliter abreptus eſt. Cum enim averſaretur, & deteſtaretur talia, quidam ejus amici, & condiſcipuli, cum forte de prandio redeuntibus obvius eſſet, recuſantem vehementer, & reſiſtentem familiari violentia duxerunt in Amphitheatrum, crudelium, & funeſtorum ludorum diebus, hæc dicentem: Si corpus meum in illum locum trahitis, & ibi conſtituitis, numquid & animum, & oculos meos in illa ſpectacula poteſtis intendere? Adero itaque abſens, ac ſic & vos, & illa ſuperabo. Quibus auditis, illi nihiloſecius eum adduxerunt ſecum, idipſum forte explorare cupientes, utrum poſſet efficere. Quo ubi ventum eſt, & ſedibus, quibus potuerunt, locati ſunt: fervebant omnia immaniſſimis voluptatibus. Ille autem clauſis foribus oculorum, interdixit animo, ne in tanta mala procederet; atque utinam & aures obturaviſſet. Nam quodam pugnæ caſu cum clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus, quidquid illud eſſet, etiam viſu contemnere, & vincere, aperuit oculos: & percuſſus eſt graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit; ceciditque miſerabilius, quam ille, quo cadente factus eſt clamor, qui per ejus aures intravit: & reſeravit ejus lumina, ut eſſet, qua feriretur, & dejiceretur, audax adhuc potius, quam fortis animus, & eo infirmior, quo de ſe præſumpſerat, quod debuit de te. Ut enim vidit illum ſanguinem, immanitatem ſimul ebibit, & non ſe avertit, ſed fixit aſpectum, & hauriebat furias, & neſciebat, & delectabatur ſcelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur, & non erat jam ille, qui venerat; ſed unus de turba, ad quam venerat, & verus eorum ſocius, a quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire, non tantum cum illis, a quibus prius abſtractus eſt, ſed etiam præ illis & alios trahens. Et inde tamen manu validiſſima, & miſericordiſſima eruiſti eum tu, & docuiſti eum non ſui habere, ſed tui fiduciam; ſed longe poſtea.* Cui hæc audienti ſanguis non frigeſcit? Tanta ergo eſt ſpectaculorum ad hominum corda emolienda vis roburque, ut delectationem excitare valeat, vel in earum rerum conſpectu, a quibus natura ipſa abhorret? *Alipius* invitus ad Amphitheatrum ducitur, morum integritate ornatus, ſanctis cogitationibus munitus, animoque firmiſſimo clauſos ſervandi oculos, ut ne videret quidem gladiatorum feram inſaniam. Nihilominus præſens factus, vociferante turba, oculos aperuit, hominum corpora dilaniari, humanoque terram madere ſanguine conſpexit, atque cruenta voluptate ſe tactum ſenſit. Quid ſi ad theatrum acceſſiſſet, ubi ea oculis repræſentantur, ad quæ natura impotenti impetu abripitur? Legas velim quæ narrat idem Auguſtinus in libris, ni fallor, contra Julianum de ſene caſtiſſimo, & octuagenario majore, qui ad conſpectum unius ſcenæ lugendam caſtitatis octoginta & amplius annorum ſpatio intemeratæ ſervatæ jacturam paſſus eſt.

XVI. Ex hucuſque dictis cuique præjudiciorum vacuo compertum eſt, Patres omnes Chriſtifidelibus interdixiſſe ſpectacula, non tantum ob eam rationem, ne ſcilicet ſuperſtitionis, & ethnicæ idololatriæ participes efficerentur; ſed potiſſimum ne voluptatum illecebris, ne mulierum lenociniis effeminarentur, neve pudorem, verecundiam, caſtitatemque amitterent, atque ad omnem mollitiem diſſolverentur. Improperant utique Patres

tres Chriſtianis theatra adeuntibus paganicæ ſuperſtitionis crimen, non quod Chriſtiani occaſione comœdiarum a catholica deſciſcerent profeſſione, & falſorum Numinum cultum profiterentur; ſed quod facto ſuperſtitionem foverent, & manus Ethnicis ludos ſcenicos in Idolorum cultum celebrantibus porrigerent. Quis, quæſo, Patrum refert, Chriſtianos Catholicæ Religioni terga dediſſe, atque in Paganorum caſtra immigraſſe ob comœdiarum frequentiam? Nam revera Chriſtiani theatra adibant, non ut Numinibus cultum offerrent, ſed ut ſenſus ſuos demulcerent, & voluptatem caperent; tametſi, ut dixi, reipſa occaſionem Idololatriæ præberent, illiſque Patres *practicæ ſuperſtitionis* crimen exprobrarent. Quemadmodum ſi hac tempeſtate Turcæ, Hebræi, Ethnici ſpectacula quædam agerent in ſuæ Religionis argumentum, ſed quæ ad laſciviam, impudicitiam, & carnalia deſideria provocarent; & Chriſtiani illuc concederent: ſacri Concionatores omnes eloquentiæ nervos intenderent, ut ab illis Catholicos avocarent. Et inter argumenta, quibus uterentur, unum certe eſſet, Chriſtianæ Religionis dedecus, & Idololatriæ, falſæque Religionis incitamentum: quamvis peroptime ſcirent, Chriſtianorum neminem eo convenire, ut Turcarum, Gentilium, Hebræorumque Religioni litaret; ſed ut voluptatem perciperet. Quamobrem probroſa libidinis, mollitiei, laſciviæque flagitia, quibus inquinarentur, latius, & ferventius exaggerarent. Quæ demum flagitiia temporis tractu tam altas, ubi ſemel pedem figunt, radices agunt, ut a fide, verique Dei cultu deficere vel ipſos ſapientes faciant. Hæc eſt germana Sanctorum Patrum doctrina adverſus theatra.

XVII. Tandem ediſſerant nobis priſcæ vetuſtatis perſpicaces inveſtigatores: Ovidius, Maximus, Seneca, Juvenalis, & plurimi alii Ethnici Scriptores, qui, ut impudicitiæ & libidinum ſentinam, theatra improbant, id ne ſtudio vitandæ Idololatriæ præſtiterunt? Quid? Invectine ſunt dumtaxat in obſcœniſſimos meretricis Floræ ludos, qui ſemel tantum in anno habebantur, quibus ſolæ aſſidebant meretriculæ? An non habemus ſcripta theatralia illius ætatis, in quorum conſpectu ſordeſcunt plures noſtri temporis comœdiæ, & fabulæ Nemorenſes. Ediſſerant: dum Plato a ſua Republica pulſos voluit muſicos, comicos, Poetas omnes, vel ipſum Homerum, quad cantus ſuavitas, & harmonicus verſuum numerus emollirent animos, effeminarent viros; zelone profligandæ Idololatriæ id præſtitit? Dum Ariſtoteles, Plutarchus, M. Tullius, & pene omnes tum Græci, tum Latini ſapientes Philoſophi improbant comicas repræſentationes, quia voluptatem excitant, ſenſus faſcinant, vires diſſolvunt; numquid Divinæ Religionis ſtudio hoc egerunt? Sileant ergo priſcæ antiquitatis venatores, deſinantque ſeducere imperitos, qui putidas fabellas ſuſcipiunt pro ſolidis documentis, dum eorum concupiſcentiæ negotium agitur. Sed quid in vano commento profligando diutius immoror?

CAPUT V.

Nonnulla poſteriorum temporum documenta adverſus theatrales ludos.

I. CUM Chriſtiana Religio dominari, pulſa penitus Idololatria, cœpit; tum & pii Imperatores in ſuis edictis, & Epiſcopi in ſuis Conciliis Comœdiis, Tragœdiis, & quibuſque theatralibus ludis apertum, & continuum bellum indicere non deſtitere ad hæc uſque tempora noſtra. Quamvis enim ſub Imperatoribus Ethnicis & Concilium Eliberitanum in Hiſpania Lactantii tempore celebratum *can.* 62. & 67. & Concilium Nicænum, in quo, teſte Nicephoro *lib.* 8. *cap.* 18. anathema latum eſt contra librum *Arii*, inſcriptum *Thaleja*, quod Poetæ *Sotodis*, & Comicorum cantilenas redoleret; & Conſtitutiones dictæ Apoſtolicæ *can.* 5. plura contra theatra ſtatuerint: tamen ea libertate, & poteſtate adverſus ejuſmodi corruptelas vocem exallare nequiverunt, qua uſi, poſt extinctam ſuperſtitionem, Epiſcopi, & Concilia ſunt. Nec tempus permittit, nec inſtituti ratio poſtulat, ut omnia huc tranſcribam eccleſiaſtica documenta, quæ omni fere tempore pro exterminandis theatrorum corruptelis ſumma conſtituta ſunt providentia. Pauca tamen perſtringam, & qui plura cupit, conſulat P. Le Brun.

II. Concilium Trullanum *an.* 692. *can.* 51.

51. hæc decernit. *Omnino prohibet hæc ſancta, & univerſalis Synodus eos, qui dicuntur Mimi, & eorum ſpectacula. Deinde venationum quoque ſpectationes. Si quis autem præſentem canonem contempſerit, & ſe alicujus eorum, quæ ſunt vetita, dederit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur, ſi vero Laicus, ſegregetur.*

III. Deſinente octavo ſæculo, Leo Iſauricus, alique Principes Iconoclaſtæ, ut Catholicos affligerent, exactis e Monaſteriis Monachis, illorum cellas Hiſtrionibus inhabitandas dederant. Quare Concilium Generale VII. *ſeſſ.* 7. ubi hæc referuntur, Chriſtianis ſeveriſſime theatrorum frequentiam prohibet, pœnaſque violatoribus infligit, ſicut & Concilium Laodicenum. Tom. VI. Concilior. hæc referuntur. *Tantum ei, qui dat eſcam, gratias agant, & non per quaſdam thymelias voluptates, eſt hoc ſatanicas cantilenas, cytharaſque, & meretricias inflectiones: quibus ſuperveniet Prophetica maledictio* (Iſaiæ 5.) *Væ, qui cum cythara, & pſalterio vinum bibunt, opera autem Domini non intuentur, & opera manuum ejus non intelligunt. Et ſi unquam fuerint inter Chriſtianos hujuſmodi, corrigantur. Sin autem, obtineant ſuper eis, quæ ſunt ante nos regulariter edita.*

IV. Nicolaus Papa an. 866. Bulgaris jubet, ut ſpectacula fugiant. Et Photius noni ſæculi ſcriptor in ſuo Monocanone colligit eccleſiaſticas leges, & civiles contra ſpectacula. Oſtendit, Eccleſiam numquam permiſiſſe theatra; ſed ab eiſdem fidelibus abſtinendum præcepiſſe: additque, Clericos eadem frequentantes in Monaſteriis includendos eſſe. Animadvertit citatus P. *Le Brun* ex Balſamone Patriarcha Antiocheno, hanc diſciplinam exacte ſemper obtinuiſſe in Eccleſia Orientali, ſicut & in Occidentali, in qua Gothi, & Wandali Theatrorum ſpectacula penitus ſuſtulerunt; & vix, inquit P. *Le Brun*, ſub Carolo Magno revixere. Quare Concilium Cabilonenſe ann. 813. can. 9. hæc ſtatuit: *Ab omnibus oculorum auriumque illecebris Sacerdotes abſtinere debent. Hiſtrionum ſive ſcurrarum, & turpium, ſive obſcœnorum jocorum inſolentiam non ſolum ipſi reſpuant, verum etiam fidelibus reſpuenda percenſeant.* Idemque præcipit Concilium Pariſienſe ann. 829. ſevere & Chriſtianis, & Clericis ſpectacula vetans. Chriſtianis Lupus in notis ad Concilium Trullanum, aliique eruditionis ſacræ cultores obſervant, ſæculo X. & XI. Poetarum artem fere obſoleviſſe.

V. Joannes Sarisburienſis Epiſcopus Carnutenſis ann. 1172. diruta theatra, exterminatos Tragœdos, & Comœdos *Lib. 1. de nugis Curialium* ſcribit: *Porro Comicis, & Tropicis abeuntibus, cum omnia levitas occupaverit, Clientes eorum Comœdi, & Tragœdi exterminati ſunt.*

CAPUT VI.

Compendium hiſtoriæ Theatrorum ab ætate Scholaſticorum ad hæc noſtra tempora. S. Thomæ doctrina vindicatur ab ineptis plurium Caſuiſtarum commentis.

I. SÆculo XIII. ſublatis publicis Teatris, Hiſtriones in domibus privatis verſus recitabant, inſtrumentis muſicis adhibitis. Hoc ſæculo Gallia præſertim Poetis, & hujus generis Hiſtrionibus abundabat, quod lingua *Provincialis* vulgo *Provenzale* magno haberetur in pretio, & Romana appellabatur, quod Romanæ propius accedebat, tum quod Provincia illa Romana appellabatur, unde *Romanzi* nomen acceperunt. Iſtiuſmodi Hiſtrionatus artem Scholaſtici abſolute ſpectantes, natura ſua malam non eſſe jure, ac merito definiere. S. Thomas Scholaſticorum facile Princeps hæc 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. ſtatuit: *In omni eo, quod eſt dirigibile ſecundum rationem, ſuperfluum dicitur, quod regulam rationis excedit; dictum eſt autem, quod ludicra, ſive jocoſa verba, vel facta ſunt dirigibilia ſecundum rationem, & ideo ſuperfluum in ludo dicitur, quod excedit regulam rationis. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter: uno modo ex ipſa ſpecie actionum, quæ aſſumuntur in ludum; quod quidem jocandi genus ſecundum Tullium dicitur eſſe illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum, quando ſcilicet utitur aliquis cauſa ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de ſe ſunt peccata mortalia. Aliò autem modo poteſt eſſe exceſſus in ludo ſecundum defectum debitarum circumſtantiarum; puta cum aliqui utuntur ludo vel temporibus, vel locis indebitis,*

aut

aut etiam præter convenientiam negotii, ſeu perſonæ. Et hoc quidem quandoque poteſt eſſe peccatum mortale, propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei; ita quod contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ talibus ludis uti non refugiat.

II. Nihil luculentius, nihil magis decretorium contra ætatis noſtræ theatra; in quibus facta fere ſemper turpia repræſentant, puta profanos amores, concupiſcentiæ illicia, lenocinia, & cetera id genus, & quandoque etiam verba obſcœna adhibent hiſtriones: & hæc in proximi nocumentum natura ſua vergunt. *Et hæc de ſe ſunt peccata mortalia*, inquit Angelicus. Peccatum quoque mortale contingere poteſt, ſubdit Doctor S. *propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis præcepto Dei, vel Eccleſiæ.* Patet autem & Divino, & Eccleſiaſtico præcepto prohiberi Theatra, in quibus feminæ laſcive comptæ cum ſuis Amaſiis facta turpia repræſentant, cantu fornicario, muſica meretrice, ut cum Chryſoſtomo loquar, & impudiciſſimis choreis adjectis. Hoc ludorum genus, inquit Angelicus, ſecundum ipſum Ethnicum Tullium *dicitur eſſe illiberale, petulans, flagitioſum.*

III. Hoc principio conſtituto, proponit ſibi Angelicus objectionem, ex cujus reſolutione evidenter elucet ejus doctrina. *Ad tertium* (inquit) *dicendum, quod ſicut dictum eſt, ludus eſt neceſſarius ad converſationem humanæ vitæ. Ad omnia autem, quæ ſunt utilia converſationi humanæ deputari poſſunt aliqua officia licita; & ideo etiam officium Hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati, DUMMODO moderate ludo utantur, ideſt non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, vel temporibus indebitis.* Qui ignorant tempore S. Thomæ nulla extitiſſe publica Theatra, quæ ille ſcribit de ſui temporis Hiſtrionibus, applicant ultimæ ætatis noſtræ Comœdis, cum iſti ab illis pluſquam genere diſſent, ut mox evidentius palam fiet. Hiſtriones, quorum meminit Angelicus, erant quidam joculatores, qui verſus recitabant in privatis domibus; adhibitis muſicis inſtrumentis, ut vel ex ipſis objectionis verbis colligitur. *Legitur enim*, inquit, *in vitis Patrum, quod B. Paphnutio revelatum eſt, quod quidam joculartor futurus erat ſibi conſors in vita futura.* Officium autem recreandi homines ſecundum ſe non eſt illicitum, *dummodo* conditiones neceſſariæ ſerventur. Τὸ *ſecundum ſe* duplicem excipit ſenſum. Aliqua ſecundum ſe ita ſunt vitioſa, ut nunquam honeſtari valeant, ſicuti fornicatio, adulterium, mendacium, blaſphemia &c. Alia ita de ſe, & ſecundum ſe illicita ſunt; ut aliquo in caſu fieri licita queant. Quod vir induat veſtem muliebrem *de ſe vitioſum eſt*, inquit Angelicus 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 3. nihilominus ad propriæ vitæ conſervationem honeſta evadere hæc veſtitus mutatio poteſt. Furtum ſecundum ſe malum eſt; urgente extrema neceſſitate omnem exuit malitiam, imo deſinit eſſe furtum. *Hiſtrionatus* noſtri temporis ſecundum ſe in genere moris, ſeu omnibus ſpectatis, vitioſum eſt. Aliqua in Metaphyſica præciſione, ſeu præciſis circumſtantiis licita, & honeſta ſunt, quæ variatis circumſtantiis criminoſa evadunt. Hæc obiter indicavi, ut plures imperitorum cavillationes præoccuparem. Igitur S. Thomas docet, officium recreandi homines ſecundum ſe non eſſe illicitum, *dummodo* debitæ circumſtantiæ ſerventur, videlicet quod facta, & verba ludorum ſint honeſta: quod ſerventur circumſtantiæ loci, temporis, & perſonæ. Hinc in citata reſponſione ad tertium argumentum ſubdit: *Si qui autem ſuperflue ſua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes, unde Auguſtinus dicit, quod donare res ſuas hiſtrionibus, vitium eſt immane, non virtus.* Hanc vero comicorum, qui illicitis ludis utuntur, artem, eodem loco S. Thomas habet ac meretricium, ut 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 2. expreſſe docet. *Quædam vero dicuntur male acquiſita, quia acquiruntur ex turpi cauſa; ſicut de MERETRICIO, ET HISTRIONATU, & aliis hujuſmodi.* Ab ejuſmodi hominibus, ſubdit ibidem, decimas *Eccleſia non debet recipere, quamdiu ſunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare.* Hiſtriones noſtri temporis utuntur ludis illicitis, ut demon-

monſtratum eſt. Ergo juxta S. Thomam peccant ſpectatores iiſdem mercedem ſolventes, quamvis impura aliqua delectatione non inquinarentur, quia fovent illos in peccato. Quam doctrinam S. Thomas a Patribus hauſit, præſertim ab Auguſtino inquiente in *cap.* 4. Joannis: *Donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane, quia laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui inique agit, benedicitur*. Doctrina Scholaſticorum XIII. & XIV. ſæculi eadem, ac Sancti Thomæ prorſus eſt, & accipi eodem in ſenſu debet. Hiſtriones tempore S. Thomæ erant ut noſtri circulatores, qui dum vel in privatis domibus, vel in plateis publicis Tabulata, ſeu pulpita, ſeu Theatra vocare vis, erigunt, & populo ſpectacula præbent, nullum peccatum perpetrant, dummodo conditiones a S. Thoma præſcriptas ſervent.

Recenſitis itaque ſæculis nulla omnino publica Theatra erant, ſed hiſtriones modo oppidatim diſcurrebant recitantes verſus ſuos, & muſica pulſantes inſtrumenta, ut noſtri circulatores, vulgo *Ciarlatani*. Magnates, & Principes in aulis ſuis alere Poetas iſtos *Provenzales* ſolebant. Erant autem homines & nobilitate natalium, & ingenii dotibus ornati. Poeta *Foulguet* Monaſterium ingreſſus, Epiſcopus Maſſilienſis, & poſtea Toloſanus inſtitutus fuit. Quoniam vero plures hac arte abutebantur, neglectis conditionibus a S. Thoma præſcriptis, in exilium acti fuere ab Ludovico Galliarum Rege. Alii, ut dixi, manentem in Aulis Magnatum ſedem habebant: alii verſus a ſe compoſitos modo in hac, modo in illa Civitate canebant, inſtrumentis adhibitis. Iſti nulla lege infames declarati, quemadmodum hiſtriones, qui e publicis Theatris recitant. Hoc diſcrimen privatos inter, & publicos hiſtriones ipſe Cæſar Nero inſtituit, ut *lib.* 14. *cap.* 15. Tacitus refert. *Ne tamen adhuc publico Theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Juvenalium vocabulo, in quos paſſim nomina data, non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quominus Græci, Latinive hiſtrionis artem exercerent*. Et lex ita declaravit, non eſſe infames illos, qui in domibus privatis recitarent. Plinius junior, qui hiſtriones publicos improbat, privatos in domo ſua comœdos alebat, ut ex *l.* 1. *Epiſt.* 15. colligitur.

IV. Ut doctrina S. Thomæ, & aliorum Scholaſticorum luculentius pateat, duo ut certa conſtituenda ſunt. Unum, Patres omnes, & leges tum eccleſiaſticas, tum civiles publicos hiſtriones infamiæ cenſura notaſſe. Alterum, S. Thomam in Patrum, & legum doctrina verſatiſſimum has leges, & hanc infamiam non ignoraſſe. Ille ne ignoravit, quæ Tertullianus, Cyprianus, Salvianus, Chryſoſtomus, & Auguſtinus de Mimis docent, & Theodoſius, aliique Imperatores de Hiſtrionum infamia ſtatuerunt? Supinæ ignorantiæ notam Angelico Doctori inureret, qui illum de publicis hiſtrionibus, qui aut amoris impuri, aut ambitionis, aut crudelitatis vitia inter ſcenas repræſentant, loqui contenderet. Quando igitur docet cum ceteris Scholaſticis artem hiſtrionum non eſſe ſecundum ſe illicitam, eam artem intelligit, quam privatim Poetæ, & hiſtriones, ſeu circulatores ſui temporis in hac, aut illa Civitate exercebant. Idque confirmat, quod illo tempore nulla prorſus publica Theatra fixam ſedem habentia extarent. Quid quod Doctor Sanctus docet in reſcriptis teſtimoniis, ludos iſtos eſſe licitos, *dummodo non ſint contra Dei, vel Eccleſiæ legem, dummodo vel facta, vel verba turpia non contineant?* Oſtendant Theatrorum defenſores vel unicam nobis Tragœdiam, aut Comœdiam, ſive priſcæ, ſive hodiernæ ætatis, quæ in publico Theatro recitata a mulierculis, & viris, adjectis actibus intermediis, choreis, muſica, ceteriſque omnibus, quæ tupitudine, & obſcœnitate olent, polluta non fuerit? Planum itaque eſt; hiſtrionatus artem, quam Sanctus Thomas ſecundum ſe licitam aſſerit, toto genere differre ab illa, quam Mimæ, & Mimi noſtro tempore repræſentant. Theatra naturam & eſſentiam mutant ex circumſtantiarum, & præſertim materiæ diverſitate, ut mox conſtabit.

V. Confirmat quæ hactenus dixi, celeberrimus Ludovicus Antonius Muratorius, Reipublicæ litterariæ ſplendor, & ornamentum, *Tom.* 2. *Ant. Ital. Med. Æv. Diſſ.* 29. ubi animadvertit, poſt declinationem Imperii Romani Theatra & Spectacula, quæ olim vigebant, defeciſſe; & ficti

& ficti belli pugnas, & ludicra certamina ſucceſſiſſe: numquam tamen defuiſſe aliqua mimicæ artis veſtigia. Refert ille pag. 845. aliqua ex laudatis S. Thomæ teſtimoniis verba, & quid nomine *Hiſtrionum* S. Doctor intellexerit interpretatur. Inquit enim: *Si vero tunc idem præſtitiſſe credendi, quod nunc* Circulatores (Saltimbanchi, & Cantimbanchi *eos appellamus*) *atque alia ludicra proferunt in plateis, & compitis. Quæſtioni huic cauſam fortaſſe dedit, quod Philippus Auguſtus Rex Franciæ eodem ſæculo XIII. ineunte Hiſtriones e Regni finibus excedere juſſerat, quod id genus hominum Reipublicæ pernicioſum exiſtimaret*. Heinc iterum collige, quam craſſa laborent ignorantia illi, qui quæ S. Thomas de circulatoribus (vulgo *Saltimbanchi*) dixit, ad honeſtanda hodierna theatra detorquent. Plura ibidem perſequitur Cl. Muratorius, expenditque ludorum diverſitatem, qui ſæculis barbaricis uſque ad ſæculum XV. obtinebant.

VI. Sæculo XV. Provenzalibus neglectis, aliud Poetarum, & Comicorum genus prodiit, qui Sanctorum, & Chriſti Domini acta repræſentabant. Erecta Pariſiis fuit Congregatio ejuſmodi ſacrarum repræſentationum, ut ſæpe laudatus Pater *Le Brun* narrat, cujus munus erat Acta Paſſionis Chriſti referre. De hac Congregatione plura ille narrat, quæ prætereo. Initio devotionem, & pietatem excitarunt; at temporis tractu omnia intermediis actibus, & exordiis polluta fuere, ut in artibus quibuſque, quæ hominum opera exercentur, evenire ſolet. Hæ ſacræ repræſentationes adjectis choreis, ſolemnioribus Chriſtianæ Religionis feſtis celebrabantur, modo in Eccleſiis, modo extra. Clerici ipſi Comicos agebant. Hæc omnia tandem abolita fuere, quorum veſtigia variis in Provinciis diu perdurarunt, & in Hiſpania adhuc graſſantur.

VII. Circiter ſæculum XVI. theatra publica, quæ manſuram haberent ſedem, ædificata fuere; Comœdiæ, & Tragœdiæ, cum in Italia, tum in Gallia, ad exemplaria Sophoclis, & Euripidis compoſitæ prodierunt, dolis, & velitationibus amatoriis plenæ, & antiquorum Theatrorum corruptelæ graſſari uſquequaque cœperunt. Tragœdiarum auctores in Italia primi Muſſatus Petavinus, & Triſſinus Vicentinus: in Galliis Jodellus, & Garnerius habentur. Eccleſia non ſiluit, ſed antiquorum Patrum, & Conciliorum veſtigiis inſiſtens, in ſuis Synodis renaſcentem corruptelam exterminare pro virili ſategit. Innumera ſunt Eccleſiæ decreta, quæ adverſus ejuſmodi ſpectacula collegit P. *Le Brun*. Initio ſoli Hiſtriones, ſecus feminæ, infamem artem Theatralem exercebant. In Synodorum decretis, quæ hoc tempore lata fuere contra Hiſtriones, nulla Scenicarum mulierum fit mentio. *Cecchinus* Ferrarienſis famoſus Hiſtrio, qui in ſuæ profeſſionis commendationem librum edidit an. 1616. aſſerit ab annis minus quinquaginta obtinuiſſe, ut veræ, non fictæ mulieres in Scenam prodirent, Mimaſque cum ſuis Mimis agerent.

VIII. S. Carolus Borromæus, ſtrenuus Eccleſiaſticæ diſciplinæ aſſertor, & vindex præ ceteris in Italia bellum ſpectaculis indixit, & in auxilium Principes, & Magiſtratus advocavit, ut 2. *p. act. Tit. 66.* habetur. *De his etiam Principes, & Magiſtratus commonendos eſſe duximus, ut hiſtriones, & mimos, ceteroſque circulatores, & ejus generis perditos homines e finibus ſuis rejiciant*. Dominus Bollanus Epiſcopus Brixienſis, ſecundus Ambroſius nuncupatus, anno 1573. hæc ſtatuit. *Circulatorum, atque id genus vilium hominum ſpectatores ne ſint . . . Loca, ubi choreæ ducuntur, comœdiæ aguntur, mimi, hiſtriones, & id genus aliud adhibentur, evitent omnino*. Ex actis Eccleſiæ Brixienſis Venetiis impreſſis an. 1608.

IX. Concilium Turonenſe an. 1585. hæc præcipit: *Comœdias, ludos ſcenicos, vel theatrales, ſub anathematis pœna prohibet hæc Synodus: Præcipitque omnibus, & ſingulis Parœciarum rectoribus, qui huic decreto non paruerint, ut illius ordinatione nominatim excommunicati denuntientur, & publicentur*. Innumeras alias referre Synodos poſſem, ſi opus eſſet, otiumque faveret. Rituale Metenſe an. 1605. vetat, ne eccleſiaſtica ſepultura donentur comœdi, & hiſtriones. Rituale Pariſienſe infamem declarat artem comœdorum, eoſque a ſacra communione arcet. Rituale Cabilonenſe Pariſiis anno 1649. impreſſum hæc jubet. *Arcendi ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, mani-*

feſte

feſte infames, *ut meretrices*, *concubinarii*, *comœdi*. Severius hoc idem mandat Epiſcopus Atrebatenſis anno 1695. Univerſitas Pariſienſis anno 1648. idem ſtatuit.

X. Lubet iſthuc tranſcribere verba Synodi Telonenſis anno 1704. gallica latine reddita. *Cœtus Chriſtianorum corpus myſticum dicitur*, *cujus Chriſtus caput eſt*, *& Spiritus Sanctus anima*, *& forma*. *Igitur qui defendit*, *Comœdiarum occupationem dignam eſſe Chriſtiana profeſſione*, *conſequenter docet*, *Chriſtum in eiſdem ſibi complacere*, *Sanctumque Spiritum ad exercitia iſthæc Chriſtianos dirigere*; *quod blaſphemiam redolet*, *quam nemo vel eorum*, *qui impudenter ludos theatrales extollunt*, *proferre auſit*. *Nimium ergo compertum exploratumque*, *ſpectacula ſcholas eſſe dæmonum*, *ubi tot habent ſectatores*, *quot ſpectatores*. *Nihil ergo magis oppoſitum non modo hominis*, *Chriſtiani ſpiritui*, *verum etiam ſolemni illi proteſtationi*, *profeſſionique*, *quam omnes in baptiſmate edimus*, *renuntiandi nempe dæmoni*, *ejuſque pompis*, *& operibus*. *Hortamur itaque fideles omnes*, *quos nobis Providentia concredidit*, *ut ab his falſis*, *exitioſiſque ſæculi voluptatibus abſtineant*. *Quod ſi tantum ſibi illuderent*, *ut crederent*, *nihil ipſos mali perpetrare*, *numquam ab ea ſeſe purgare valent iniquitate*, *quam ceteri perpetrant*. *Porro Divo Paulo teſte*, *conſcii*, *& conſentientes*, *& impendio magis qui cooperantur*, *non ſecus ac criminum auctores*, *plectuntur*. *Propterea nos omnibus Confeſſariis mandamus*, *ut abſolutionem denegent iis*, *qui poſt correptionem nollent a Comœdiarum*, *Theatrorumque frequentia abſtinere*. *Presbyteris verò*, *Beneficiariis*, *& Eccleſiaſticis omnibus iſtius Diœceſis pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda præcipimus*, *ne choreis*, *ludis theatralibus*, *Comœdiiſque aſſiſtant*.

XI. Non modo Epiſcopi in ſuis Conciliis, verum etiam Theologi, & Concionatores cujuſcumque Chriſtianæ nationis, qua voce, qua ſcriptis ſpectacula theatrica inſectati ſunt. Miſſis Concionatoribus, quorum innumeri ſunt adverſus rediviva Theatra ſermones, celebriores Theologos indicabo.

XII. In Hiſpania duo celeberrimi Jeſuitæ, P. Franciſcus *Ribera*, qui confeſſiones S. Thereſiæ audivit, in *Comm. ad Mich. cap.* 1. *n.* 63. Comœdos exagitat. P. Joannes *Mariana* integrum, ut fertur, tractatum adverſus Theatra hodierna edidit. Gonzalez in notis ad Canon. 62. Concilii Eliberitani, jure tum civili, tum eccleſiaſtico, artem theatricam infamem declarat, ſuæque Nationis Theologos præſtantiores, qui contra hanc corruptelam ſcripſere, laudat his verbis. *Plura etiam congerunt de hac nefaria arte Mariana de ſpect. c.* 12. *cum ſeq. Bulenger l.* 1. *de Circo c.* 52. *Calatajus in Paradox. c.* 12. *Amara de leg. unic. cap. de venat. ferarum. P. Fab. l.* 2. *ſum. cap.* 12. *Demſter ad Roſin. lib.* 5. *c.* 6. *Lantiment. l.* 2. *de vet. Monum. cap.* 82. *Cabreros de met. lib.* 2. *cap.* 8. *Oſſual. ad Dona. lib.* 18. *cap.* 7. *Mendoza qu.* 9. *quodlibet*. Quid plura, ipſe P. Eſcobar Comœdias execratur, cujus verba in loco dabo. Præſtantiſſimus Cardinalis Aguirre *Tom.* 1. *Concil. pag.* 674. hæc inter alia ſcribit: „ Modo paſſim contingit, ut qui caſti, ac pudici ad ea „ Theatra accedunt, alii omnino recedant. Quot Virgines, quot caſtæ „ Matronæ ibi concipiunt amores, quos „ antea non ſenſerant, & paulatim, „ depoſito pudore ſuccumbunt? Pauci „ ſunt, ſi forte aliqui ſpectantium, quibus amatoriæ illæ phraſes, geſtus, inventiones, non excitent affectum aliquem minus purum. Videant ergo „ Magiſtratus, & Gubernatores Reipublicæ, qua ratione poſſint eas permittere, & an non ſint coram Deo rei „ innumerabilium ſcelerum inde ſecutorum. *Viderint pariter nonnulli recentes* „ *ſcriptores*, *quanto ſalutis alienæ*, *&* „ *propriæ periculo in ea parte frena laxent*, *innixi uno vel altero teſtimonio* „ *S. Thomæ male intellecto*. “ Didacus quoque Tapia celebris Theologus Hiſpanus calamum acuit in Comœdias, ut plures alios prætermittam.

XIII. Ex Italia Paulus Comitolus *lib.* 5. P. Albertus de Albertis Soc. J. in Paradox. *diſp.* 2. acriter Theatra inſectati ſunt. Pater Dominicus Ottonelli Soc. J. tria volumina in 4. contra Theatra edidit. P. Hieronymus Florentinus Cong. Mat. Dei Tomum in 12. bis impreſſit, atque hoc titulo inſcripſit: *Theatrum contra Theatrum*. Inter Concionatores, qui omnes ſemper declamarunt contra vitia theatrica, eminet P. Paulus

Se-

Segneri Soc. J., cujus ſermonis ſpecimen infra perſtringam.

XIV. Theologi Galli, Evangelicæ Moralis, ſi qui alii, invicti propugnatores, unanimi fere conſenſu repræſentationes ſcenicas improbarunt ſemper. Nicolaus integro Tractatu Comœdias profligavit. Bonus Merbeſius in ſua *Sum. Chriſ.* fuſo calamo Theatra improbavit. Sereniſſimus Princeps *de Conti* Tractatum edidit an. 1669. in quo Eccleſiæ traditionem contra Comœdias, & ſpectacula expoſuit, Patrum teſtimoniis adductis. Adverſus hunc tractatum prodiit *diſſertatio* Auctoris Anonymi: Dominus *de Voiſin* Doctor Theologus, & Conſiliarius Regius volumen in 4. emiſit in lucem 1671. hoc inſcriptum titulo: *Le deſenſe du Traitè de Monſigneur le Prince de Conti*. Hoc ſuo opere ſane doctiſſimo Dominus *de Voiſin* præfatam diſſertationem penitus profligavit, auctoremque antiquæ eruditionis ſive ſacræ, ſive profanæ, & evangelicæ doctrinæ mirifice imperitiſſimum demonſtravit. P. Franciſcus Caffaro Epiſtolam Pariſiis ann. 1694. publicis Typis evulgavit in Comœdiæ defenſionem. Scriptum iſtud ſcandalum adeo graviſſimum excitavit in Gallia, ut epiſcopalem ſollicitudinem, ſtudiumque inflammaverit, ad ſacrum Eccleſiæ depoſitum cuſtodiendum. Archiepiſcopus Pariſienſis ad palinodiam ſcriptorem adegit, qui humilitatis exemplo non adeo frequenti, continuo præſtitit, ſuamque retractationem ipſi Archipræſuli inſcripſit. Hac publica retractatione haud contenti ceteri Galliarum Epiſcopi, verentes, ne imperiti Fideles, ſua alioquin natura ad ea omnia, quæ demulcendis ſenſibus inſerviunt, propenſi, inficerentur, evulgati ſcripti laxa, & verſuta commenta profligare conſtituerunt. Celeberrimus *Boſſuetus* in primis opuſculum edidit eodem ann. 1694. quo Caffaro Epiſtolam prorſus contrivit, & perennem Eccleſiæ traditionem contra Theatrorum corruptelam magnopere more ſuo illuſtravit. Hoc eodem ſimiliter anno 1694. ejuſdem Caffaro ſubdola commenta improbavit *P. de la Grange* Doctor Theologus edito tractatu inſcripto: *Refutation d'un ecrit favoriſant la Comedie*. Poeta Bourſault Caffarum ſollicitaverat ad dictam ſcribendam Epiſtolam, quam ſuo inſeruit Tomo hunc præferente titulum: *Pieces de Theatre de Mr. Bourſault*.

XV. Ex iis, quæ hactenus breviſſime delibata ſunt, baſilice patet, quam ſit vanum, chimericum, atque perridiculum commentum illud, quo eludere Theatrorum defenſores Patrum doctrinam contendunt, effutientes, antiquos Patres idcirco adverſus Theatrum acriter invectos eſſe, quod Idololatriæ crimine inquinata eſſent. Siquidem antiquorum Patrum doctrinam adoptarunt ſucceſſores Epiſcopi, doctoreſque Eccleſiæ extincta penitus Idololatria, & Patrum priſcorum dicta oppoſuerunt contra illa ipſa Theatra, quæ Chriſtiani propriæ profeſſionis haud ſatis memores reædificarunt, & Paganicæ ſcilicet Idololatriæ reliquias in ſcenam traduxerunt. Ultimæ ætatis noſtræ Concilia, Epiſcopi, Archiepiſcopi ſanctitate, & doctrina præſtantiores apoſtolicum Zelum adverſus reſtituta Theatra ſuccenderunt; Theologi omnes evangelicæ doctrinæ periti calamum in Comœdiarum, & Tragœdiarum præſtigia acuerunt.

XVI. Qui namque ſunt, qui pro Theatris pugnarunt? Viri theatrici, & hiſtriones. Petrus Maria *Cecchinus* Ferrarienſis famoſus hiſtrio ſermones pro Comœdiarum honeſtate edidit, impreſſique fuere Venetiis an. 1621. Nicolaus *Barbieri* dictus inter hiſtriones *Beltrame* pro Theatris pugnavit cum aliis nonnullis Comicis, quorum ſcripta referre non vacat. Alter Hiſtrio *Riccoboni* dictus *Lelius* in ſuo paucis adhinc annis evulgato lingua Gallica Theatro Italico, nonnulla ſcribillavit in Comœdiarum defenſionem. Narrat S. Carolum Borromæum propria manu ſignaſſe Comœdias in Theatro recitandas, cum ex ejus actis colligatur Comœdos abiiſſe, quod noluerint Regulis a S. Archiepiſcopo præſcriptis ſubjacere. Poetæ Itali nonnulli bellum litterarium Riccoboni intentarunt, quod de Theatro Italico minus apte ſcripſiſſet. Hic Riccoboni ab Italis Poetis artem recitandi Tragœdias didicit, & ingrati animi poſtea reprehenſus fuit. Plura de hoc diſſidio dicenda occurrerent, quæ utpote nimis lepida prætereo. Theatrorum igitur defenſores ſunt Poetæ, & hiſtriones. Næ iſti Chriſtianæ profeſſionis, & Evangelicæ doctrinæ peritiſſimi, & pleniſſimi! Quid quod celebriores, doctioreſque Poe-

tæ partus ſuos in juventute editos, provectiores facti eoſdem lacrymati ſunt, tamquam juventutis delicta? Hanc veritatem cum Italiæ, tum Galliæ celebriores Poetæ illuſtrant. Quid egerit nominatiſſimus *Petrarcha* maturior factus, neminem latet. Quid de altero Italiæ noſtræ Poeta omnium ætatis noſtræ præſtantiſſimo APOSTOLO ZENO dicam? Is vel ab ipſa adoleſcentia in id operam dederat, ut ab obſcœnitate, & turpitudine Theatra purgaret. At nondum compertum eidem erat argutiſſimum Epiphonema, quo S. Auguſtinus jactatam ſuo tempore Theatrorum ad Chriſti legem reformationem ſic vellicavit: *Numquid & diabolus factus eſt Chriſtianus?* Quamobrem ad ſenectutem deveniens, partus ſuos poeticos florente ætate editos deflevit, improbavit, &, ut eam, quam offerre humana imbecillitas ſatisfactionem Deo pro irrogata injuria valet, pro viribus rependeret, ſacra drammata compoſuit, ut loco profani amoris, olim fortaſſe ſuis carminibus excitati, divinæ caritatis ignem accederet, inflammaretque hominum corda ad devotionem, ad pietatem, divinaſque celebrandas laudes. Niſi ab inſtituto declinarem, plurima mihi de præclariſſimo viro dicenda forent, cujus multorem annorum intervallo non tam ſelectam, vaſtamque eruditionem, memoriæ promptitudinem, elegantis ſermonis facilitatem; quam integerrimam Chriſtianæ vitæ probitatem, & in primis ſingularem profecto humilitatem, mundique contemptionem, demiratus ſum. Ceterum ſi plura cupis, lege elegantiſſimas orationes duas, alteram Idiomate Italico, quam P. Antoninus Valſechi celebris Italiæ noſtræ Orator ſacer, aliarumque ſcientiarum cultor: alteram, quam P. Hyacinthus Menegati Philoſophiæ Lector egregius latine ſcriptam in tanti viri obitu publicis typis ediderunt. In Gallia vero duo celebres inter alios floruerunt Poetæ *Corneille*, & *Racine*, qui caſtiores edidere Tragœdias, quas tamen ambo tamquam juventutis delicta improbarunt. P. Le Brun pag. 28. exemplum D. *Racine* proponit ceteris Poetis imitandum. Contra, *Moliere*, qui theatricas voluptates valde foverat, funeſtum artis ſuæ profeſſoribus exemplum reliquit, ait idem P. Le Brun pag. 259. his verbis: „ Ce qui eſt conſtant, c' eſt „ que ſa mort eſt une Morale terrible „ pour tous ſes Confreres, & pour tous „ ceux, qui ne cherchent qu' a rire. *Un* „ *peu de terre obtenue par priere* c' eſt „ tout ce qu' il a eut de l' Egliſe, encore „ falut il bien proteſter, qu' il avoit donè „ des marques de repentir. *Roſimond* „ etant mort ſubitament en 1691. fut „ enterre ſans Clerge, ſans luminaire, „ & ſans aucune priere dans un endroit „ du cimitiere de S. Sulpice, ou l' ont „ met les enfans morts ſans Bateme. “ Editor operis P. Le Brun pag. 260. narrat ſeverius animadverſum fuiſſe in famoſam *Conureur* procacem Mimam anno 1730. denatam ſine Sacramentis, & in agro beſtiarum inſtar ſepultam.

XVII. Ante quam ultra provehor, profligati pudoris, & honeſtatis homo mihi reprimendus occurrit. Is eſt celeberrimus Sannio *D. DE VOLTAIRE*, qui Religionem in jocis habet, & oblata arreptaque occaſione, eam deridendam propinare exquiſita vafricie ſtudet. Ad rem noſtram quod attinet, hæc adverſus opus *P. Le Brun* in ſuis Epiſtolis impietatis labe reſperſis, & ſannarum quiſquiliis intermixtis ſcribit *Epiſt.* 23. Gallica lingua, & a me latine verſa. *Qui fieri poteſt, ut ars, quam ſupremæ Poteſtates præmiis remunerant, quam præſtantiores homines excolunt, quam Nationes admirantur, infamia notetur? Quomodo percipi jure valet, ut apud eumdem Bibliopolam ad latus operum immortalium Racine, Corneille, Moliere reperiatur impertinens declamatio P. LE BRUN adverſus ſpectacula noſtra?* Impertinentem declamationem expudoratæ frontis homo appellat Paganicæ ſuperſtitionis deteſtationem, & Moralis Evangelicæ juſtam defenſionem. Hæc in tranſcurſu adnotaſſe ſufficiat, ut ab ejuſmodi tenebrarum opuſculis, quæ ceteroquin vel muliercularum manibus teruntur, lectitandis Chriſtianos amoveamus. Sed eo malorum Religionis noſtræ diſciplina delapſa eſt, ut Bibliopola repertus ſit, qui infames has Epiſtolas recudere non erubuerit. Sed interceptum iter perſequamur.

XVIII. Hæc Drammatum theatralium auctores, hæc Hiſtriones, & Mimæ omnes ſerio meditentur. At vereor, ne iſtorum mentes figmento, mendaciis, & fabulis gravidæ, & polluti animi ſtupidi facti ſint, & inepti ad divinas veritatis meditan-

ditandas. Memoria pene exciderat commentum aliud, quod obtrudere viri theatrici ſolent, Sanctum nempe Franciſcum Saleſium Comœdiis faviſſe *c.* 23. 1. *p.* & *c.* 33. 3. *p. in introd. ad vit. devot.* Sed ab hac impoſtura nimium craſſa illum vindicant *D. de Voiſin*, *P. Le Brun*, aliique multi. Vide quæ ego ipſe ſcripſi *Theol. Chriſt. Tom.* 4. *pag.* 426. & *ſeqq.* Nec enim vacat in re aperta diutius morari. Caſuiſtarum aliqui, quemadmodum ipſum primum Dei amandi mandatum laxis opinionibus offuſcarunt, ſic theatricæ quoque voluptati indulgere æquo latius adniſi ſunt. Verum & ipſi Comœdias obſcœnas, & impudicas uno ore deteſtantur. Nec dubito, quin Theatrorum defenſores puderet in ſuum allegare præſidium ineptiſſima quorumdam unius & alterius Caſuiſtæ paradoxa, quæ ſenſui communi adverſantur.

XIX. Recenſere hic deberem teſtimonia Theologorum, qui tribus ultimis ſæculis ſcripſerunt, ut evincerem, eamdem illorum eſſe, ac antiquorum Patrum doctrinam. Sed hoc infra præſtabo, palamque faciam, quanta ſit inſcitia, & quam vana jactatio illorum, quos non pudet effutire, Patres ob ſolam Idololatriam Theatra improbaſſe. In præſentia unum, & alterum tranſcribam. Franciſcus *Patricius* Senenſis Epiſcopus Cajetanus *lib.* 2. *de Inſt. Reip. tit.* 6. hæc adverſus Tragœdias, Comœdiaſque ſcribit ad Sixtum IV. Pontificem Summum. „ Tragœdia pene omnis extrudenda eſt „ ab optima Civitate, quam quidem Solon Teſpin docere prohibuit, ut inutilem, & eam falſiloquentiam appellavit. Lacedemonii quoque libros Æſchili Poetæ Sparta Urbe aſportari juſſerunt, tamquam inutiles, & *editos potius ad hominum mores corrumpendos*, quam ad aliquam bonarum artium diſciplinam . . . Comœdia, quam in Sicilia primum adinventam dicunt, in ſpectaculis etiam recitari non placet, corrumpit namque hominum mores, eoſque effeminatos reddit, & ad libidinem luxuriamque compellit &c. “ Rurſus *lib.* 8. *tit.* 14. „ Theatrorum ratio temporibus noſtris minus neceſſaria eſt. Fabulæ enim omnes ejectæ exploſæque ſunt, & ſeveritate moris, religioniſque ſanctitate urbibus ejectæ: quocirca ſupervacaneum omnino eſſet de ſtatuendis Theatris plura dicere, cum vetera ſpectacula diruantur, & nova neutiquam ædificentur

XX. Jacobus Pignatelli *tom.* 8. *conſult.* 153. hæc narrat. „ Romæ licentia ſpectacula in publicum faciendi nulli datur. Quinimmo in diebus carnis privii vix in domo alicujus Magnatis fieri permittuntur. Quem morem a Clemente Octavo inductum anno Jubilæi 1600. Urbanus Papa Octavus illibate cuſtodivit, hoc etiam adjecto, ut circulatores, ſive pharmacopolæ circumforanei tempore adventus, Quadrageſimæ, ac per totam octavam Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti, item feria ſexta, aliiſque feſtivitatibus in Dei honorem conſecratis nullatenus in publicum ad ludicra faciendum prodeant. Ceteris vero diebus eis miſerationis gratia indulgetur, ut inter res vendendas poſſint ad populi concurrentis ſolatium aliquid honeſti joci permiſcere. Neapolis peculiari pragmatica prohibentur Comœdiæ, & alia quævis hiſtrionum ludibria in locis publicis repræſentari, ut in *pragmantia* 1. *tit. ne quid in loc. public. fiat* quam *Rovitius* commentario ſuo exornavit. “

CAPUT VII.

Narratio eorum, quæ quatuor ætatis noſtræ Auctores Caffaro, Boſſuetus, Lamy, Vulpius *de ludis theatralibus ſcripſere. Vera Theatri noſtri temporis idea, & ſincera imago.*

I. P. Franciſcus Caffaro ann. 1694. ſcriptum exaraverat, quo Theatrorum, quæ ætate noſtra obtinent, innoxium uſum propugnabat. Illo inconſulto, editus liber eſt. Continuo atque lucem aſpexit, Eccleſiæ Gallicanæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſapienteſque omnes commovit, eorumque ſanæ vindicandæ doctrinæ zelum vehementer ſuccendit. Ut juſtæ indignationis pœnam declinaret Auctor, Retractationem editi opuſculi Archiepiſcopo Pariſienſi ſumma animi demiſſione, & ſingulari modeſtiæ, ac humilitatis exemplo obtulit. Eam hic ſubjicio, tamquam & modeſtiſſimi Scriptoris luculentum teſtimonium, & validum ſanæ doctrinæ præſidium.

„ Illuſtriſſimo DD. Archiepiſcopo „ Pariſienſi, Duci, & Pari Franciæ, „ Regiorum Ordinum Commendatori, Sorbonæ Proviſori, Regiæ „ Navarræ ſuperiori.

„ Libelli cujuſdam gallice ad Comœdiæ defenſionem compoſiti, & ſic inſcripti, *Lettre d' un Theologien* &c. „ meme vulgo Auctorem circumferri audire, ſimul & natam ex eo offenſionem noſſe non potui, Archipræſul Illuſtriſſime, quin acri inde dolore percellerer, mihique tum ad Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, tum ad ſacri, quo fungor, muneris honorem cenſui incumbere, publice ut profiterer, Epiſtolam hanc non eſſe meam, meaſque in ea partes eſſe nullas, eam, priuſquam ederetur, meam ad notitiam non perveniſſe, & plane omnem, quæ in me conjiceretur, de ea ſcripta ſuſpicionem a me ipſo jam repelli. Ab hac tamen demiſſa, ut par eſt, confeſſione me nolim immunem, qua ipſe aperiam, quid cauſſæ eſſe potuerit, cur ea mihi adſcriberetur, priſtinam meam de ipſius argumento ſententiam detegam, & hodiernam, quaſi in prioris expiationem, patefaciam. Facit hoc, Archipræſul Illuſtriſſime, ut tuam ad Celſitudinem ſcribam, cum te meum, ut & univerſi gregis tibi crediti, ex quo eſſe honori duco in doctrina judicem, jure divino natum, a Spiritu Sancto poſitum, & a Chriſto ipſo conſtitutum habeam, meque eo nomine obſtrictum ſentiam, ut hance meæ mentis explicationem penes te deponam, quam ipſe, ſi tibi expedire videbitur, publicam in lucem prodire jubeas.

„ Ab annis decem, aut duodecim Latinum mihi in Comœdiam ſcriptum excidit, in quo, prævio non habito rei, de qua agerem, maturo examine, juvenilis animi levitate elatus, ab illius vindicandæ partibus ſtabam, quo eam more Pariſiis haberi finxeram, cum nulli umquam adfuiſſem, & ex aliorum relatione nonnumquam audita illius mihi in mentem effigiem induxiſſem puriorem. Et vero pudore ſuffuſus non poſſum non fateri, quin Epiſtolæ, me inconſulto editæ, capita, & momenta illa ipſa ſint, quæ & meo in privato ſcripto haberentur; „ etſi duo hæc in quibuſdam differant; ubi hoc habet Epiſtolæ Auctor, quod ego non attigi, & alia ille ratione loquitur, quam qua meo ſim in ſcripto uſus: quemadmodum, cum in Comœdiæ patrocinium, tuum, Archipræſul Illuſtriſſime, de ea habenda ſilentium temere adducit, unde illam a te, tacito ſaltem conſenſu, probari inferat, cui ſimile nihil meo in ſcripto præſtiterim, in quo ne quicquam dixerim, quod tuam nominatim Celſitudinem ullatenus ſpectare poſſit: cujus quidem inter utrumque diſcriminis eximius vir D. Pirot, qui hoc non ita pridem juſſu tuo exploravit, fidem tibi facere poterit, non minus quam & alterius Ritualium, ut vocant, occaſione, quippe quæ ita Epiſtola videtur excipere, quaſi minus iis exhiberet obſervantiæ, quam ad hoc librorum genus, tanta dignum reverentia, par eſſe poſſit, de quibus ſic illa loquitur, *certains Rituels* cum meo in ſcripto candide tamen ita habeam, *nonnulla Ritualia aliquarum Diœceſum*.

„ Non eſt, quod negem, quia ſi ſemel Epiſtola meo cum ſcripto conferatur, ex hoc illa prope ad verbum collecta, atque ita meo ex præcipiti ſcripto præter meam mentem orta infeliciter Epiſtola perſpiciatur. Scriptum meum numquam ſtatui apud me prælo mandandum; neque vero accurate adeo elaboratum illud erat, ut juris ipſum publici fieri contenderem. Quod in eo tractabam argumentum, mihi non ſat erat exploratum; neque auctorum, quos alterutram in partem afferebam, teſtimonium ſatis compertum: imprimis vero, quod ex D. Carolo petebam, cujus in auctoritate, perinde ac ſi meæ ſententiæ ſuffragaretur, vim faciebam. Imo ne quidem noveram, quonam more Comœdia Pariſiis daretur, cum comica Molieri carmina nulla umquam, aliorum pauciſſima; nec attento animo; evolviſſem; & aliunde una ex fama Ritualium notitiam haberem, nec ipſo etiam Pariſienſi lecto. Hoc attentionis, & recognitionis vitio contigit, ut meo in ſcripto, quod palam edere mihi numquam fuit in animo, Comœdiæ cauſam agerem. Hujus me conſilii vehementer pœnitet, nihilque non præſtarem lubens,

„ quo

„ quo ſubortum inde improviſum offendiculum amoveretur. Gravis non fuit „ operæ, ut primævum meum de Comœdia ſenſum deponerem, & ejus loco alium caperem, quem deinceps ſequar. Re penitus excuſſa mihi plane „ perſuaſum eſt, quidquid altera ex parte ad Comœdiam excuſatam habendam „ affertur, leve eſſe prorſus, ac frivolum; ſtabile vero, & inconcuſſum, „ quod e contrario tenet Eccleſia; cum „ nimirum iis, quos in morbo a ſacro „ Viatico arcendos decernit, ni vitæ anteactæ inſtituto penitus abdicato, impactam eo populis offenſionem eluant, „ Comœdos annumerat, nec ad ſanctos „ Ordines, ſi quando eos ipſi poſtulent, „ ſuſcipiendos vult admitti. Duo hæc „ ſunt præ ceteris de illis hominibus in „ Pariſienſi Rituum volumine, aliiſque „ permultis exterius conſonis ſancita capita. Hance Eccleſiæ diſciplinam, doctrinamque, qua leges hujuſmodi nituntur; toto animo, tota obtemperatione amplector, eaque omnia ſine ulla exceptione ſubſcriberem, quæ tuo „ in Rituali habentur, tum quæ in Comœdos quandocumque incidunt, ſive „ eos recta ſpectent, ſive ad ipſos oblique referantur, tum quæ aliud quid, „ quomodocumque ſit, attingunt. Id „ equidem, Archipræſul Illuſtriſſime, „ omni aſſeveratione tuæ Celſitudini religioſe confirmo, ad exequendum paratus, quidquid imperes, ut me, ſenſaque mea Reipublicæ Chriſtianæ probem, & ei fiat ſatis. Summa ſum reverentia

„ Archipræſul Illuſtriſſime
„ Tuæ Celſitudinis
„ Humillimus, & obſequentiſſimus Servus
„ Franciſcus Caffaro C. R.
„ Pariſiis die Maji 11. 1694.

II. Retractatio hæc, ſi Auctoris innocentiam, & probitatem in tuto poſuit, haudquaqua idonea judicata fuit dedocendis imperitis illis, qui ſeduci ex editi Opuſculi captioſis ratiunculis poterant. Quamobrem Eccleſiæ Gallicanæ ſplendidiſſimum lumen, & ornamentum doctiſſimus Boſſuetus præfatæ diſſertationis ſophiſmata, & cavillatoria ratiocinia convellenda operæ pretium exiſtimavit publica diſſertatione, quæ primum lingua Gallica, poſt Italica typis Venetis in lucem prodiit hoc titulo inſcriptam: *Animadverſiones in Comœdiam*.

III. Pauca curſim adnotabo. Qui, inquit, modernos ludos Theatrales innoxios aſſerit, caſtam impudicitiam, honeſtam infamiam propugnet neceſſum eſt. Comœdorum colloquia, geſtus, motus, concentus, & cetera, quæ noſtri temporis ſcenicas repræſentationes comitantur, vivide depingit. Communia & obvia rationum momenta, quæ Comœdiæ pravitatem evincunt, incredibili perſpicuitate, & ſua uberrima eloquentiæ vi urget, atque corroborat. Duo potiſſima Adverſarii ſophiſmata ſub examen inducit. Experientia nititur primum. Fidelium millia integerrimæ conſcientiæ Comœdias, & ſanctiſſima Religionis noſtræ Sacramenta ſimul frequentant. Quod commentum ut convellat, peccata enumerat, quæ *pii iſti*, atque *probatiſſimi Chriſtiani* perpetrant, & Medicorum ſpiritualium aut imperitiam, aut oſcitantiam arguit. Plerumque non ſecus in ſpirituali, quam in corporali infirmitate morbi, qui mortem inferunt, tum ægrotum, tum Medicum latent; ſunt morbi qui ſicut corporis, ita animæ ſenſum tollunt. Auctoritate fulcitur alterum S. Thomæ Aquinatis. Fuſo calamo hujus Angelici Doctoris doctrinam exponit *Boſſuetus*, deceptumque evincit Adverſarium in ejuſdem intelligentia. §. XIII. adducit Concilii Turonenſis can. 8. in quo ea omnia prohibentur, quæ oculos, aureſque demulcent. *Canon laudatus* (inquit Boſſuteus) *non ſupponit in ſpectaculis, quæ important actionem, aut verba inhoneſta. Spectat dumtaxat oculorum, & aurium illecebras . . . quæ ad vitiorum turbam viam aperiunt . . . Quid de illis ſpectaculis dicendum, in quibus ex compoſito verſus amatorii, & molles concentus immiſcentur?* Opponit ſibi, præfatum Canonem Clericis, non Laicis ſpectacula prohibere. Cui objectioni hoc præbet reſponſum latine verſum. *Hæc craſſa hallucinatio ſimilis illi eſt quorumdam Doctorum, qui ex Can.* 18. *Concilii Nicæni adverſus fenora Clericorum colligunt, eadem non prohiberi laicis. Qui error ut confutetur, ſat eſt rationes ſpectare, quibus nituntur Canones, dum aliqua Clericis prohibent . . . . Scripturarum teſtimonia, quæ fenus vetant, æque laicos, ac Clericos comprehendunt*. §. XV. Aliud eſſu-

fuguium præcludit illorum, qui fabulantur, Patres invectos dumtaxat eſſe adverſus turpitudinem antiqui Theatri: quibus reſpondet. *Ethnicorum Tragœdiæ (quod pudore ſuffundere nos Chriſtianos deberet) ita modeſtia, & gravitate præſtant, ut Theatrum noſtrum tantam pati ſimplicitatem non potuerit.* Cetera prætereo, illudque tantum adverto, numquam *Boſſueto* nimii rigoris notam impactam fuiſſe, neque ab illis, qui omnia æquo rigidiora accuſant quæ non ſunt laxiora.

IV. Tertius ætatis noſtræ Scriptor eſt *Bernardus Lamy*, qui in ſuo de arte poetica tractatu *cap.* II. ætatis noſtræ comœdias Ethnicorum comœdiis impudentiores aſſerit. Eccleſia, inquit, non ſecus antiquos, ac hodiernos deteſtatur theatrales ludos. *Et hoc compertum exploratumque iis omnibus eſt, qui noſtras animadverſiones hactenus in Comœdiam adornatas legerunt. Quoniam, cum hodierna opera theatralia majori concinnata artificio ſi t, neceſſario conſequitur, periculoſiora eſſe juxta ea, quæ dicta ſunt cap.* 3. Lege, cum per otium licet, integrum illud caput, & plura alia, quæ ibidem celeberrimus Auctor iſte ſcribit, & inde evidentius colliges periculorum, ne dicam flagitiorum, pleniſſimas eſſe temporis noſtri comœdias.

V. Succedit quarto loco Cl. Vir *Joannes Antonius Vulpius* in Univerſitate Patavina litterarum humaniorum Publicus Profeſſor, & tum Poeticæ, tum Rethoricæ artis callentiſſimus. Edidit ille *de utilitate Poetices* librum eloquentiſſimo, more ſuo, ſtylo conſcriptum, in quo *cap.* VII. hodiernas Italorum comœdias futiles, ineptas, morum integritati pernicioſas, SS. Patrum auctoritate, & invictis rationum momentis evidenter demonſtrat. Pauca tranſcribam, quæ ætatis noſtræ comœdiarum imaginem perhibent. „Comœdia (inquit) potius vulgaris, & fabulæ, quas Paſtorales, & Nemorenſes hodie appellare ſolemus, genus Poematis partim de Idyliis, & Eclogis, partim a Satyrico Græcorum Drammate derivatum, merito apud probos, & frugi infamia laborant. Hæc enim Drammata ob nequitiam argumentorum, ſententiarum laſciviam, locutionis corruptelam, jocorum frigus, Hiſtrionum improbitatem incredibile eſt, quantum ingeniis, & moribus noceant, quam magnam animis adoleſcentium, & puellarum peſtem, ac perniciem afferant, quam virtutis nervos ebibant, hominemque, animal ad ſeria natum, futilitate, ac levitate ſua impleant... His prætermiſſis, in eo potius immorabor, non temere antiquos Eccleſiæ Patres Comœdiis, ac Tragœdiis illorum temporum infamiæ notam inuſſiſſe. *Neque propter impietatem ſolum, & ſuperſtitionem hujuſmodi Poemata, & ſpectacula reprehendebant*, quod Theatra Baccho, & Veneri dicata eſſent, ut qui ad ea convenirent, falſis Numinibus cultum, atque honorem tribuere viderentur, *ſed etiam propter morum corruptelam, rerumque turpium, & flagitiorum doctrinam, quam ſpectatores e fabulis præcipue Comicis hauriebant.*

VI. Poſt tranſcriptam Lactantii invectivam, & laudatam Chryſoſtomi auctoritatem, ætatis noſtræ theatrales ludos his verbis repræſentat, & deteſtatur. „Nunc illud conſiderandum eſt, *utrum horum temporum comœdia*, quo pacto a Gallis, & Italis excolitur, bonis, & homine Chriſtiano dignis moribus officiat, nec ne. De Italorum comœdiis facillimum eſt judicare. Tot enim futilibus, ineptis, inurbanis, obſcœnis, frigidis jocis abundant, ut nihil aliud propoſitum habere videantur, niſi cachinum pueris, & mulierculis, aut hominum fæci viliſſimæ quacumque ratione excitare; quum tamen riſu inepto res ineptior nulla ſit, ut videtur Catullo . . . . Sæculo ſexto decimo, bonis litteris valde florentibus, Italorum Comœdiæ hac in parte minus aliquanto delirabant: & in eorum jocis minus frigoris, & quiſquiliarum animadverti poterat. Nam ad veterum exemplaria componi plerumque ſolebant: ἀσελγεία tamen & improbitatis officinas recte vocaveris in argumentis moribus, ſententiis. Neque tamen exiſtimandum eſt ſolam in Comœdiis apertam obſcœnitatem probæ ac pudicæ juventuti detrimento eſſe. Sunt alia plura, ſpecie venuſtatis, elegantiæ, leporis, humanitatis, fallentia, inſidiarum plena, veneni, ac peſtilentiæ, quibus Poetæ nequam *hoc tempore* gratiam populi aucupantur, & moribus perniciem inferunt. Quid enim? An fre-

„ frequentius quicquam audias in hodier-
„ nis Comœdiis, fabulis Nemorenſibus,
„ ſeu Paſtoralibus Drammatis ad muſi-
„ cam accommodatis, poematum genere
„ corruptiſſimo, quam pietatem, inno-
„ centiam, virtutem a perſonis collo-
„ quentibus derideri, ac ludibrio haberi,
„ peccandi licentiam ſemper colore ali-
„ quo excuſari, vel jocis, & facetiis ob-
„ tegi, atque elevari? Læditur profecto
„ & in his verecundia, aut periclitatur
„ ſaltem, omnibus libidinis, atque in-
„ temperantiæ conatibus, & dolis oppu-
„ gnata, & labefactata: verbis, inquam,
„ & ſententiis venenum ſub melle celan-
„ tibus, ex quibus, tamquam ex tenuiſ-
„ ſimo amictu aliquo, vitium ſatis pel-
„ lucet, ac non obſcura turpium volu-
„ ptatum ſignificatione mirabiles ſui amo-
„ res exſuſcitat. Dictant enim peſſimi
„ Poetæ per Hiſtriones ipſis deteriores
„ utendum ætate eſſe, vitæ fructum vel
„ maximum in eo conſiſtere, ut quis ge-
„ nio indulgeat, neque dulcia, & volu-
„ ptaria in ſenectutem differat . . . Ad-
„ dunt identidem, nihil prodeſſe formam
„ virgini, aut nuptæ, ſi amatoribus ca-
„ reat: muleri cavendum eſſe, ne uno tan-
„ tum laudatore, aut cultore contenta
„ ſit: quo enim proci ad ipſam acceſſerint
„ tot eam pulchritudinis ſuæ, ac venuſtatis
„ certiſſimos teſtes habituram. Præterea
„ dehortantur adoleſcentes ne ſtudiis, &
„ vigiliis pallorem contrahere velint, ne
„ gloriæ ſplendore ducantur, ne ſenilem
„ prudentiam affectent, quæ res ipſos
„ mulierculis odioſos, amoribus ineptos,
„ hominibus elegantioribus graves, omni-
„ no effectura ſit. Alias ætates alia de-
„ cere: interea, dum ſanguis ſervet,
„ dandam operam, ut lætitia, potu, ci-
„ boque liberali, venere, otio, ſomno,
„ quam longiſſime bona ætas protraha-
„ tur, contemptis rumoribus, & fabu-
„ lis invidorum . . . . . . His vocibus,
„ his præceptis ex hara Epicuri de-
„ promptis, *hodierna Theatra fere per-*
„ *ſonant: in hac ſchola erudiuntur ado-*
„ *leſcentes, hic docentur virgines a tene-*
„ *ris unguiculis inceſtos amores meditari*,
„ *hic adulteriorum exempla nuptis propo-*
„ *nuntur:* diſcunt enim, quomodo cuſto-
„ dum, & mariti cura falli poſſit; quo-
„ modo admittendi amantes, qua ra-
„ tione ſpecies quædam exterior pudici-
„ tiæ ſervanda ſit, ac ſimul remotis ar-
„ bitris libidini atque intemperantiæ fræ-
„ na laxanda. Hæc, proh pudor! ſpe-
„ ctantur promiſcue ab omnibus apud
„ Chriſtianos, audiuntur, leguntur, edi-
„ ſcuntur, & inhæreſcunt penitus in men-
„ tibus: quum præſertim eodem accedat
„ muſicæ, & ſaltationis lenocinium, quo
„ nihil ad virile animi robur frangen-
„ dum, & enervandum accomodatius ex-
„ cogitari poteſt.

VII. Habes heinc ætatis noſtræ comœdias turpes eſſe, & obſcœnas, omnibus ſpectatis, quæ illas comitantur. Alias aliis obſcœniores eſſe nemo ambigit. Sed cum omnes carnalis concupiſcentiæ, ſermone amatorio negotium tractent, & eodem omnes ſpectent, ut concupiſcentiæ paſſionem emolliant, inflectant, irritent, & accendant; planum eſt, turpes & obſcœnas eſſe omnes. Diſcrimen in hoc ſolum vertitur, quod Poetæ alii craſſiore, alii delicatiore phraſi voluptatis argumentum verſant. Verba in illis erunt obſcœniora, in iſtis moderatoria: illi apertius, iſti inſidioſius concupiſcentiam obſident, illiciunt, vellicantque. Finem efficacius aſſequuntur ſecundi, quam primi. Re itaque obſcœnæ comœdiæ omnes ætatis noſtræ, quæ promiſcue a feminis, & viris comicis aguntur in publicis Theatris. Quid, inquies, Poetæ, Rethoriſque ad definiendam Chriſtianæ Theologiæ controverſiam auctoritatem allegas? Hi ne Auctores dirimendis Theologorum diſſidiis idonei? Scilicet. Hi ſunt, qui graviſſimo ſuffundunt dedecore nonnullos ſcientiæ morum, & antiquæ eruditionis ſtudio addictos, quos patrocinium præſtare, & Comœdis, & Tragœdis, & eorum ſpectatoribus non pudet. *Joannes Antonius Vulpius*, non tam ſingulari eloquentia, & eruditione, quam morum ſuavitate, & Chriſtiana pietate clarus, non ſacris addictus, ſed laicus, vocis ſonum adverſus comœdiæ corruptelam emittit. Illius deformem picturam eleganti pennicillo repræſentat, & quæ inde conſequuntur, abſurda, eloquenter deſcribit. Non eguit ille Theologicæ ſcientiæ ope, ſed ſolo bono præditus ſenſu, ſolaque ſcientia ab ipſis primis naturæ principiis arceſſita, inſtructus, Comœdiæ, Comœdorum, atque ſpectatorum pravitatem, & vitia deprehendit, perhorreſcit, execratur. Ex illo ego non quæſivi Theologicæ auctoritatis præſidium,

dium, ſed cauſæ ſtatum expoſui. In medium afferre nolui Merbeſium, Natalem Alexandrum, Pontaſium, Genettum, cæteroſque graviſſimos Theologos, ne Probabiliſtæ inveteratam *Rigoriſmi* cantilenam obtruderent; *Ex Boſſueto* Epiſcopo ſummo, ex Lamy eruditiſſimo ſcriptore, ex Cl. Vulpio laico, & perdocto Profeſſore Patavinæ Univerſitatis controverſiæ ſtatum delineare volui, ut quid ſit, de quo eſt diſputandum, pateat.

CAPUT VIII.

Luculentior turpitudinis, & obſcœnitatis notio. Turpitudo alia in rebus repræſentatis, & geſticulationibus: alia in vocibus. Comœdiæ publicæ hodiernæ omnes turpes, & obſcœnæ ſunt, vel ob rem repræſentatam, vel ob voces, & geſticulationes, vel ob choreas; vel ob actus intermedios. Viri inducti veſte muliebri, aut mulieres veſte virili abominales ſunt apud Deum.

I. QUæ hactenus dixi, ſatis ſuperque forent, ut quiſque habere veram turpium comœdiarum notionem & imaginem poſſet. At ea argumenti, quod tractamus, natura, & conditio eſt, ut plurimis ſit obnoxia æquivocationibus, effugiis, rimis, variiſque vocum acceptionibus; cum theatrum opus quoddam ſit ex pluribus conflatum actionibus. Idcirco niſi maxima perſpicuitate, quid ſit comœdia turpis, quidque turpitudo, quid obſcœnitas, enucleemus, vanus eſt labor noſter, & operam ludimus. Omnes cum Theologi, tum Caſuiſtæ comœdias turpes deteſtantur. P. Hieronymus Florentinus in ſuo *Theatro contra Theatrum* pruimos Theologos, & Caſuiſtas etiam benigniores allegat adverſus comœdias turpes. Ipſe ſuo calamo peccati mortalis damnat & repræſentatores, & ſpectatores comœdiarum, *notabiliter*, inquit ille, *turpium, & valde obſcœnarum*.

II. At nec ille in toto ſuo opuſculo, nec plures alii, quos ego legi, quid ſit comœdia turpis, & valde obſcœna diſtincte explicant. Heinc eſt, quod lectores ex iſtorum lectione nihil proficiunt. Quiſque clamitat: Comœdiæ noſtræ haud quaquam turpes ſunt; ſed ab obſcœnitate diſtant: aut ſaltem notabiliter turpes, aut valde obſcœnæ dici nequeunt. His vocum involucris voluptatis, & veneris negotium ſubtiliſſime agunt; illiſque errandi occaſionem præbuit involuta ſcribendi ratio non paucorum Caſuiſtarum. Ut his Theatrorum, atque comœdiarum defenſoribus omnem ad effugium rimam aditumque præcludam, quid ſit turpitudo, quid comœdia turpis, & obſcœna, perſpicue nitideque explicandum eſt.

III. Turpitudo, ſeu obſcœnitas vitium prodit, quod aut laſciviam redolet, aut ad laſciviam aperit viam. Turpitudo alia in vocibus, alia in rebus, per voces ſignificatis. Res turpes exprimi vocum honeſtate: & res pudicæ, honeſtæque voce turpi valent. Turpitudo vocum eſt uſus alicujus vocabuli, quod ſpectata communis ſenſus exiſtimatione, & regula, aures pudicas offendit. Turpitudo, ſeu obſcœnitas rerum eſt ipſa voluptatis carnalis materia; ſeu eſt actionum, & factorum, quæ ad venerem aut proxime, aut propinque, plus minuſve inducunt, aut viam parant, narratio, & repræſentatio. Turpitudo alia putrida, quæ ſpurcis vocibus, motibus, geſtuque amoris profani imaginem refert: alia delicata, quæ verſutiis, & fucis obtecta ſpectrum voluptatis, & veneris arguto penicillo depingit, & concinna verborum, & figurarum diſpoſitione libidinis veneficium propinandum adminiſtrat, & ſenſim ſine ſenſu inſtillat. Exemplis confirmare notiones, ſeu deſcriptiones poſſem, niſi id Chriſtianum Theologum dedeceret. Sophiſticæ & Caſuiſtarum, & Chriſtianorum quorumdam cavillationes ad tot diſtinctiones præmittendas, alioquin ſuperfluas, idcirco a Patribus noſtris neglectas me coegerunt.

IV. Comœdiæ hodiernæ omnes, quæ Mimorum, & Mimarum artificio, amoris profani, & concupiſcentiæ ſub matrimonii velamine cauſſam repræſentant, & agunt, turpes, cum *materialiter*, tum *formaliter* ſunt. *Materialiter*, quod materiam concupiſcentiæ, nempe reciprocum feminæ, & viri amorem, quo mutuo conjunguntur, verſant: *formaliter*, quod eo conſpirent, ut delectationem de illo, quod tractant, argumento, in auditorum animis excitent. Huc omnia, ut infra latius ediſſeram, pertinent Mimorum, & Mimarum vota, & conatus, ut majorem auditorum affluentiam ad ſe alliciant. Hoc adeo verum, compertumque eſt,

eſt, ut Mimi, & Mimæ, quæ & vocis ſuavitate, & delicata corporis inflexione, & mirabili geſtuum repræſentatione, & occulorum jaculis non alliciunt, non movent corcula ſpectatorum, ut ineptæ inſulſæ, & rudes repelluntur, quia continuo ceſſaret ſpectatorum affluentia. Hoc dumtaxat diſcriminis eſt, quod aliæ comœdiæ, ut indicavi, putida verborum, ſententiarum, & geſtuum laſcivia: aliæ calamiſtratæ, larvata verborum phraſi, concupiſcentiæ delectationem promovent. Primæ Poetarum, & Comicorum extremam nequitiam cum extrema ignorantia conſociatam produnt: ſed minus nocent adſtantibus, quibus epulæ craſſo lardo, & condimento nimium pingui paratæ diſplicent. Secundæ pernicioſiores ſunt ſpectatoribus, & nequiores ſimul, & doctiores patefaciunt Poetas, qui vafrius, & inſidioſius voluptatis venenum inſtillant, & ad bibendum illud potentius inducunt. Primæ quidem, ſecus ſecundæ obſcœnæ, turpeſque vulgo exiſtimantur, cum certum ſit, poſteriores eo eſſe noxiores, quo majorem præſeferunt honeſtatis ſpeciem. Et iſtiuſmodi ſane ſunt drammata percelebris Poetæ pluries typis edita, quæ eo efficacius voluptatis venenum porrigunt, quo delicatius cor humanum, ſenſus, & concupiſcentiam titillant, vellicant, & ita in affectus dominantur, ut quo volunt eoſdem impellant. Quod potiſſimum verum habet, dum mulierculàrum vivida accedat repræſentatio, concentus ſuavitas, & alia Theatrorum præſtigia.

V. Habes heinc comœdias hodiernas turpes, & obſcœnas eſſe ex uno ſolo capite, nempe ex impuri amoris materia, quam tractant. Creſcit turpitudo, & obſcœnitas ex aliis capitibus. Et primo ex veſtitus forma. Alicubi juvenes venuſtiores, & femineo ſexui ſive in voce, ſive in pulchritudine propinquiores muliebres veſtes, & quidem vaniſſimas induunt. Cur? Cauſam aſſigna, tergiverſatione ſublata. Ut ſub amaſiunculæ ſpecie cum altero juvene eloquentius reciproci amoris cauſam ambo parent, mutuumque amorem inflamment. Duo hic obſcœnitatis flagitia. Primum, quod muliebres veſtes viri induant. Hoc quippe abominationis, & deteſtationis flagitium eſt apud Deum, qui *Deut.* 22. illud execratur: *Non induetur mulier veſte virili: nec vir utetur veſte feminea: abominabilis enim eſt, qui facit hæc.*

VI. Quid? Peccant viri muliebri veſte in ſcenam prodeuntes induti? Nonne vel in ipſis ſacris Collegiis mos iſte obtinet? Serpat nec ne in domibus Religioſorum hominum corruptela hæc, non propterea malitiam exuit. Pluribus ego annis ſub diſciplina PP. Societ. JESU humanioribus litteris operam dedi; & nunquam in repræſentationibus, quæ fieri in iſtorum Collegiis ſolent, aut prophani amoris argumentum tractari, aut juvenes muliebri veſte ornatos prodire in ſcenam vidi. Quod idcirco notum facio, ut occaſione data, teſtimonium perhibeam veritati. Idque confirmo ejuſdem inſignis Societatis *Regulis*. Siquidem in libro de *Ratione ſtudiorum* 13. *p.* 25. hæc habentur: *Tragœdiarum, & Comœdiarum quas latinas, & rariſſimas eſſe oportet, argumentum ſacrum ſit, ac pium, nec quidquam actibus interponatur, quod non latinum ſit, & decorum: nec perſona ulla muliebris, vel habitus introducatur.* Quocumque ergo in Collegio hæc mendax veſtium tranſmutatio fiat, peccato non caret. At nullum ſe patrare crimen certo exiſtimant Superiores, qui id concedunt, & qui id peragunt. Verum quidquid ipſi opinentur ſpectandum eſt Divinum mandatum, quod non ſolum ceremoniale, ut quidam exiſtimant, ſed etiam morale eſſe fatentur omnes. Cornelius a Lapide in dictum *cap.* 22. *verſ.* 5. hæc habet. „ *Hoc PER SE indecens eſt,* „ *ut ſcilicet vir veſte mentiatur ſe feminam, aut femina mentiatur ſe virum: tum* „ *ne occultis libidinibus, & aliis vitiis* „ *locus detur. Optima enim pudicitiæ cuſtodia eſt veſtitus honeſtas; nam, ut* „ *ait Poeta:*

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a ſexu?

„ . . . *Unde videtur hoc præceptum partim eſſe* naturale, *partim* ceremoniale, „ *& jam abolitum, quatenus ſcilicet obligabat ſub peccato mortali. Jam enim* „ *non eſſe peccatum mortale, ſi vir, aut* „ *femina veſtes ſexus communent*, ex levitate, ſi abſit ſcandalum, & intentio, periculumque libidinis, *docent S. Thomas, Cajetanus &c.*

VII. Nulla excogitari mitior interpretatio poteſt. Tamen vel ipſe mitiſſimus interpres, *per ſe indecens* declarat, ut vir veſte mentiatur ſe feminam. Teſtatur hoc præceptum *partim naturale*. Evidens ergo, & extra controverſiam eſt, peccare ſaltem venialiter illos, qui veſtem induunt muliebrem. Finge paululum non aliam, niſi venialem patrari malitiam. Licitum ne Chriſtianis eſt, ſingulis annis, & ſtato tempore Gymnaſium aperire crimina, licet venialia, patrandi? Permiſſumne eſt propria præſentia probare, & confirmare talem profeſſionem? Quid quod ipſe Cornelius a Lapide a peccato mortali liberat hanc ementitam ſexus formam eo tantum in caſu, quo fiat *ex levitate*, *ſi abſit ſcandalum*, & *intentio*, *periculumque libidinis*? Quid ſi hæc ſexus ficta mutatio non *ex levitate fiat*, ſed ex inſtituto, ſed ex fine vividius repræſentandi inter amaſiunculos, & amaſiunculas argumenta amatoria? Forte nec ipſe P. Cornelius a Lapide hoc ſexus mendacium a gravi ſcandalo, a gravi libidinis periculo eximeret, atque adeo a graviore purgaret crimine. Quodnam ſcandalum ſceleſtius, quam juventutem artem amatoriam, & concupiſcentiæ idiomata, & arcana edocere? Scandalum graviſſimum heinc in populum derivatur. Clamant mundani homines: In ipſis ſacris Collegiis juvenes, ut feminæ, in ſcenam prodeunt, & cauſam amatoriam agunt. Quidni ergo licitum & nobis erit idem præſtare?

VIII. Sed Patres audiamus. S. Cyprianus *lib.* 1. *Epiſt.* 10. ad Encratium. *Cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem veſtem, & maledicti ejuſmodi judicentur: quanto majoris eſt criminis non tantum muliebria veſtimenta arripere, ſed etiam geſtus turpes, & molles, & muliebres magis ſerio impudicæ artis exprimere?* Quid cauſæ eſt, cur juvenes in ſacris Collegiis femineas veſtes induant, niſi ut muliebres affectus, & amatorias illecebras exquiſitius repræſentent? Si crimen eſt ipſe veſtitus, quæ erunt crimina, quæ hunc veſtiendi finem conſequuntur?

IX. Auguſtinus l. 2. Soliloq. cap. 16. *Credo jure infames, inteſtabileſque haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcio utrum falſas mulieres, an falſos viros melius vocem. Verumtamen hiſtriones, veroſque infames ſine dubitatione poſſumus vocare.*

X. Synodus Trullana 6. cap. 62. *Statuimus, ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conveniente. Eos ergo, qui deinceps aliquid eorum, quæ ſcripta ſunt, aggredientur, ubi ad eorum cognitionem pervenerit, ſi ſint quidem clerici, deponi jubemus; ſi vero laici, excommunicentur.* Excommunicatio ob veniale crimen non infligitur. Præſcriptio, ſeu oppoſitæ conſuetudinis larva non prævalet contra ea, quæ ſuapte natura vitioſa ſunt.

XI. Concilium Bracarenſe, & Pœnit. Roman. l. 7. cap. 1. *Qui faciem ſuam transformaverit in habitu muliebri, & mulier in habitu viri, emendatione pollicita, tres annos pœniteat.*

XII. Clemens Alex. *lib.* 3. *Pædag. c.* 3. hæc ſcribit. *Hoc eſt inventum fractorum hominum, & ad libidinem propenſarum beſtiarum . . . Pueri docti abnegare naturam, mulieres ſimulant. O miſerandum ſpectaculum! O nefandum ſtudium! . . . . O quanta hæc iniquitas! Suſpicio, & admiror veteres Romanorum legislatores, ſi muliebre, & effeminatum vitæ ſtudium odio habuerunt.* Et poſt pauca concludit: *Hi non viri, ſed* BATALI, *&* FEMELLI *dicendi ſunt.*

XIII. S. Thomas textum *Deuter.* 1. 2. *q.* 2. *a.* 6. *ad* 6. interpretatur, & hæc miſſis pluribus docet. *Alia ratio eſt ad declinandam luxuriam. Nam per commixtiones varias in veſtimentis omnis inordinata commixtio coitus excluditur. Quod autem mulier induatur veſte virili, aut e converſo, incentivum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat.* Ita docet Angelus caſtitatis, & doctor Eccleſiæ. Novi autem homines adeo ſunt in caſtitate robuſti, & heroes, atque ſupra omnem libidinis ictum conſtituti, ut pernegent, hanc veſtium mutationem occaſionem præbere libidinis, & incitamentum eſſe concupiſcentiæ. Hunc eumdem *Deuter.* locum exponit 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 3. S. Thomas inquiens: *DE SE VITIOSUM EST, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo: quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ, & ſpecialiter prohibetur in lege.* Solum neceſſitatem a tanta turpitudinis, & abominationis pravitate excuſare *ibidem* ſubdit Angeli-

cus,

cus, & fuſius explicat Sylvius *ibid.*

XIV. Præterea ſi *per ſe*, & *de ſe* vitioſa eſt hæc feminei ſexus effictio, & apud Deum abominabilis, ut Scriptura, & Patres omnes teſtantur, vitioſiſſima ſane erit, cum ſit in hunc finem, ut muliebris amor, & affectus vividius repræſententur, & ſpectatoribus, & adſtantibus dulcius præbeatur ſpectaculum. Quot ſe periculis ſubjicit venuſtus adoleſcens, qui muliebri ornamento phaleratus in ſcenam erumpit? Singulæ feminei veſtitus partes, quæ ſunt plurimæ, dum illas induit, ad turpiſſimas imagines in ejuſmodi juvenis animo imprimendas aptiſſimæ ſunt. Deſcribamne ego impudicitiæ ſpectra, quæ Dæmon immittit, cum adoleſcens lumbos femineo more ſtringere, & arctare, dum inflare pectora, dum fucare vultum, dum calamiſtro cincinnos efficere, dum ſerere odores, dum ſpargere pulverem, dum cetera muliebria vana præſtigia induere ſatagit? Quid dum geſtu, voce, inceſſu, corporis inflexione amatricis feminæ vices, ejuſque fraudes, illicia, verſutias, inſidias, vafriciemque ementiri toto ſtudio adnititur? Quid de altero juvene dicam, qui amantis feminam perſonam gerit? Innocentes, inquis, ſunt juvenes iſti, qui nec percipiunt quidem aliquid mali. Exemptine adoleſcentes iſti ab originali culpa, a concupiſcentia, a Dæmonum tentatione? Alterutrum ergo: aut nunquam Dæmones, & concupiſcentia juvenes iſtos tentant: aut potiſſimum hac opportuniſſima occaſione eoſdem mollitiei, impudicitiæque ſpectris, & præſtigiis aggrediuntur. Primum dici nequit. Verum ergo alterum. Creſcit turpitudinis, & obſcœnitatis enormitas ratione temporis. Hæc enim carniſprivii intervallo aguntur; dum ſcilicet totus mundus bacchanalium ſuperſtitionem renovat, & concupiſcentia e publicis Theatris ſuum voluptatis imperium incredibili animarum pernicie amplificat. Quid de tempore illo dicam, quo juvenes reciproci amatorculi memoriæ fabulas illas mandant? Velitationes privatas exercent, ſeſeque præparant, ut in publica ſcena mulierculæ, & viri perſonas amore mutuo captas referre vivide queant? Illud nocet cauſæ noſtræ, quod narrari ſermone nequeant, quæ frequenter opere in profanis iſtis exercitiis peraguntur.

XV. Heinc colligas velim, Scripturam ſanctam, Patres omnes, graviores Theologos, luculentiſſima argumenta, ne dicam manifeſtam experientiam, evincere hanc ementitam muliebris veſtitus formam abominabilem apud Deum, libidinis incitamentum, innocentis adoleſcentiæ corruptricem eſſe.

XVI. Tandem illæ comœdiæ ſunt valde turpes, ultimumque Theatralis obſcœnitatis gradum præſeferunt, in quibus comici, & comicæ, mimi, & mimæ, ſeu feminæ ipſæ proculcato, & fracto verecundiæ freno in ſcenam, amoris, ſeu veneris cauſam, chorearum artificio, cantus ſuavitate, orationis efficacitate, univerſi corporis inflexione, oculorum, manuum, oriſque loquela oraturæ, ſimul cum ſuis amaſiis prodeunt. Nemo, niſi & Chriſtianæ profeſſioni, & communi integræ mentis ſenſui renunciare velit, negare iſtiuſmodi Theatra eſſe turpiſſima, ne dum turpia, poteſt. Vera itaque Theatrorum, & comœdiarum notio non ex ſolo drammate accipi debet, ſeu libello typis edito, ſed ex omnium circumſtantiarum acceſſione, nempe ex muſicæ modulatione, cantus ſuavitate, ſaltatricum, mimarum, comœdorum motibus, geſticulationibus, ſuſpiriis, veſtium, ſcenarum, ceterique apparatus ſplendore, & majeſtate, omnibuſque verſutis artificiis, quæ in ſcena adhibentur ad excantandos ſenſus, & alliciendam irritandamque concupiſcentiam.

XVII. Ex ſola Theatrorum, & Comœdiarum notione præmiſſa neceſſario conſequitur, hodiernas comœdias valde turpes eſſe, & ſummopere obſcœnas, quia iis omnibus, quæ deſcripſi (& plura ſilui) conſtant. Quæ dicta ſunt, omnium Theologorum, & Caſuiſtarum conſenſu confirmare poſſem. Unum & alterum nunc indicabo. Jacobus Pignatelli *tom.* 8. *conſ.* 153. *num.* 926. inquit, *Comœdiæ turpes fœdæque eæ ſunt, in quibus viri, & feminæ de amoribus ludunt, agunt, colloquuntur.* P. Rocaglia *in hiſt. Nat. Alex. ſæcul.* 4. *cap.* 6. *n.* 3. *not.* 1. relato teſtimonio Hieronymi Florentini adverſus turpes, obſcœnaſque Comœdias, ſubdit: *Iis illæ addendæ Comœdiæ, in quibus mulieres dulciter modulantes, animique affectus molliter exprimentes, habitu etiam ad laſciviam compoſito, ad*

expugnandam innocentiam plurimum valent.

CAPUT IX.

Hodierna Theatra antiquis turpiora, quod in noſtris, ſecus in illis, mulieres Chriſtianæ mimas agant. Quamvis tamen obſcœniora antiqua fuiſſent, non propterea obſcœnitate & turpitudine hodierna carent.

I. ANtiquis temporibus mulieres in ſcenam interdum prodiiſſe, certum eſt; primuſque, qui eaſdem in Theatrum induxit, Phrynicus fuiſſe perhibetur. Apud Lacedæmones nobiles mulieres mercede conductæ mimas agebant, quam corruptelam ipſi Lacedæmones poſtea exterminarunt. Apud Romanos feminæ *in ludis Floralibus* nudæ, pudendis obtectis, prodibant, ſed profligati pudoris ſcorta erant, hiſque ludis ſola populi fæx aſſidebat, ſemel tantum in anno celebratis. Harum mulierum meminit Tertullianus *de Spect. cap.* 17. inquiens, *ſpurcitiam per mulieres in ſcena repræſentari, & proſtibula publicæ libidinis hoſtias in ſcenam proferri per feminas*. Chryſoſtomus quoque pluribus in locis, & præſertim *homil. 6. in cap. 2. Matth.* tantum feminarum ſcelus deteſtatur.

II. Exceptis tamen ludis Floralibus, in Romanorum Theatra feminæ non prodibant, ſaltem communiter, ut mimas agerent. Luculenta de hoc ſunt teſtimonia Patrum, qui paſſim in hiſtriones muliebri veſte indutos Dei maledictum intorquent. Tertullianus *lib. de Spect. cap.* 23. inquit: *Eum in lege maledictum eſſe, qui muliebribus veſtietur, quid &c.* S. Cyprianus *l.* 1. *epiſt.* 10. ad Eucratium: *Cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem veſtem, & maledicti ejuſmodi judicentur: quanto majoris eſt criminis non tantum muliebria veſtimenta arripere, ſed etiam geſtus turpes, & molles, & muliebres magiſterio impudicæ artis exprimere?* Gregorius Nazianzenus Jambo 3.

Formam decuſque turpiter marium exuunt,
Sexum & virilem flexibus cum corporis
Frangunt: ſimul ſunt feminæ, & ſimul mares:
Non maſculi, non feminæ, falſa haud loquor.
Nam nec manent jam maſculi, nec feminæ.

Clemens Alex. *Batalos*, & *femellas* per ludibrium vocat hiſtriones feminea veſte ornatos in ſcenam prodeuntes. Lactantius *lib. 6. Inſt. cap.* 20. hiſtriones redarguit hoc etiam ex capite, quia illorum *enervata corpora & muliebrem inceſſum, habitumque mollitas impudicas feminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur*.

III. Hiſtriones itaque, Patrum antiquorum tempore, feminarum perſonas communiter ſuſtinebant in ſcenis. Si quæ interdum feminæ mimas egerunt, illas non fuiſſe Chriſtianas colligitur ex Patribus, quorum nemo, quatenus mihi eoſdem ſerio legenti conſtat, feminis exprobrat, quod profligato pudore, modeſtia, verecundia ſexui inſita, præcepta Apoſtolorum Petri, & Pauli adverſus feminarum luxum, pompas, & procacitatem violaverint. Quo eloquentiæ torrente illas non obruiſſent, ſi fracta fronte, & Baptiſmatis profeſſione ejurata, in Theatro mimas egiſſent?

IV. Doctiſſimus BOSSUETUS in ſuo adverſus comœdias tractatu *pag.* 64. & 65. *num.* 17. aſſerit antiqua Theatra ab hac ſaltem mimarum corruptela fuiſſe immunia. *Eſtoient exemptes du moins de cette indecence, qu' on voit parmi nous, d' introduir des femmes ſur le Theatre. Le payens meſmes croyoien qu' un ſexe conſacre a la pudeur ne devoit pas ainſi ſe livrer au public, & que c' eſtoit la une eſpece de proſtitution.* Ethnici ipſi proſtitutionis genus reputabant feminas pudori conſecratas in Theatrum prodire.

V. Quid plura? Ipſe auctor Theatri Italici aſſerit, Patrum tempore feminas in recitandis tragœdiis, comœdiis, & atellanis mimas non egiſſe, inquiens in Præf. pag. 32. *Obbligandomi a dimoſtrare in Diſſertazione a parte, che ſi porrà in fronte al ſecondo Tomo, come negli antichi drammi non recitavano DONNE, ma la lor parte era per uomini ſoſtenuta.*

VI. P. Hieronymus Florentinus in ſua Comœdio-Criſi *Concl.* 11. *pag.* 314. *n.* 839. feminas vetuſtis temporibus ſcenicas

non

non fuiſſe docet, inquiens: „ *Quod vero primis illis temporibus non veræ, sed mentitæ mulieres in ſpectaculis apparerent, teſtes omni exceptione majores produco. Tertullianum dicentem* (cap. 17.) *quod* Pantominus ſexum pudoris exterminat. *D. Cyprianus* (epiſt. ad Encratium) *quod* Diabolo divinum plaſma maculanti per corrupti, atque enervati corporis delicta placebant. *D. Gregorium Nazianzenum* (Jambo 3.) *quod* ſimul ſunt feminæ, & ſimul mares. *D. Cyrillum Hieroſolymitanum* (Catech. Myſtag.) Mimorum petulantias omni contumelia, & impudicitia refertas, & virorum effeminatorum choreas. *D. Hieronymum* (epiſt. ad Salvinam) Non ambules juxta te hiſtrio fractus in feminam. *D. Chryſoſtomum* (hom. 36. in cap. 11. Matt.) Adoleſcens comam pone reductam habet, & naturam aſpectu, veſtitu, inceſſu, ceteriſque hujuſmodi effeminando ad teneriuſculæ imaginem puellæ adducere contendit. *Et quidem Cecchinus Patria Ferrarienſis famoſus hiſtrio, & hiſtrionum anteſignanus in libro, quem pro honeſtis hiſtrionibus edidit an.* 1616. *aſſerit conſuetudinem jam ſuo tempore receptam, quod mulieres veræ Theatrum exercerent, prævaluiſſe ab annis minus quinquaginta: itaque hæc dum ſcribo eſſent jam anni centum elapſi poſtquam tam pernicioſus abuſus invaluit.*

„ *His præſuppoſitis, & hujus veritatis tot tantiſque teſtibus adhibitis probat plene & efficaciter præſentem concluſionem P. Franciſcus Ribera, quatenus enixis verbis deplorat calamitatem præſentis temporis, in quo veræ mulieres ſunt in ſcena*, ut majora, *inquit*, excitentur incendia.

„ *Objicit contra P. Thomas Hurtado, quod hiſtriones antiqui in publico* Theatro *commiſcebantur, & alia iniqua opera exercebant, & ideo Patres, & Concilia tam ſevere eos execrantur, & reprehendunt.*

„ *Sed Hurtadus non videtur ſatis conſideraſſe antiquum illum morem, quod veræ feminæ non recitarent: nam facile intellexiſſet hujuſmodi commixtionem non fuiſſe veram, ſed fictam, & ut loquitur S. Auguſtinus, imaginariam, & D. Cyprianus licet deſcribat virum intra virum jacentem, non tamen reprehendit hunc actum ſub nomine commixtionis, ſed ſolummodo tamquam inhoneſtum amplexum duorum ſe invicem implicantium: quod ſi Sancti Patres tam rigide indignantur contra hujuſmodi flagitia* inter virum, & virum *attentata: quid, quæſo, dicerent hodie, quando in publicis Theatris cum approbatione Principum, ſaltem tacita, his ſimilia viderent, & quod cum veris feminis graviora ſcelera ſi non complentur, ut audio, ſaltem ita inchoantur clam perpetranda, ut verum ſit, quod olim dicebat Minutius Felix in Octav.* Mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat: nunc enervis hiſtrio amorem dum fingit infligit &c. *Niſi quia quod tunc mimus, vel enervis hiſtrio fingebat, agit nunc mulier fornicaria, ut ſpectatores magis delectentur, & in iſtis majora libidinis ſtimulent irritamenta.*

„ *Supereſt ut pro majore hujus concluſionis confirmatione animadvertam, quod mulieres ſcenicæ dictæ, quarum frequentiſſima eſt apud Auctores mentio, & ego unius memini ſupra* num. 115. *& aliarum* num. 643. *non erant actrices in ſcena, ut P. Ottonellus facile credit in* lib. de Chriſtiana moderatione Theatri cap. 3. punc. 18. fol. mihi 106. *ſed erant ad lætitiam publicam Theatricis ſpectaculis in ſervitium mancipatæ.* " Hactenus P. Hieronymus Florentinus.

VII. P. Franciſcus Ribera, præclariſſimus Soc. S. Theologus, & Scripturæ ſanctæ interpres celeberrimus *in Comm. in XII. Prophetas Min. cap.* 1. *in Mich. num.* 63. poſt tranſcriptam S. Cypriani acrem declarationem in ſui temporis theatra, eorumque ſpectatores, amariſſimis lacrymis deflet novam invectam corruptelam prioribus ſæculis incognitam, quod nempe mulieres mimas in ſcena agant. *Quid faceret* (inquit) *D. Cyprianus, ſi nunc in Chriſtianorum Theatris ſederet; ſi comœdias, quæ aguntur, ſpectaret? Non jam evirantur mares, ſed feminæ ipſæ viri fiunt: non frangitur in feminam vir, ſed femina in virum roboratur. Non ſatis fuit humani generis hoſti fictas turpitudines agi; veras profert. Femina prodit in ſcenam, & feminam agit, quæ a viro agi ſolebat. Et minus movebat. Nunc compta, atque ornata prodit*

in medium pulcra mima corpore , ſed moribus turpiſſima , ut incendia majora excitentur. Agit etiam eadem virum , aut amore captum adoleſcentulum , luget, deperit, perdit , exhibet oculis , quæ celari in feminis debuerant, & quæ honeſte dici non poſſunt, inhoneſte cogitantur. Saltant corpora , laſcive inflectant , dumque ea fortaſſe, & pejora avari mariti , patreſque patiuntur, non majoribus Ætna incendiis æſtuat, quam eorum pectora , qui ſpectant, & audiunt &c.

Audite ergo Reges, & intelligite ; diſcite Judices finium terræ : præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo , qui interrogabit opera veſtra , & cogitationes ſcrutabitur . Et quoniam miniſtri eſtis illius , ut ait Spiritus Sanctus, cohibete hos emiſſarios miniſtrorum Diaboli , quos jam commemoravi : idque vos obteſtor , qui poteſtis , per adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui judicaturus eſt vivos , & mortuos &c.

Num. 65. *Omnes etiam, qui hæc legent (ſi quis tamen legere volet) per eumdem Dominum obteſtor, ut vel in concionibus, vel in ſacris confeſſionibus, vel in privatis colloquiis, quocumque tempore ſe dabit occaſio, Reges admoneant, & Principes, ac Senatores , Prætoreſque Civitatum, nec tantum admoneant , ſed etiam per Jeſum Chriſtum obteſtentur, ut in iſtos morum Chriſtianorum corruptores ſevere animadvertant, illos de medio tollant, infames hujuſmodi comœdiarum Actores , Actriceſque procul relegent , & hanc tetram Reipublicæ ſentinam quocumque exonerent . Mihi quidem & fidei Catholicæ Judices, ac Patroni rem officio ſuo, zeloque officii ſui dignam facere videbuntur , ſi ut ſuſpectæ doctrinæ libros , ita etiam eos, quos dixi, legi publico edicto prohibeant. Nam ſicut illi fidem, ita & iſti bonos mores , pudicitiamque corrumpunt , unde facilis ad hæreſes tranſitus eſt, & unde omnes hæretici cœpere . Nec enim tranſitur ad hæreſes a caritate , & humilitate, ab oratione , a jejuniis , a pœnitentia, a ſui abnegatione , ſed ab immoderato amore ſæculi, a tumore animi , ab oblivione Dei, a comeſſationibus, & ebrietatibus , ab otio , & libidine , a cæco amore ſui.*

VIII. Antequam ultra provehor, cauſſæ meæ intereſt, curſim indicare , quanta & morum ſanctitate , & doctrinæ ſacræ copia refulſerit percelebris hic Jeſuita, de quo hæc inter multa P. Philippus Alegambe in ſua *Biblioth. Scriptor. Soc. Jeſu pag.* 132. *edit. primæ* ſcribit . „ *Recepit ſe in oppidum natale , ut in* „ *ſacrarum litterarum ſtudium totus in-* „ *cumberet, & cum ſcholaſtica doctrinæ* „ *ad majus firmamentum conjungeret ad-* „ *jutus linguarum Latinæ , Græcæ , &* „ *Hebraicæ præſidio , quare apprime pe-* „ *ritus erat . . . . Orationis præſidio ,* „ *quam diurnis , nocturniſque horis uſur-* „ *pabat prolixe , ad ſacræ Scripturæ in-* „ *telligentiam utebantur . Addebat etiam* „ *crebra jejunia , & ſeveriores corporis* „ *macerationes, & ſi quid incidiſſet im-* „ *plicatioris difficultatis, ſedebat per dies* „ *aliquot, & ſpiritualibus exercitiis ani-* „ *mum ad divinos illapſus comparabat .* „ *Ajunt , eum ad concionem aliquando* „ *verba facientem , viſum ingenti circum* „ *ſplendore micare, cujus dicentis humeris* „ *Chriſtus Servator ſereno vultu innixus* „ *eum velut complexu foveret . . . . Die* „ *poſt obitum tertia , viſus in cælo eſt* „ *ſublimis, ac Dei ſolio propinquus, mul-* „ *ta conſpicuus gloria , cujus in pectus* „ *derivabatur a pectore Dei radius lucis ,* „ *qui pulcherrimum eum ſpecie ſimul &* „ *gaudio perfundebat .* Quod illi præ- „ mium ideo atttribuebatur , quia nihil „ in ſuis lucubrationibus fluxum, ac ca- „ ducum, ſed unius Majeſtatis cultum , „ atque obſequium ſpectaſſet. “

IX. En ſapientiſſimos Jeſuitas , quos mihi, ut magiſtros colendos , ſequendoſque propono: qui *nihil* ſcilicet *in ſuis lucubrationibus fluxum ac caducum , ſed unius Majeſtatis cultum atque obſequium ſpectant* . Itaque doctiſſimus hic , atque piiſſimus Jeſuita tria nobis recogitanda inculcat. Unum ; tempore Ss. Patrum, mulieres in ſcenam non prodiiſſe, ut mimas , comicaſque agerent . Atque heinc Divino fervore æſtuans clamat : Quid ageret modo Cyprianus, ſi in Chriſtianorum Theatris ſederet , ſpectaretque mulieres ipſas comptas, fucatas, omnibus Diaboli pompis phaleratas mimas agere, ad extremam pudicitiæ , verecundiæ, & caſtæ juventutis perniciem ? Alterum : Urget omnes , atque compellit , ut vel in concionibus , vel in ſacris confeſſioni-

bus,

bus, vel in privatis colloquiis admoneant Reges, Principes, Senatores, Prætoreſque Civitatum, nec tantum admoneant, ſed etiam per Jeſum Chriſtum obteſtentur, ut in Comœdos, Comœdaſque ſevere animadvertant. Lugens clamat piiſſimus P. Ribera. *Quid faceret Cypianus, ſi nunc in Chriſtianorum Theatris ſederet?* Gemebundus inclamo & ego: Quid ſi nobiſcum in præſentia vitam ageret P. RIBERA, audiretque nonnullos cum verbo, tum ſcripto acceſſum ad Theatra ſuadentes.

Tertium, quod altius meditandum ſuadet P. RIBERA, illud eſt, quod in ſuperiori præfatione fuſa oratione expoſui, videlicet ex vita molli, otioſa, voluptuaria: ex Theatris, comœdiis impudicis, & mulierum amore, & tumore animi hæreſes proficiſci, & ipſam denique impietatem aut poſitivam, aut negativam, ſeu INDIFFERENTISSIMUM, & INDOLENTIAM ætate noſtra dominantem, & uſquequaque obtinentem, quam, Chriſto Servatore adjuvante, vividis coloribus tempore depingam, & pro virili exagitabo.

X. Alios teſtes, ſi otio abundarem, adducere poſſem, quibus evincerem priſca Patrum ætate feminas ſaltem Chriſtianas non recitaſſe in Theatro. Tertullianus, Chryſoſtomus, aliique interdum muliercularum ſcenicarum meminere, quia in ludis Floralibus revera apparebant, & quia, ut advertit P. Hieronymus Florentinus mulierculæ iſtæ rerum ſcenicarum, & hiſtrionum ſervitio mancipatæ erant.

XI. Quid ad hæc Theatrorum ætatis noſtræ defenſores, qui Patrum doctrinæ inſcitiam, & ignorantiam improperare Theologis haud quaquam erubeſcunt? Qui ſe jactare gloriabundi audent pro Religionis defenſione ſcribere; dum religioni inſidias ſtruunt, dum mimos, & mimas amoris profani lenocinia referentes Chriſtianis ſuadent ſpectandas, audiendaſque? Ut illos ad incitas redigam, vel Patrum tempore mulieres e ſcena recitabant comœdias, an ſecus. Si primum: Æque turpia ſunt noſtra, ac antiqua Theatra, præſertim, quod feminæ hodiernæ, ſecus antiquæ, Chriſtianæ ſint. Si ſecundum: Antiquis turpiora noſtra ſunt. Idcirco jure clamat P. Ribera: quid nunc ageret Cyprianus, quid ageret Chryſoſtomus, quid Auguſtinus, quid Hieronymus, quid Bernardus, quid Thomas Aquinas, quid Antoninus, quid Carolus Borromæus, ſi ſpectarent Chriſtianas in Theatro mimas exercentes? Extra quippe controverſiam eſt, tempore S. Thomæ Aquinatis, Antonini, Caroli Borromæi feminas non prodiiſſe in ſcenam. Quamobrem errant vehementer qui in Theatrorum ætatis noſtræ præſidium doctrinam obtrudunt S. Thomæ.

XII. Opponunt; Theatra, in quibus evirati juventes muliebri veſte ornati, & fuco illiti agunt, turpiora, & obſcœniora eſſe. Quoniam procaces iſti eunuchi, ut muliebrem ſexum vividus ementiantur, in motus, geſticulationes, poſituras, & amplexus impudentiores, & expudoratiores præ ipſis mulierculis erumpunt, & franguntur. Id enim unicuique imitationi accidere ſolet, ut præſtitutos limites prototypi tranſiliant. Quid hinc? Non aliud, niſi quod Theatra excluſis etiam feminis ſint turpia, ut erant antiqua. Heinc ne conſequitur, pudica eſſe theatra, in quibus feminæ mimas agunt? Qui hæc opponunt, inquit S. Baſilius, aut ignorant, quam ſint ipſæ modeſtæ feminæ efficaciſſima illicia, & lenocinia ad emollienda vel ferrea hominum pectora, aut ſunt *admirabiliſſimum pecus*, medii inter utramque naturam? Quid? Maximus ille vir Auguſtinus ſe theatrorum illecebris captum *l.* 3. *Conf. c.* 2. fatetur. *Tunc in theatris congaudebam amantibus, cum ſeſe fruebantur per flagitia, quamvis hæc imaginaria gererentur in ludo ſpectaculi*: Et corruptiſſimi ſæculi noſtri effeminati homines Auguſtino robuſtiores inter matronularum lenocinia ſe æneos jactant? De iſtis Salomon *Eccleſ. c.* 9. loquutus non eſt. *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius, quaſi ignis exardeſcit.* Nemo rationis compos negare valet, obſcœniora, & plurium flagitiorum ſentinam eſſe Theatra, in quibus mares, & feminæ toto muliebri mundo, ſeu Diaboli pompa, gemmis, fuciſque onuſtæ amantis, & amaſiæ perſonas ſuſtinent, & agunt. Quo enim procaciſſimæ feminæ, quæ non larvata facie, ſed impudentiſſima fronte in ſcenam prodeunt, ſuas geſticulationes, cantus, ſaltationes,

in-

inflexiones dirigunt, niſi ut ſpectatores delectent, titillent, emolliant, atque in eorumdem animos laſciviam infundant? Quot nobiliſſimi adoleſcentes ſaltatricium, & pſaltriarum amore dementati patrimonia prodigunt, domos evertunt, & totam progeniam funeſtant, infamantque! At de hoc infra ſermo recurret.

XIII. Verum ſi a me quæratur, quodnam extremum pejus ſit, an juvenes venuſtos eviratos muliebri veſtitu, & ornatu, an feminas ipſas in ſcenam induci? Reſpondeo primum, muliebris ſexus cupiditatem latius patere, & potentius hominum quorumcumque, etiam eorum, qui nefario puerorum amore ardent, nedum honeſtorum corda inflammare. Amor hominis erga feminam ſecundum naturam eſt: Erga pueros contra naturam. Deus corporibus utriuſque ſexus æſtrum mutuæ cupiditatis inſeruit, qua ſe appeterent, & conjungerent ad humanum genus propagandum. Secundo dico, feminis aſſidentibus Theatro majus imminere malum, cum elegantes adoleſcentes mimos in ſcena agunt: contra homines vehementius accendi, & inflammari, cum pulchræ, procaceſque puellæ laſcive ornatæ in ſcenam prodeunt mimarum perſonas ſuſtinentes. En certam quæſtiunculæ reſolutionem.

XIV. Lubet ſub iſtius capitis finem paullo fortius urgere ſcitulos illos, quos blaterare minime pudet, merito SS. Patres invectos in ſuorum temporum Theatra, quod eſſent nimium obſcœna, & impudica: At non poſſe eorumdem declamationes in ætatis noſtræ Theatra detorqueri, quod honeſta hæc ſint, & pudica. Qui talia effutiunt, ſe Patres non legiſſe perhibent, & Chriſti Jeſu Evangelium ignorare ſe produnt. Agedum, paucis perſtringamus Patrum rationes, & Chriſtianorum excuſationes hac in cauſa. Honeſta illa Theatra clamitabant *tunc* Chriſtiani, quemadmodum *nunc* vociferantur noſtri, ut adductis Patrum teſtimoniis oſtenſum eſt. Nullo ſe pravo tangi affectu muſſitabant *tunc*, ſicuti jactant *nunc*. Recreandi animi cauſſa licito ſolatio, ſe adire Theatra opponebant *tunc*, quemadmodum *nunc*. Quid reponebant Patres? Illorum rationes jam produximus. Exaggerabant præſertim cantus, & muſicæ illicium, & molliciem. Clamabant, cantum eſſe *fornicatorium*, & muſicam *meretriciam*. At omnes ad unum artis muſicæ peritiſſimi aſſerunt, atque teſtantur, ætatis noſtræ molliorem præ illa cantum, & effeminatiorem eſſe muſicam. Clamabant, concurſum hominum, & mulierum illuc confluentium, ubi veſtium pompas & vanitates in triumphum agebant: ubi ſinguli, & ſingulæ vident & videntur, ſcopulum eſſe caſtitatis: opponebant pericula ſponte ſuſcepta, ſcenarum ſplendorem, & majeſtatem, & ſcandalum, quod ingerebant, præſentiam, quam præſtabant infamis hiſtrionicæ artis exercitio, & grave crimen, quo ſe polluebant, ob ſolam illam præſentiam, & interventum.

XV. Perge porro. Numquid modeſtiores *nunc* mulieres Chriſtianæ, quam feminæ Chriſtianæ *illius ætatis?* Numquid pompæ vanitatis, luxus, faſtus latius *tunc*, quam *nunc* manabant? Numquid humiliores ſcenæ noſtræ? Numquid mimæ & mimi minus vivide amandi artem exercent *nunc* quam *tunc?* Numquid minus efficaciter *nunc*, quam *tunc* ſtudio vacant placendi Auditoribus? Quomodo autem placere iſtis valent, niſi ſenſum demulceant, aures excantent, concupiſcentiam, aut ſuper biam, aut ambitionem, aut iram, accendant, & fraudes doceant? Numquid mimi, & mimæ ſimpliciores *nunc*, quam *tunc?* numquid ſtupidiores? numquid minus verſipelles, & minus verſutæ? Numquid magis pudebundæ? Numquid magis verecundæ? Numquid ars amatoria licita *nunc*, ſecus *tunc?* Tandem ſi res, ſeu argumenta, quæ repræſentabantur Patrum tempore, ſpectentur, numquid tragœdiæ, quæ hodiedum recitantur in Theatris noſtris, modeſtiores ſunt tragœdiis Sophoclis, Euripidiis, Senecæ? Quis, niſi imperitiſſimus ſit, inficiabitur Comœdias, Tragœdiaſque hodiernas plures longe turpiores, emolliendis animis, & corrumpendis moribus noxiores eſſe? Eruditionis itaque, Patrum doctrinæ, & Evangeliorum Jeſu Chriſti ignorantes ſe produnt, qui evulgant, jure reprobata fuiſſe Theatra, quæ tempore Patrum obtinebant, ſecus improbari noſtra poſſe, ſuæque inſcitiæ æternas luent, niſi reſipiſcant, pœnas. Quemadmodum enim, Jeſu Chriſto teſte, tempora noſtra noviſſimo ſæculo propinquiora,

ra,

ſa, majori malitia abundant: ita quoque obſcœniora, impudentiora, & ſceleſtiora Theatra ſunt. Oh homines, homines! Impietas, infidelitas, incredulitas, hoc noſtro infeliciſſimo ſæculo univerſam Chriſtianam Religionem impetunt collatis viribus, eamque qua voce ſatyrico, ac ſceleratiſſimis libellis evertere, facto impetu conantur. Et interim illi ipſi, qui Chriſtiani, qui Theologi, qui . . . . audire volunt, blaterare non reformidant, licite frequentari *nunc* Theatra poſſe? Impietas uſquequaque graſſatur: Et ſimul omnia honeſtatem, pudorem, & innocentiam ſpirant.

XVI. Quid plura. Nonne omnia Concilia, omnes Epiſcopi, omnes Eccleſiæ Doctores, Sanctique viri, qui quinque priorum ſæculorum Patribus ſucceſſere, eorumdem Patrum doctrinam adoptarunt, allegaruntque ad hæc uſque tempora adverſus Theatra? Ignoravit ne Eccleſia antiquorum Patrum doctrinam? Imperite ne Concilia, & Doctores Sancti ultimæ ætatis noſtræ Tertulliani, Cypriani, Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Auguſtini doctrinam contra Theatra in medium produxere? Alterutrum ergo præſtent hodierni antiquarii, & eruditulí Comœdiarum defenſores oportet. Aut omnium ſæculorum Traditionem Theatra deteſtantem negare ipſi debent: aut propriam fateri inſcitiam coguntur.

XVII. Verum, ut omnem ad effugium latebram præcludam, concedere ipſe ſponte volo, turpiora, obſcœniora, impudentiora fuiſſe Theatra, quæ Sanctorum Patrum tempore obtinebant. Jam ſupra *cap.* II. recenſui Imperatores Ethnicos nonnullos, qui nimiam impudentiam, & laſciviam in Theatra invexerunt. Finge quoque ipſas comœdias, tragœdiaſque Poetarum impudentius, atque vehementius ad libidinem provocaſſe. Hæc, & plura alia, ſi vis, liberalitate ſumma impertiri tibi non recuſo. Quid heinc? Numquid, quia vetuſta Theatra turpiſſima erant, honeſta ſunt hodierna? Numquid, quia illa obſcœniſſima, noſtra caſta ſunt? Numquid, quia antiqua impudentiſſima, pudica ſunt noſtra? Si facti veritas ſpectetur, quemadmodum ætate noſtra, Theatra alia turpia, alia turpiora, alia turpiſſima, ita quoque evenit antiquis temporibus. Cæterum, ut ad incitas redigam Theatrorum ætatis noſtræ defenſores, fuerint, per me licet, priſca Theatra, ut dixi, turpiſſima, obſcœniſſima, impudiciſſima, nihil heinc colligere præſidii valent viri noſtri Theatrales. Quandoquidem ſublata omni inter vetuſta, & hodierna Theatra comparatione ex notionibus certiſſimis, & extra diſputationis aleam poſitis, quas dedi, evidenter demonſtrabo, graviter peccare illos, qui hodierna Theatra frequentant, quamvis minus obſcœna, minuſque impudica eſſent, quam antiqua. Sat mihi eſt a turpitudine, & obſcœnitate immunia non eſſe Theatra noſtra, ut inferre jure valeam, illicita & noxia Chriſtianis omnibus hæc eſſe. Miſſa igitur diſputatione, utrum fuerint, nec ne antiqua Theatra noſtris obſcœniora, & impudentiora, huc præſens recidit controverſia, ſint ne hodierna Theatra obſcœna, & turpia, aut natura argumenti quod tractatur, aut ratione vocum, geſtuum, veſtitus, cantus, muſicæ, & chorearum, aliarumque conditionum, quibus auditoribus repræſentantur. Hæc ſunt, ut alias diximus, & repetendum ſæpius eſt, diſputationis noſtræ confinia, intra quæ concludere adverſarios, ſeu Theatricæ voluptatis, & mimicæ turpitudinis propugnatores conſtituimus.

XVIII. His delibatis, & Theatrorum ætatis noſtræ notione perſpicue expoſita, cauſſam ingredior. Illud dumtaxat præmoneo plurima, & quidem verſuta eſſe effugia, & innumera Sophiſmata, quibus homines ſæculi oblectamentis nimium addicti fucare Theatrorum corruptelam ſtudent. Quamobrem longius, quam par eſſet, excurret oratio. Cauſa enim, quæ pluribus obnoxia cavillis eſt, & variis implicita exodiis, perſtringi paucis minime valet. Verboſam, & declamatoriam incuſabunt plures orationem noſtram. Sed cenſuras iſtas nihilo pendo. Non quod adeo inſaniam, ut immunem a pluribus nævis reputem dictionem meam, quin mendoſam illam agnoſco; ſed quod cenſores iſti agendæ cauſæ, in qua mores inſtituendos formandoſque aggredimur, rationem penitus ignorent. Eamdem ego inſiſtere viam adnitor, quam omnes ſapientiſſimi, & eloquentiſſimi Eccleſiæ Patres percurrere. Quæ menti dumtaxat revincendæ inſerviunt, ſtylum, & methodum etiam Geometricam excipiunt.

Verum, cum adverſus prævalentem corruptelam qnoquoverſum graſſantem, altiuſque hominum cordibus infixam, certamen ſuſpicimus, cum præter rationum momenta, quæ intellectum ſubigunt, eloquentiæ quoque vis in cauſſæ præſidium adhibenda eſt, & repetitis ictibus opus eſt, ut inveteratæ, exitioſæque conſuetudines evellantur. Vividis figuris, & voce elata domanda voluntas eſt, & retundendi ſenſus ſunt. Et modo ſub uno, modo ſub altero aſpectu dirigenda argumentorum acies eſt; ut victoria obtineatur. Varia eſt Spectatorum indoles, diverſæ mentes, affectus oppoſiti. Unus hac ratione convincitur; alter alio argumento, alio dicendi modo, diverſa figura capitur, pro animorum, & affectionum diverſitate. Ita ego cenſeo. Si alii ſecus judicant, quiſque in ſuo abundet ſenſu.

CAPUT X.

Feminæ Chriſtianæ in ſcenas hodiernas prodeuntes, ut Mimas agant, peccant mortaliter, ſuntque in ſtatu damnationis ſimul cum ſuis Hiſtrionibus, nemine ſanæ mentis diſſentiente. Prætextus matimonii, cujus velo ſcenicæ impuritates obtendi ſolent, rejicitur ut ineptum commentum.

I. VEritas propoſita non tam rationibus confirmanda, quam amariſſimis lacrymis deflenda eſt. Nihil in Scriptura ſancta frequentius, quam pudor & verecundia muliebri ſexui inſita: quam animarum ſtrages, quæ ex muliere compta, vana, expudorata promanat: quam vigilantia, & cautio avertendi oculos ab eadem, vitandæque ejuſdem familiaris amicitiæ, colloquii, & converſationis. Folia plura implerem, ſi divina Teſtimonia huc pertinentia referre vellem. Satis indicare ſit quæ S. Paulus 1. *ad Tim.* 2. *cap.* docet, ubi vel ipſam Divinam legem docere mulieribus prohibet. *Docere autem mulieri non permitto* &c. Jubet, ut cum *verecundia, & ſobrietate, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa* ſe ornent, *& in ſilentio diſcant cum omni ſubjectione*. Et tandem, ut *velato capite* in Eccleſia orent. *Ideſt* (inquit S. Thomas 1. ad Cor. cap. 10.) *propter Sacerdotes, propter eorum cautelam, ne ſcilicet ex conſpectu mulierum non velatarum ad concupiſcentiam provocentur*, Plaudanus in 4. Diſ. 16. *Viros cum mulieribus ludentes maledixit Barnabas.*

II. Mulieres Chriſtianæ Mimæ inſito a natura pudori & verecundiæ renuntiant, ſilentium, & modeſtiam proculcant: luxum, faſtum, & pompas vaniſſimas, quas in Baptiſmate ejurarunt, in triumphum deferunt: nulla veſtis, nullum indumentum tam vanum, tam impudicum, tam laſcivum, quod impudentiſſimæ, & expudoratæ Mimæ non aſſumant. Omnibus itaque Diaboli pompis, fucis, ſtibiis, atque præſtigiis circumornatæ in ſcenam prodeunt, ut aut veneris, aut ſuperbiæ, aut iræ, aut ambitionis magiſterium exerceant: ut adoleſcentes, puellaſque ſeſe mutuo amandi, ſeſeque deludendi decipiendique artem doceant: ut cantus ſuavitate, ſaltuum pernicitate, omnium ſpectatorum oculos & aures excantent, concupiſcentiam accendant, ambitionem, faſtumque exaltent: & quo ſunt ad hæc omnia parienda aptiores, eo majorem auditorum affluentiam ad Theatrum alliciunt, ſibique ingentiorem aureorum ſummam, plauſum & approbationem comparant. Præterea oppidatim cum hiſtrionibus Mimæ iſtæ, ſi ſuperis placet, Chriſtianæ, Italiam, Germaniam, univerſamque, ſi occaſio tulerit, Europam percurrunt: cum hiſtrionibus ludunt, converſantur, tripudiant: viciſſim ſeſe animant ad voluptatem, libidinem, mollitiemque auditorum animis inſtillandam. Totum tempus, & vitam ipſam inſumunt in perdiſcendis Poetarum fabulis, in eiſdem repræſentandis. Continenter mentem, & linguam defixam in Veneris luto, & arte promovendæ rei amatoriæ, ambitionis, ſuperbiæ, & excitandorum affectuum habent.

III. Quis non affirmaverit, hanc eſſe infernalem ſocietatem, mimas, mimoſque iſtos Dæmonum eſſe *miſſionarios, & pſeudoapoſtolos*, Chriſtianæque Religionis deſertores, infamiſſimoſque miniſtros, qui Chriſti Regnum deſtruere, & Diaboli Tyrannidem firmare, atque amplificare omni ſtudio, & arte conantur? Non ergo unum graviſſimum ſcelus, ſed flagitiorum multitudinem perpetrant, & omnium vitiorum gymnaſium aperiunt mi-

mimæ, & mimi comœdias tragœdiaſque hodiernas repræſentantes.

IV. Tametſi veritas hæc extra diſputationis aleam ſit conſtituta, & a nemine ſanæ mentis revocari in diſcrimen valeat; nihilò ſecius quia nihil tam eſt infandum, quod hodie ab aliquo non defendatur, lubet vel ipſorum benigniorum Caſuiſtarum auctoritate, quæ hactenus & ſuperiori, & hoc capite dicta ſunt, confirmare.

V. P. Franciſcus Del Monaco Cler. Reg. Teat. in Parenes. claſſ. 4. pag. 27. *Turpes comœdiæ eæ ſunt, in quibus de amantium furtis, de conjugum adulteriis, de meretricum, lenonum, puellarum, adoleſcentum clandeſtinis artibus, veneficiis, amoribus agitur: utque diſtinctius loquar, turpes fœdæque eæ ſunt, in quibus viri, & feminæ de amoribus ludunt, arguunt, colloquuntur. Cum ergo in NOSTRI TEMPORIS COMŒDIIS, quæ a venalibus hiſce meretriculis & hiſtrionibus exhibentur, & viri & mulieres in ſcenam prodeant, de amoribus hujuſcemodi agant, & pro ſcena colloquantur, ſaltent, ludant, id etiam CERTISSIMUM atque evidens remanet, OMNES noſtri temporis Comœdias obſcœnas eſſe, atque inhoneſtas & TURPES.*

Ego ſic definio. Noſtri temporis Comœdias neminem honeſtas appellantem audivi, niſi AUCTORES TURPITUDINUM, VEL FAUTORES, eos dumtaxat, qui, ut fœdiſſima crimina majori immunitate exequantur, & iterent, ficto honeſtatis velo obtegunt, pravæ licentiæ nomine implicant, aut ſæculorum conſuetudine involvunt, ajuntque licere id, neque inhoneſtum.

VI. Lucas a Penna in l. 51. cap. de ſpect. ſcen. *Quid dixiſſent SS. Patres, quid pii Auctores, qui omni ſæculo hiſtrionatus artem proclamarunt, ſi noſtro tempore feminas ipſas, quas citra temeritatis periculum impudicas cenſebo, cum viris permixtim in Theatro agere viderent?*

VII. P. Raynaldus Soc. J. *de prudent. Confeſſ. cap. 3. ſect. 8.* docet, non eſſe permittendum, *ut in Comœdiis & ludorum ſpectaculis laſcivæ mulieres in ſcenam prodeant: quæ eſt corruptela morum nomine Chriſtiano indigna.*

VIII. Nicolaus Baldellus lib. 3. diſp. 19. num. 2. *Peccant mortaliter iidem Poetæ, & Actores peccato ſcandali, ſi Comœdia ſit valde turpis, & multum excitet ad res venereas .... Et maxime hujus generis videntur eſſe illæ, in quibus MULIERES interloquuntur. Siquidem audire earum voces eſt multo periculoſius vitæ animarum, quam ſit vitæ corporum audire ſibilum baſiliſci, ut docet S. Auguſtinus &c.*

IX. Joannes Baptiſta Frugoſus de Reg. Reip. Chriſt. p. 1. lib. 1. Diſp. 2. q. 4. num. 181. *Ex dictis infer, quid dicendum ſit de Comœdiis vulgari idiomate exhibitis, ubi multa impudica, & obſcœna miſcentur, & ubi introducuntur FEMINÆ adoleſcentiores ad pſallendum ad ſaltandum, quæ geſtu, & inceſſu, & procaci geſticulatione auditores, & ſpectatores ad amorem turpem inducunt &c. Reſpondeo de ſe eſſe PECCATUM MORTALE, & Actores eſſe in STATU DAMNATIONIS, ſpectatoreſque ut plurimum PECCARE MORTALITER. Deducitur ex D. Thoma. Idem ait Cajetanus, Sylveſter, Sotus, Alenſis.*

X. P. Antoninus Diana coord. tom. 7. tract. 5. Reſol. 11. n. 2. hæc ait. *Dico igitur, quod quando Femina timet, ne a perſona particulari ametur laſcive, tenetur cavere publice, & abſtinere ab actione occaſionante alicui ruinam, quando poteſt abſque gravi proportionato damno: quia tenemur vitare aliorum peccata, quando commode poſſumus. Unde deducendum eſt, peccare feminam, euntem ad hoc templum ad ſacrum, in quo eſt aliquis, a quo turpiter ametur, quando commode poteſt aliud Templum adire eo periculo carens: item quando it per hunc vicum, potens commode ire per alium: quando audit ſonitum equi vehentis amaſium, & ipſa ſe abſque neceſſitate dat in feneſtra aſpiciendam: quando verba facit coram amatore, quibus ille ſit accendendus, ſi poteſt abſque ſpecie inurbanitatis tacere: quando item domo egreditur, ſciens eam expectari ſpectandam, ſi nulla tunc ſit neceſſitas.*

XI. Hanc Dianæ doctrinam confirmant omnes non Theologi modo, verum etiam Caſuiſtæ laxiores, nemine diffidente. Porro, ſi femina peccat Templum Dei, ut audiat Sacrum, aditura, quando vitare ſcandalum hominis eam adamantis poteſt: quot, amabo te, ſcelera patrabit femina ad Veneris ſacrarium ac-

cedens exquiſitiore, & elegantiore vanitatum pomparumque ornamento munita, ut in ſui amorem, geſtu, lingua, oculis, cantu, omnes concitet ſpectatores? Ergo penes ipſos mitiſſimos Theologos feminæ præſertim Chriſtianæ peccant graviſſime, & omnia ſpectatorum ſcelera in ſe convertunt, dum in ſcenam prodeunt amoris profani cauſam oraturæ.

XII. Nec eſt, quod opponas, Mimas iſtas a Confeſſariis Sacramenta ſuſcipere, quoniam etiam uſurarii, adulteri, fornicatores, lenones Sacramenta frequentant. Et hæc eſt ſæculi noſtri extrema omnium malorum calamitas. Sed de hoc latius loco ſuo.

XIII. Inficiari jure nequeunt vel ipſi ſpectaculorum defenſores, Theatra eſſe rei amatoriæ gymnaſia, atque violandæ caſtitatis incitamenta, cum ipſæ Comœdiæ, & Tragœdiæ his amoribus muliercularum, & virorum plenæ ſint. Quare, ut probroſæ arti aliquod honeſtatis velamen prætendant, ajunt, amatorias illas repræſentationes ad *Matrimonium* dirigi, & *Matrimonium* ſpectare. Eſto. Quid inde? Ideo ne minus accendunt ſpurcum concupiſcentiæ bitumen in ſpectatoribus? Matrimonium efficit dumtaxat, ut mutuus inter conjuges amor, & congreſſus honeſtus ſit ob mutuam contractus, & Sacramenti fidem, & ligamen perpetuum. At in ſpectatoribus, & rei amatoriæ auditoribus, quem effectum parit? Numquid in iſtis concupiſcentiam frænat? Numquid veneream delectationem ex mimica repræſentatione excitatam licitam reddit, & honeſtam? Ut levitas hujuſmodi prætextus pateat evidentius, finge in ſcenam prodire uxorem adoleſcentem venuſtiſſimam, & comptiſſimam, maritumque ſimul & viciſſim ſeſe ad amplexus maritales provocare, & rei uxoriæ actiones vivide repræſentare: minuſne inflammabunt ſpectatorum concupiſcentiam? minuſne oculos aureſque inflammarent, polluerentque, ſi nullo eſſent Matrimonio ligati? Concupiſcentia, & ſenſus humani a proprio objecto percelluntur & irritantur. Matrimonii vocem, & ſignificatum nec percipiunt, nec curant, ſolumque voluptatem inhiant, anhelantque. Nihil ergo ineptius obtrudi ad honeſtandas theatricas impuritates valet, quam Matrimonium, quod conjugum tantum, ſecus aliorum concupiſcentiæ officium licitum efficit.

CAPUT XI.

Nonnulla rationum momenta, quæ noſtræ ætatis ludos theatrales pravos, criminumque plenos evincunt.

I. Nihil prius habuerunt unquam Poetæ, jam inde uſque ab artis ſuæ ortu, quam Comœdias, Tragœdiaſque, non modo de cujuſcumque criminis labe purgare, verum etiam honeſtatis ſplendorem eiſdem prætendere. Quo, inquiunt, drammatica poemata, comœdiæ, & tragœdiæ pertinent, niſi eo, ut vitiorum horrorem, & virtutis affectum excitent? Theatra ſcholæ ſunt, in quibus criminum horrida facies, funeſtæ eorumdem conſequutiones, pœnæ, & ſupplicia; contra virtutum characteres, prærogativæ, & præmia nativis coloribus depinguntur. His ratiunculis, ſeu verius gerris, fucum facere aurito popello ſtudent. Et ad hoc quod attinet, ex una parte quidquam ſibi merentur, ſin veniæ, ſaltem commiſerationis. Quis namque propriam artem, ſuoſque partus abominatus eſt unquam? Unde enim ſtipendia, unde encomia, & plauſus compararent? Plura quoque ſunt, quæ comœdiarum ſpectatores ad propugnandam urgent earumdem honeſtatem. Quorum omnium illud potiſſimum eſt, ut conſcientiæ latrantis retundant aculeos, ut tranquille, & quaque amaritudinis mixtura pulſa, in omnes voluptates, & oblectamenta ſeſe ingurgitent. Ceterum, ut nullo negotio ſophiſmata omnia eludamus, illud dumtaxat admonendum ducimus, nos in præſentia ſermonem haudquaquam inſtituere de ſpectaculis, comœdiisque in quadam veluti metaphyſica meditatione acceptis. Quis enim, ſi recte ſapit, inficias ire auſit, Poetas, ſi velint, ex Chriſtianæ Philoſophiæ principiis argumenta arceſſere poſſe, & hominum animos ad vitia perſequenda colendamque virtutem inflammare? Si enim ſoluta, quidni, & ligata oratione id fieri valet? Id præſtiterunt & Sancti quidam Eccleſiæ Patres, & moderni etiam piiſſimi Poetæ. De ſpectaculis ergo, quæ his temporibus peraguntur, quæque

que ſuperiori capite delineavi, ſermo mihi eſt. Hæc qui a criminum maculis defæcare velint, cribro aquam hauriunt, Æthiopemque lavant, ut omnium ſæculorum experientia compertum eſt.

II. Ex plurimis rationum momentis, quæ latius, ac diſperſim ex Patribus indicata ſunt adverſus ſpectacula, pauca perſtringam, ut ſub unico veluti conſpectu eadem commeditari lector vaveat. Porro, ut quod fieri poteſt, omnia ad vivum reſecemus, gratis concedere volo: Poetas recentes ſervare, quod plerumque falſum eſt, omnes pudoris, modeſtiæ, & caſtioris ſermonis regulas. Quid inde? Nonne Poetarum omnium vota, & ipſius Poeticæ artis præcepta eo unice ſpectant, ut auditoribus placeant, ut ſenſus demulceant, affectus cieant, amoremque accendant? Nonne ea argumenta ſeligunt verſanda, quæ ad hos concitandos affectus validiora exiſtimant? Revolvantur comœdiæ, tragœdiæ, & tragicomœdiæ omnes, tum veteres, tum recentes: aliane argumenta tractant, quam amoris, aut odii, iræ, aut vindictæ, deſperationis, aut crudelitatis? Sed quod frequentius actitant, amoris cauſa eſt. Hæc enim materies gratior, hæc ad concupiſcentiam accendendam validior, hæc ad augendam auditorum frequentiam potentior. Duplici vero inſiſtunt viæ, ut votorum compotes efficiantur ſuorum. Alii verbis obſcœnis turpia facta, nudamque venerem fracta fronte, nulloque quæſito colore, oculis objiciunt. Alii artis ſuæ peritiores immane libidinis virus melle poetico, ut Horatius inquit, temperant, occultant. Amantium dolos, fraudes, inſidias, impetus exquiſita arte depingunt. Amatores iſtos modo beatitati proximos, modo in extremum miſeriarum dejectos, modo dulcibus junctos amplexibus, nunc in diſſitas abſtractos partes repræſentant. Quid ſi dulces ſermones, quibus ſeſe provocant, recenſerem? Hæc omnia figuris tropiſque diſtinguunt, ut animum mentemque defigant. Tot vero fucis, & lenociniis velant, ut nihil ſordidi, ſed honeſtam teneramque benevolentiam redoleant. Sub hoc amabili aſpectu ſecurius corda penetrant, ac intimiores ſubeunt receſſus. Iſthic paulatim concupiſcentiam titillant, & ſcintillas accendunt. Poetæ prioris generis, licet ſint ſummopere criminoſi, ſi nocendi, peſtemque dilatandi ipſorum ſpectetur voluntas; reipſa tamen minus damnoſi, minus peſtiferi ſunt: eorum namque putida fœditas nauſeam faſtidiumque inducit. Poſterioris vero generis, quo minorem produnt malitiam, eo funeſtiorem animorum ſtragem producunt. Satyrica ſcita, ſales, facetiæ, quibus ſermones ſuos reſpergunt, & vitia deridenda ſe propinare jactant, ſunt ſelectiora quædam condimenta, quæ palatum dulciter vellicant, & appetitum magis irritant, provocantque. Poetæ ejuſmodi ſimiles prorſus ſunt femellis illis, quæ cujuſdam verecundiæ, pudoris, & modeſtiæ fallacem imaginem oſtentant, quæque ideo primis aggreſſibus ſe reſiſtere, & contradicere elaborata vafricia fingunt, quia experientia didicere, ſe hac via efficacius invitare amantes, illiſque hac artificioſa proluſione animos adjicere, ut eo, quo contendunt, perveniant. Merces enim ultroneæ vileſcunt; & fercula, quæ adipe abundant nimio, ſtomachum commovent. Inepte ergo & omnino ſtulte & honeſta & innocua, ſua drammatica poemata defendunt. Quandoquidem argumenta, quæ tractant, amoris & benevolentiæ, ſuapte natura concupiſcentiam calefaciunt, & accendunt; & quo cultiore, & caſtiore ſermone utuntur, eo profundius penetrant, feriunt, occidunt. Sacri Dei Præcones tremendiſſima, æternaque ſupplicia, divinæ fidei luminibus reſperſa oculis libidinoſorum exponunt. Fornacem illam horrendam ignis tartarei aperiunt, omneſque cæleſtis eloquentiæ nervos intendunt, & terribilia omnia, quæ terrorem incutere, quæ appetitus cohibere poſſunt, gravioribus verbis exaggerant; morbos ipſos corporum, quos dum virus epotant, contrahunt, recordari non ceſſant. Et tamen quam colligunt meſſem? Et Poetæ eouſque inſaniunt, ut ſibi perſuadeant, quibuſdam Plautinis ſalibus, facetiis, & argutiolis defricando laſciviam, ad illam deteſtandam homines concitari poſſe, eo ipſo tempore, quo omnium illecebrarum apparatu illius amorem docent, & inſtillant? Chimæræ hæ ſunt, & portenta, quæ Poetæ dumtaxat confingere auſint. Cedo: licetne Chriſtiano amoris profani ſcintillas

ac-

accendere, concupiſcentiam provocare, & ſenſus omnes, vanis ſpectaculis faſcinare? Quid reponis? Caſta, inquis, matrimonia ſpectant amores illi, qui excitantur. Sed hoc figmentum ceteris pejus eſt. Anne concupiſcentia ex rei amatoriæ repræſentatione accenſa, de matrimonio cogitat? Nil minus Comœdiarum actores, quemadmodum & ſpectatores, in mente habent, quam matrimonium. Præſentanea delectatione fruuntur. Sanctum eſt matrimonium, non ut voluptatis carnalis exercitium, ſed ut humanæ procreationis inſtrumentum. At longum eſt ſingula perſequi. Ad potiora properemus.

III. Si profani amoris argumenta & ſuapte natura, & Poetarum elaborato artificio roborata in capita ferme, fortunaſque hominum dominantur; quis incredibilem illam manifeſtare vim poterit, quam ex Comœdorum, Hiſtrionumque vividiſſima repræſentatione nanciſcuntur? Quid, quæſo, ad excantandos oculos validius, quam arguta manus? Quid ad demulcendas aures efficacius, quam harmonicæ voces? Quid denique ad concitandam omnium paſſionum turbam, ad emollienda corda, ipſamque voluntatem quocumque velis inflectendam potentius, quam geſticulationes feminarum? Nonne, antequam in ſcenam prodeunt, tam Actores, quam Actrices, omnia corporis membra ad loquelam inſtruunt, ut ad vivum omnia exprimere felicius valeant? Adde ſcenarum majeſtatem, veſtium ſplendorem, vultuum fucos, mutuum placendi ſtudium, ſimpathiam reciprocam, concentus harmonicos, ſaltationes non ſatis pudicas. Dic ſodes: ſi caſtitatis offendicula, ſi innocentiæ pericula, hæc non ſunt; quænam erunt? Se ab his ſpectaculis abreptum fuiſſe faſſus eſt Auguſtinus. *Rapiebant me ſpectacula theatrica plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus ignis mei.* Tune immotus, & imperturbatus conſiſtes? Numquid ætatis noſtræ homines Auguſtino fortiores, Salomone ſapientiores, Davide ſanctiores, Sampſone robuſtiores?

IV. Huc uſque ſolis momentis ab humana ratione arceſſitis ſpectaculorum malitiam palam fecimus. Altius nunc efferenda oratio eſt, & ad Chriſtianæ legis præcepta revocanda. Cor hominis, cujus beatitas amor eſt, in ſolo Deo quieſcere valet, quem omnibus præferre creaturis obſtringitur. Vim, triſtitiam, cruciatus perfert; cum ab hoc unico ſuo centro aberrat. Porro nihil vehementius, efficaciuſque, quam ſpectacula, a Deo homines avocat. Hæc quippe terrenarum rerum diſperſa, & varia oblectamenta una colligunt, & in compendiariam imaginem contrahunt, faſciniis, & præſtigiis fucant; atque in id omne conferunt ſtudium, ut triſtitiam, moleſtias, angores, & innumera, quæ pariunt incommoda, celent, tegantque. Et quo ſenſiles blanditias delectationeſque exaltant, eo æternæ gloriæ ſplendorem obnubilant, & remotius ab eadem homines abducunt. Aſſueti namque his mendacibus deliciis, ac felicitatum ſimulacris homines divina, æternaque faſtidiunt bona. Animus obſcœnarum cogitationum epulis ſaturatus, nihil præter libidinem eructat, odioque habet cæleſtia gaudia. Et hæc una cauſarum potiſſima eſt, ob quam Auguſtinus arcendos a Theatris docet Chriſtianos, quod ſcilicet ſpectacula & mentem, dum falſis imaginibus replent, a veritate abducunt, & animum in carnalium voluptatum luto defigunt. Quo fit, ut vino proſtitutionis inebriati ſpectatores ſoporis calicem bibant, epotentque uſque ad fæces.

V. Accedit, quod ejuſmodi ſpectacula ad omnia fere Evangelicæ Religionis munia ineptos efficiant Chriſtianos. Continenter nos orare, noviſſima meditari, riſum, & mundana gaudia contemnere, lacrymis peccatorum ſordes abluere; carnales appetitiones conflictare, bellum carni, & ſanguini indicere præcipit Chriſtus, & altius inculcat. Quid vero tam directe & aperte repugnat divinis iſtis legibus, quam ſpectaculorum frequens conſpectus? Quid precandi, quid meditandi ſtudio, quid carnis macerationi, quid chriſtianæ pœnitentiæ ad ſalutem æternam neceſſariæ tam infeſtum, quam ſtudium illud, quod Comœdiarum ſequaces, & aſſeclæ deliberato, & obfirmato animo profitentur? Demulcent nempe iſti ſenſus ſuos, carnem delicatiſſime ſaginant, & voluptatibus iſtius ſæculi indulgent. Dicas velim, an Turcæ, an Hebræi, an Ethnici cujuſque ætatis tantam navent

vent

vent operam arti explendi carnales appetitiones, quantam impendunt Chriſtiani illi, qui comœdias, & ſpectacula ex inſtituto frequentant?

VI. Admonet, imperatque Chriſtus Pauli Apoſtoli voce omnia propter Deum fieri, & ad illius gloriam operationes quaſque, & ipſa oblectamenta bibendi, dormiendi, & manducandi referre. Anne deliberati frequenteſque ad ſpectacula acceſſus in Dei referri gloriam queunt? An plauſus, quibus comœdiarum Spectatores Actoribus; & ſaltatricibus litant: an ſuavia colloquia, quibus e pulpitis contiguis ſuas ſocias alloquuntur, eaſque divas, ſua cordula, ſuas animas, viſcera ſua per ſacrilegam idololatriam appellitant, in Dei gloriam cedunt? Quid, quod non modo Chriſtianæ profeſſionis munera, ſed ipſa civilia negotia, dignitatum procurationes, juſtitiæ adminiſtrationem, & univerſæ politiæ ordinem perturbant ſpectacula iſthæc? Noctem ſomno, & quieti deſtinatam in diem convertunt, & humanæ vitæ conſuetudinem ad beſtiarum mores conformant. *Facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt in cubilibus ſuis* ludorum ſcenicorum, & alearum ſequaces. Quid de temporis jactura, quid de vanis ſermonibus dicam?

VII. Aliud Evangelicæ legis præceptum prohibet occaſionem præbere aliis delinquendi. Hic eſt unus ex præcipuis Chriſtianæ inſtitutionis characteribus, ſcilicet non modo noſmetipſos, verum etiam fratres noſtros peccandi ſubducere periculo. Comœdorum, & Hiſtrionum profeſſio infamis, & criminoſa eſt, vi omnium legum. Nec reponas, verum id habere de antiqua paganorum hiſtrionum profeſſione. Quoniam probavimus, hodierna ſpectacula, ad mores quod attinet æque, & quandoque plus ac Ethnica malitiam olere. Et ut obiter dicam: quis tam fractæ frontis erit, ut propugnare auſit, honeſtam eam eſſe profeſſionem, qua mulier Chriſtiana in proſcenium prodit, ibique nunc actrix artem amandi, ſaltandi, concinendi exercet, ut qua manuum geſtibus, qua pedum artificioſis motibus, qua univerſi corporis agitatione faſcinet oculos, blandiatur auribus, ac impudici amoris bitumen accendat? Nonne univerſus Mundus loco meretricularum habet feminas theatrales? Quod ſi hæc omnia concedere renuis (quamquam non ſolum hæc, ſed & pejora veriſſima ſunt) dic ſodes: ubi in hac mulierem pudor, modeſtia, verecundia, quam Divus Paulus, & lex Evangelica adeo ſevere mulieribus imperat, ut vel in ipſo Dei Templo ob Angelos velari capita ſuadeat? Nolli ergo tergiverſari. Niſi rationi, & communi omnium, intimoque ſenſui renunciare velis, ſaltatricum mulierum in Theatris profeſſionem inverecundam, effrænatam, immodeſtam, inhoneſtamque, ut minus, fatearis neceſſe eſt. Si Actricium feminarum profeſſio vitioſa; Actorum quoque, quibuſcum ſaltant, agunt, converſantur, culpabilis ſit oportet. Quæ cum ita ſint, nonne neceſſaria illatione conſequitur, te graviter peccare, quoties Theatra frequentas, vel ob hoc ſolum, quod comœdis, aliiſque ſpectatoribus, tua præſentia occaſionem peccandi exhibes, foveſque? Quocumque te vertas non evades. Nam peccas, aut quod carnalibus illecebris indulgeas, aut quod cogitationibus laſcivis aſſentiaris, aut quod periculo aſſentiendi te exponas, vel quod tempus inutiliter teras, aut quod pecunias prodigas, vel quod ſcandalo aliis ſis, occaſionem nempe delinquendi præbeas, & nugatoriam infamemque comœdorum, & ſaltatricum meretricularum alas, nutrias, foveas profeſſionem. Unum ergo e duobus præſtes opus eſt: ſcilicet aut theatris, ſpectaculis, comœdiiſque omnibus valedicere, aut Chriſtianam ejurare profeſſionem. Quo te recipias, perfugium nullum patet, nec rima ulla, qua declinare argumentationis vim poſſis. Lubet tamen in eorum, quæ dixi, confirmationem S. Baſilii teſtimonium illis iterum opponere, qui inter familiaria mulierum colloquia ſe immotos oſtentare audent. *Si quiſpiam dicet, quod plerumque cum mulieribus colloqui, & converſari nihil afferat periculi, is vel non eſt particeps virtutis maſculæ, & eſt ADMIRABILISSIMUM QUODDAM PECUS inter utramque naturam velut medius conſtitutus: vel ſi particeps illius eſt, immerſus eſt affectionibus, ut periculum non ſentiat, ad exemplum temulentorum, & phrœneticorum, qui licet graviſſima patiantur, tamen extra paſſiones ſe conſtitutos eſſe putant.* De Conſt. Monach. cap. 4.

CA-

CAPUT XII.

Alterutrum Chriſtianus præſtet, neceſſum eſt: aut Divinis Scripturis, aut Theatris nuntium remittat. Iſtorum potiſſimum ſophiſma, ſe nempe nihil mali experiri, diluitur, Graviſſima crimina, quæ culpabilis ignorantiæ tenebris obducti perpetrant, indicantur. Communis ſenſus Chriſtianorum, Comœdiam eſſe ſcholam impudicitiæ, lenocinium corruptæ caſtitatis, & ſeductionis, clamat.

I. QUid aerem verberas, quid otio abuteris, ut ſpectantes theatrales ludos damnes? Tu ne conſcientiarum noſtrarum, & interioris caſtitatis ſcrutator, & judex? Quis tua argumenta, quam noſtra diuturna experimenta, pluris faciet? Nos autem a pluribus annis Theatra frequentamus, nullo umquam impudicæ delectationis ſenſu tacti: ſaltatrices feminas vix aſpicimus: Comœdorum verbis nec præbemus aures. Cantus dumtaxat ſuavitate delectamur, triſtem animum exhilaramus. Conſcientias noſtras famoſioribus Confeſſariis referamus, ſecretioribus arcanis manifeſtatis. Nihil, quod in nobis damnent, ipſi deprehendunt. Quamobrem ad ſacram menſam nos admittunt, & quidem frequenter. Quid plura? Nonne drammata typis edita impune leguntur? Nonne fabulæ nemorenſes, tragœdiæ, & cetera poemata, Eccleſiæ auctoritate, in lucem prodeunt? Quid ergo aures obtundis? Quid peccata effingis, & Chriſtianorum conſcientias torques? Quouſque Rigoriſmus iſte declamabit, dominabitur, ſæviet?

II. Hæ ſunt præter propter mollium Chriſtianorum argutationes, quas pedetentim convellam. Et primum cum Tertulliano non repetam, quæ ſupra dixi, ſtultitiæ nempe iſtos reos eſſe; dum illuc conveniunt tres, quatuorve horas inſumpturi, ubi nullum fructum capiunt. Reponunt, Theatra ſe frequentare, ut amicos, amicaſve alloquantur, cum eiſdem confabulentur, & amicabilis ſocialitatis fructus deguſtent. Iſtorum plures fruuntur bonis voluptariis, quæ Theatrorum frequentia parit. Diu ſuccenſa concupiſcentia ex ſpectaculorum conſpectu, eruditis animis, edocta mente in veneris gymnaſio jam laureatæ, & laureati Magiſtri evaſerunt: & mutua mares inter feminaſque amicitiæ fœdera firmata ſunt. Theatra iſtis, non amplius proſpectandi, aut addiſcendi, ſed peragendi, quæ didicere, accomodata loca evadunt. Quid enim? tempus ne inſument in proſpectandis figuris, cum tempus adſit iis fruendi, quæ Comici repræſentant. Ad Theatra iſti accedunt, ſeu ad opportuna loca, ubi concupiſcentiæ negotium meliori, quo valent, modo aut exequantur, aut exequendi formam deliberent? Iſtorum alii, pauci tamen, revera ſtulti ſunt, quia a vitiis craſſioribus abſtinent, non virtutis amore, ſed indolis ſtupore; vitamque ducunt perpetuo difluetem otio, quod neſciant pejora patrare. Verum iſtorum omnium, quos nunc commemoravi, graviſſima crimina, quæ ignorant, mox patefaciam.

III. Illos nunc ego alloquor, qui non prorſus ſtulti Theatra adeunt, ut Comœdorum repræſentationes, geſticulationes, motus harmonicos, ſcenarum majeſtatem, veſtium luxum, pompas, ceteraque omnia videant & contemplentur, ut ſuavem Muſicæ cantum, & inſtrumentorum harmonicos ſonos audiant; ut denique ſenſus oculorum, & auditus demulceant. Hic quippe ludorum Theatralium finis. Capite ſuperiori palam feci ſolos Epicuræos actiones iſtas a vitio purgare; cum omnis Philoſophorum doctrina hæc omnia, tamquam crimінoſa, damnet. Nunc ad Tribunal Sanctarum Scripturarum eadem revoco.

IV. Pauca divinæ Scripturæ teſtimonia promam, quæ curioſos mulierum, & maxime ſaltatricium, aſpectus damnant. Eccleſiaſt. IX. *Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius .... Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis, exardeſcit*. Rurſus cap. 42. *In medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea; & a muliere iniquitas viri. Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens*. Rurſus cap. 9. *Ne reſpicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius*. Alterutrum ergo: aut falſa ſunt hæc Dei oracula: aut mendaces ſunt Chriſtiani, a culpa excuſantes mulie-

lieres ſaltatrices in Theatro. Quid ad hæc? Periculum, inquis, non peccatum Scripturæ Sanctæ minantur. Eſto. At clamat ibidem Deus cap. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Nulla nunc ad effugium rima occurrit. Aut mendax Deus; aut mendaces ſpectatores ſaltatricium mulierum. Blaſphemia primum. Verum igitur alterum. Pergamus ultra. Si ſolum aſpectum comptarum mulierum, ſi ſolum colloquium, ceu ignem inflammantem concupiſcentiam, damnat; quid de muliere comica, quæ cantu, geſtu, & verborum lenociniis in Theatro veneris cauſam orat, ſuadetque?

V. Pauca nunc tranſcribo ex iis, quæ pudorem, & modeſtum ornatum mulieribus præcipiunt. Princeps Apoſtolorum Petrus Epiſt. 1. cap. 3. *Similiter mulieres ſubditæ ſint viris . . . . Conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*. S. Paulus ad Cor. 1. cap. 11. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum . . . . Vos ipſi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?* Rurſus 1. ad Timoth. 2. *Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa, ſed, quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona*. Miſſis ſexcentis aliis oraculis ſequentem conficio argumentationem.

VI. Pudor, verecundia, modeſtia, ſobrius ornatus dotes ſunt mulieris Chriſtianæ. Luxum, vanitatem, pompas in Baptiſmatis profeſſione abdicarunt tum mulieres, tum viri Chriſtiani. In memoriam revoces velim aliam Scripturæ Sanctæ doctrinam, nempe ſenſus noſtros tactum, auditum, oculos, guſtum januas eſſe, per quas animæ arcem ingrediuntur. Apertis januis arcem occupat dæmon. Finge nunc, tales reperiri homines, quales modo deſcripturus ſum. Hi non induſtriæ, non labori parcunt, ut reſciant, quinam ſint viri, quænam in univerſa Italia, ne dicam Europa, mulierculæ, quæ ejurato pudore, modeſtia, & verecundia præſtantiores ſint, aliæ ad demulcendum auditum cantus ſuavitate, aliæ ad excantandos oculos vel pedum ſaltatione vel geſtuum artificio, vel dramatum recitatione. Continuo ac cognoverunt hujus artis peritiores, tum viros, tum feminas, conducunt pacto pretio, & quidem ingenti. Tum & Poetas ſollicitant, ut poemata ſcribant, præſtituto fini accommodatiora; & ſartores advocant qui veſtes conficiant, talem luxum, pompam, & vanitatem præferentes, ut nihil vanius, nihil inverecundius, nihil immodeſtius excogitare ars humana queat; & pictores artificeſque urgent, ut Theatrum ſplendidiſſime ornent, ut ſcenas exquiſite pingant. His omnibus peractis, prodeunt in Theatrum Mulierculæ comicæ, comicis viris ſociatæ, pompaticis veſtibus indutæ, vanæ, inverecundæ, effrænatæ, ut locatam artem exerceant. Ad tantæ rei rumorem univerſæ Civitatis juvenes, & ſenes, viri, & mulieres agminatim accurrunt ad ſpectaculum. Tum Actrices, & Actores ſpectantium ſenſus undique qua cantu, qua geſtu, qua ſaltu obſident, oculos faſcinant, auditum excantant, concupiſcentiam irritant, fornicandi, adulterandi artem inſtillant, docent; & tandem, quo ad fieri per ipſas, ipſoſque poteſt, verecundiam, pudorem modeſtiam depopulantur.

VII. Manus nunc conſeramus. Mulieres præfatæ, quæ tali locata arte vivunt, taleſne ſunt, quales eas vult Deus lege ſua, pudicas, verecundas, modeſtas, caſtas? An non iſtæ inſidioſæ ſirenes, quæ omni præſtigiorum genere illiciunt, & in laqueos perditionis pertrahere animas adnituntur? An non infames, ſceleſtæque? An non mundus totus, ut proſtitutas habet? Cedo. Quid nunc de viris illis, qui eas conducunt, qui eiſdem ſtipendia pendunt? Minus ne hi flagitioſi; minus ne criminoſi, ſontes, ſceleſti? Sed, quinam ſunt viri iſti tam projectæ conſcientiæ, qui hanc turbam Comœdorum, & Mimarum ad depopulandam ſimplicitatem, ad corrumpendam caſtitatem, ad deprædandum Chriſti gregem tanto pretio redemptum, conducunt? Quinam ſunt? Spectatores omnes (quod bona ipſorum pace dictum ſit) adſtantes omnes, etiam clauſis oculis. Iſti, inquam, ſtipendia ſolvunt omnia. Fallor. Non modo ſpectatores ſtipendia Comicis omnibus pendunt, non modo ſartorum, pictorum, ſcenarum, & ornamentorum ſumptus ſolvunt, verum etiam pretium exhibent præfatis viris, qui Comicos,

Comicaſque mulierculas conducunt. Numquam enim iſti conductores tot ſubirent incommoda, niſi a ſpectatoribus ſe lucra recepturos ſperarent. Et tum ſolum e ſpectatoribus lucrum non recipiunt: quandonam? Quando ſelegerunt Comicos minus idoneos ad corda ſpectatorum emolliendа, ad vellicandam concupiſcentiam, ad voluptatem ciendam. Tum ſolum negligentiæ aut malæ ſortis pœnas luunt. Ceterum, quo præſtantiores Comœdos ſeligunt ad mores corrumpendos, eo quoque majora lucra conquirunt a ſpectatoribus.

VIII. Satin hæc ad diluendum ſophiſma tuum? Nequaquam. Gravius adhuc eſt ſcelus, quod perpetras. Evinco. Aut revera ad Theatrum pergis voluptatis illicio captus; aut ſecus? Si primum: mendax es, dum aſſeris, nulla te tangi ex comœdiæ præſtigiis voluptate. Si ſecus: ergo ex mera malitia peccas, dum ſtipendia Comicis præſtas, ut artem exerceant infamem, quin tu ullam deguſtes lætitiam, ullamque percipias utilitatem. Qui voluptatis illecebra ſeducti Comœdiam frequentant, peccant utique, at imbecillitate naturæ: tu vero depravati animi iniquitate. Habes nunc, quod opponas? Habeo. Etiamſi ego Theatro abſens ſim, non propterea deſunt alii, qui illud frequentant. Stipendium meum nihil confert in opus iſtud, cum, eo ſublato, nihilominus ſint, qui pactum pretium Comœdis ſolvant. Iterum falleris. Idem ſinguli ſpectatores, idem ſinguli Comœdi, idem ſinguli Comœdorum conductores effutire poſſent. Etiamſi ego comœdiam non agerem, agerent alii. Vides latronum turbam ſcrinia expilare. Cur vetitum mihi, inquis, erit, aliquam ſurripere partem; cum illi parati ſint omnia rapere? Hoccine licitum eſt?

IX. Cetera, quæ opponuntur, leviſſima ſunt. Comœdiæ, Tragœdiæ, & alia Poetarum drammata auctoritate Superiorum typis prodeunt. Ergo legi poſſunt. Eſto. Quid inde? Etiam feminas alloqui vales, eas videre, cum eiſdem honeſte ſobrieque converſari. Ergo mulierculam comptam, canentem, geſticulantem, provocantem ad venerem meditari, alloqui, & familiari converſatione excipere vales? Lectio comœdiæ frigida, ſterilis, injucunda. Accedunt condimenta Theatralia, quæ recenſui; & tum ſenſus provocant, atque ſeducunt. Neque hic miles, neque ille obſidere arcem valet: omnes ſimul juncti eam expugnant, & demoliuntur. Dum Theatrales ludos morum integritati pernicioſos aſſerimus, præſtigia omnia, quæ Theatrum formant, comprehendimus. Qui partes ſeparatas, ut licitas, opponunt, iis ſimiles ſunt, qui ut venenum aliquod arte compoſitum defendant innoxium, partes, quæ forte ſeparatim acceptæ comedi poſſent, obtrudunt.

X. Paucis nunc graviſſima ſcelera perſtringam, quæ Comœdiæ ſpectatores perpetrant. Hi omnes, ſive præſtigiis Comicorum, & illecebris muliercularum capiantur, ſive ſecus: ſint ſtatuæ æneæ, omni ſenſu deſtitutæ: ſint inſenſilia marmora: improperent, & derideant Paulum, Hieronymum, Martinianum, ceteroſque Anacoretas Sanctiſſimos, qui carnis tribulationem patiebantur, qui concupiſcentiæ ſtimulis colaphizabantur; iſtos ut miſella carnis mancipia, contemnant: ſe jactent pellucida criſtalla, fragrantia cariophylla. Hæc illis ultra concedere velim. At ſubdo: iſti omnes ſtipendia Hiſtrionibus ſolvunt: infamis artis Actores, & Actrices alunt, induunt, ſuſtentant. Ergo omnia flagitia, omnia ſcelera, omnia ſcandala, quæ hanc artem conſequuntur, in capita ſpectatorum cedunt, vertuntur, tamquam in complices, conniventes, & participantes. Uno cogitatu percurre tot juvenes, tot puellas, tot uxores, quæ in Theatro pudore, verecundia, modeſtia, & ſimplicitate amiſſis, veluti tot Evæ ex ſerpentis ſibilo experrectæ, artem amandi, & concupiſcentiæ ſaturandæ didicere. Percurre tot fornicationes, adulteria aut mente, aut opere perpetrata. Meditare tot juvenes, qui comœdiæ præſtigiis ſeducti, & faſcinati aut concubinas ducunt, aut uxores ſirenas cantantes, ſaltantes, recitantes ſibi deſponſant, lugentibus parentibus, dilapidato patrimonio, & non raro extinctis familiis. Hos ludorum Theatralium monſtruoſos abortus, hæc comœdiis parta portenta videmus in dies, & lugemus. Porro hæc omnia, & innumera alia, quæ ſilentio premo, ſcelera, & flagitia ratione ſaltem conſenſionis, & cooperationis, ut ajunt, perpetrant, qui ſua præſentia ſpectaculis, ſeu conciliabulis vanitatis, impudicitiæ, iniquitatis interſunt.

C A-

CAPUT XIII.

Expenditur illorum opinatio, qui concedunt pugnare quidem Theatra cum Chriſtiana profeſſione; at pernegant damnari mortalis culpæ eorumdem ſpectatores indiſcriminatim certo poſſe.

I. EVangelicæ legis ſpiritus totus eſt in carne confligenda, in cohibendis humanis ſenſibus, & appetitionibus. Eo cum primis pertinet, ut animum a vanis pompis, luxu, faſtu, ſcurrilitate, turpiloquio, immoderato riſu, fabularumque mendaciis abſtrahat, atque a maculandæ caſtitatis periculo ſejungat. Contra, Comœdiarum, & Theatrorum ſtudia eo unice conſpirant, ut humanos ſenſus, appetitioneſque demulceant, irritent, excantent, delectentque: pomparum luxum, voluptatis negotium, & mundi oblectamenta promoveant, allicientque ſpectatores, ut iiſdem ſedulam navent operam. Quis autem adeo inſaniat, ut non intelligat, conjungi hæc duo minime poſſe? Non enim minus invicem pugnant, quam lux, & tenebræ. Declama ergo, ſi vis, contra Theatrorum & Comœdiarum abuſum: hortare fideles ut ab eiſdem abſtineant: Sed cave ne definias mortaliter peccare omnes Theatrorum ſpectatores: hoc quippe lethale crimen, quod æternam parit damnationem, ſummopere eos conturbat, & omnem, quam ex Comœdiarum aſpectu percipiunt delectationem, exacerbat, funeſtatque.

II. Numquid ego miſerrimus homuncio, ac viliſſimus terræ filius flagitiorum pleniſſimus tribunal erigam, judexque ſedebo, ut peccati mortalis, atque adeo æternæ damnationis ſontes animas Chriſti ſanguine redemptas pronunciem? Abſit a me ſtultitiæ tantum; quin in id omni conatu incumbam, ut a gravi crimine patrando, & damnatione incurrenda homines ſubducam. At hic ſerio reputes, lector, velim, quam ſit tremenda, ſimulque lugenda illorum cæcitas, qui, quemadmodum indicavi, argutantur: Cave, ne definias, Theatrorum ſpectatores graviter delinquere? Cedo. Numquid a mea pendet deciſione, quod ſit, an ſecus, præfata corruptela mortifera? An deſinet eſſe, in hypotheſi, quod ſit; aut an evadet, quando revera non ſit, pravitas iſta lethalis, propterea quod ego id definiam? Sed qua ratione ducti hortantur, ut a manifeſtanda iniquitatis gravitate abſtineam? Illine graviſſimam controverſiam pro meritis diſcuſſere? Quin nec a longe illam ſalutarunt. Et cauſa incognita judicii ſuſpenſionem ſuggerunt? Quid, ſi Judici ſuaderent, ne decideret fundum, de quo litigant Actores, eſſe Petri potius, quam Pauli, cum ipſi penitus, cui vere debeatur, ignorent? An hæc ſola ſuaſio gravi culpa careret? Illud ſuadere debuiſſent, & debent, ne temere, & nonniſi poſt exactam maturamque controverſiæ diſcuſſionem, & poſt ſerio conſultos Patres, Canones, Chriſtianam profeſſionem, & omnes Theatrorum circumſtantias judicium pronuncietur. Pluries in mea Chriſtiana Theologia a definienda malitiæ gravitate abſtinui, quia periculo non vacat id decidere, niſi manifeſta veritas ſit. Et continuo multi mihi vitio verterunt talem judicii ſuſpenſionem. Adeo ſunt hominum diverſa ingenia. Illi vel in obſcurioribus ſententiam decretoriam: iſti vel in meridiana luce ſuſpenſam efflagitant, pro ut illorum intereſt. Verum ego his hominum rumoribus contemptis, rationes, & documenta ſplendidiſſima in medium adducam, quæ criminis gravitatem patefaciant, ut dignoſcere, & judicare quiſque, quid amplectendum, quid reſpuendum ſit, valeat. Antequam vero hoc præſto, plura præmittam oportet.

III. Et primo quæſtio de diſcrimine peccati venialis a mortali omnium eſt difficillima, ut S. Thomas *quodlib.* 8. inquit. *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, periculoſe determinatur, niſi veritas habeatur.* Peccatorum venialium genus triplex. Primo ex objecto, ut mendacium officioſum. Secundo ex parvitate materiæ, ut furtum unius oboli. Tertio ex imperfecta deliberatione voluntatis, ut ſi quis pulſante veneris tentatione, & delectatione concupiſcentiæ alliciente voluntatem, negligens ſit in eadem repellenda. Hæc tertii generis peccata judicatu difficillima ſunt. Ex ſignis tantum externis, & ex qualitate conſcientiæ hominis tentati colligere Theologi, venialia eſſe, aut mortalia ejuſmodi peccata, valent. Tum mortalia eſſe communiter definiunt, cum ho-

homines in occaſiones ſe conjiciunt tentationum, quia tunc indicant communiter ſe deliberate iſtiuſmodi tentationes, & delectationes velle, ut fuſius infra dicetur. Quid quod hominem ipſum tentatum ſuæ conſcientiæ occultiſſimæ latebræ latent? Ille ipſe definire certo nequit, mortalis ne, an venialis ſit delectatio de tentatione, quam ex Spectaculorum aſpectu patitur.

IV. Secundo certum eſt peccata venialia ad mortalia viam parare, ut Patres, & Theologi omnes docent. Unum, & alterum in tranſcurſu indicabo. S. Auguſt. Epiſt. 264., olim 108. *Peccata*, inquit, *quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt, quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navim, atque ſubmergat?* S. Thomas 1. 2. quæſt. 88. art. 6. ad 1. inquit: *Veniale differt a mortali, ſicut imperfectum a perfecto, ut puer a viro.* Sicut autem puer natura ſua in virum evadit; ita peccata venialia, licet ipſa in ſe mortalia non fiant, ita tamen ſæpe repetita animum vulnerant, & fervorem extinguunt, ut ad mortem inducant. Hanc doctrinam Patres, & Theologi hauſerunt ex ipſa Scriptura Sancta. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*, inquit cap. 9. Eccleſiaſticus.

V. Tertio illud præmitto, me in præſentia loqui de peccatis, quæ communiter in Theatris patrantur, & quæ Theatrorum corruptelam paſſim conſequuntur. Num poſtea contingere eventus, & caſus poſſint, in quibus aliqui adire Theatra ſine culpa valeant, infra ſingulari capite expendam.

VI. Quarto extra diſputationis aleam eſt, in Theatris plurima, & fere innumera venialia non ex ſubreptione, ſed ex deliberata voluntatis electione committi. Pauca indicabo ex S. Joanne Chryſoſtomo *Homil.* 38. *in cap.* 11. *Matth.* ubi hæc habet: *Quis eſt ille theatralium hominum adeo magnus ſonitus? Quis tantus tumultus? Qui diabolici clamores? Quis veſtitus Satanicus? Cuncta enim, quæ ibi ſimpliciter fiunt, turpiſſima ſunt, veſtitus, tonſura, inceſſus, voces, cantus, modulationes, oculorum everſiones, ac motus fiſtulæ, & ipſa fabularum argumenta, omnia, inquam, turpi laſcivia plena ſunt.* Rurſus *Homil.* 62. *ad Pop.* ſubdit: *In Theatro riſus, ineptitudo, diabolicus faſtus, effuſio, temporis impendium, & ſuperflua dierum conſumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterii meditatio, fornicationis gymnaſium, intemperantiæ ſchola, turpitudinis exhortatio, riſus materia, inhoneſtatis exemplar.* Plura, quæ a Chryſoſtomo recenſentur, mortalia ſunt. Finge omnia eſſe venialia. Permiſſumne Chriſtianis Scholas aperire, in quibus publica fit venialium peccatorum profeſſio? Finge iterum, me definire minime poſſe ſpectatores comœdiarum mortaliter peccare. Cedo Decernere-ne tu evidenter vales, iſtos venialiter tantum delinquere? Quid reponis? Habeſne trutinam certam, qua iſtius malitiæ gradus ponderes? Habeſne bilancem, qua definias delectationem perceptam ex cantus ſuavitate, ex rei amatoriæ vivida repræſentatione, ex aſpectu mulieris cantatricis venialis culpæ limites non tranſilire? Si ego, inquis, careo hac bilance decidendi culpam eſſe dumtaxat venialem, nec tu illam habes, qua evidenter concludas, crimen eſſe mortale. Fac poſt ſeverum examen, nec me, nec te, ſive pro mortali, ſive pro veniali flagitio certam ferre ſententiam poſſe, remque ſuſpenſam, dubiamque hærere: Quid inde? Tum penes omnes eſt, te mortaliter peccare, dum Theatro aſſiſtis, propterea quod aleæ mortaliter delinquendi te committas. Nulla hic ad evadendum rima patet. Cedo iterum: quot Scripturas, quot Patres, quot Concilia ſerio expendiſti, ut hac in controverſia judex ſederes? Si candide loqui velis, te horum omnium jejunum fateri cogeris, & cauſa incognita ſententiam pronunciare. Quod crimen graviſſimum eſt. Æque enim lethali periculo graviter delinquendi ſe ſubjicit ille, qui in graviſſima, ut hæc eſt, controverſia adfirmat, ac alter qui negat, mortale eſſe crimen, niſi prius ad Sanctuarii tribunal cauſam exacta diſcuſſerit induſtria. Vides, quot graviſſima crimina perpetrant ſciтuli plurimi, qui, inconſultis Evangeliis & Patribus, licitum ad Theatra acceſſum de-

prædicant; temeritatis, præſumptionis, & ignorantiæ reos ſe produnt; immo ſcandalum graviſſimum perpetrant, quod Evangelio bellum intentent, & antichriſtianam doctrinam mordicus propugnent.

VII. Nec eſt, quod inſiſtas, te certum eſſe nullam experiri in Theatrorum aſpectu delectationem: quia effugium iſtud jam ſupra præcluſum a Tertulliano, Chryſoſtomo, ceteriſque Patribus eſt, & iterum infra de eodem ſermo recurret. In præſentia diſputatur de eo, quod communiter, & ut plurimum contingit. Ceterum, ut iſtos caſtitatis Heroes, qui in Conſiſtorio (ut cum Tertulliano loquar) impudicitiæ ſe lilia illibatiſſima jactant, pauliſper urgeam, iiſdem propono doctrinam penes ipſos benigniores Caſuiſtas, nedum Patres Theologoſque omnes communem. Caſtitatis virtus adeo delicata eſt ut mortalia vulnera ſæpe patiatur etiam tunc cum mens vix advertat, & ſentiat ſui mortem. Et eo eſt iſtiuſmodi virtutis jactura facilior, quo fragilius & lutulentius eſt corpus humanum, in quo reſidet. Concupiſcentia perpetuo adverſus eam machinatur. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7.* Sic Paulus Doctor Gentium. Numquid noſtri viri Theatrorum ab hac lege, ſeu effrænata concupiſcentia, quæ contra caſtitatem furenter pugnat, exempti, liberique ſunt? Quid muſſitas? Errige nunc aures. Si dum hæc concupiſcentia caſtæ menti ſuas larvas, & imagines depingit, tu eaſdem deliberate contemplaris, teque in earumdem practica conſideratione detines, continuo animam tuam lethali vulnere necaſti, quia vel re ipſa conſenſiſti, aut in proximo conſentiendi periculo verſaris. Et ſæpe peccas, & quidem mortaliter, quin expreſſe & actualiter te peccare advertas. Doctrina hæc, alioquin clariſſima, tremenda eſt, quam recogitans S. Hieronymus *Epiſt. ad Pamach.* clamat: *Cum hæc ita ſe habeant, in malorum comparatione tolerabilius ſuſtinebo morbos, dummodo una & graviſſima domina libidine caream.* Porro ſi peccas, dum in interna practica laſciva cogitatione deliberate ſiſtis, ob conſentiendi periculum; a peccatone liberaberis, dum ad externas, & graviſſimas comœdiarum occaſiones accedis, atque in tentationum barathrum ſponte, non ſemel, ſed frequenter irruis? Delector, inquis, in Theatro non de laſciavia, ſed de cantus ſuavitate, de artificioſa ſaltatricium arte. Qui ſic loquitur cæcitatis velo obductus eſt. Canuntur res amatoriæ; & tu ſeparare didiciſti ſuavitatem cantus a voluptate libidinis? Præciſiones metaphyſicæ in aliis argumentis optimæ ſunt: in lue venerea futiles & vanæ. Mens præſcindit, concupiſcentia indomita, & voluntas cæca non præſcindunt, ſed de rebus ipſis delectantur. Recurrit argumentatio facta. Peccas, dum te peccare culpabiliter ignoras. Voluptatis impuræ venenum epotas, canoræ ſuavitatis fuco illitum.

VIII. Quiſque ſine culpa aſpicere pulchram, comptam, ornatamque feminam poteſt: ergo aſſiſtere Theatro quoque licite valet. Sic ineptientes argutantur viri Theatrales. Et primo Deus Eccl. 9. ait: *Averte faciem tuam a muliere compta .... Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius.* Deinde expeditne cum muliere venuſta, compta, phalerata familiariter converſari, mutuaque cum eadem colloquia miſcere amatoria? Quid ſi hæc mulier venuſta & elegans te ad amorem incenderet, alliceret, irritaretque? Hæc in Theatro eveniunt, & plurima alia præſtigia. Pſaltriæ feminæ aures tuas cantus modulatione demulcent. Saltatrices motuum artificio oculos tuos perſtringunt. Amaſiunculæ ſe hominis amore languere totis viribus repræſentant, & amoris voluptatem exquiſite referunt, ut cor tuum emolliant, atque titillent: & quæ aptæ non ſunt, ut in ſpectatorum animis delectationem excitent, ut ineptæ rejiciuntur.

IX. Ex his omnibus collige, quam ſint Theatrorum ætatis noſtræ defenſores imperiti. Nemo quippe non videt præſtigia theatralia efficaciſſima eſſe ad omnes excantandos ſenſus, & in primis concupiſcentiæ belluam irritandam, atque inflammandam. Quiſque tentatur a concupiſcentia ſua, theatris etiam, & comœdiis ſublatis. In venerea delectatione nulla datur materiæ parvitas.

Ve-

Venereæ delectationis malitia, & ejuſdem gradus nos ſæpe latent. Malum agnoſcimus, ſed morbi gravitas ſæpe noſtræ mentis aciem fugit. Clamitant viri Theatrales bilances non adeſſe ponderandæ iſtius pravitatis gradum. Ergo immerito, inquiunt, lethalis culpæ damnamur. Recte & bene. Ergo immerito propugnatur, ſolam adeſſe culpam venialem. Si conſiſtit prima, firmiſſima quoque eſt ſecunda conſequentia. Omnes autem ad unum Theologi etiam benigniores docent, te mortaliter peccare, cum id agis, quod malum eſſe certo agnoſcis, ignoras vero malitiæ gravitatem. Certo ſcis in poculo extare venenum, ignoras vero mortiferum ne ſit, an tantum noxium, negabiſne te lethaliter peccare, ſi illud epotes, aut aliis propinandum exhibeas?

X. Hactenus argumentatione, quam ad hominem vocant, uſi ſumus. Ceterum numquid Patres omnes perpetua ſæculorum ſerie, ne dicam ipſos Ethnicos Philoſophos, tam vehementer contra ejuſmodi ſpectacula invecti eſſent; numquid prolixos edidiſſent tractatus; numquid ſacramenta denegaſſent viris theatralibus, ſi venialis dumtaxat culpa eſſet Theatra frequentare? Quid quod primis Eccleſiæ ſæculis vix diſciplina ſola confitendi venialia obtinuerit? Sed detrahenda viris Theatra frequentantibus larva eſt, & quid cauſæ ſit, patefaciendum, cur definiri nolint gravis culpæ noxiam eſſe Theatrorum frequentiam. Obvia ratio eſt. Valedicere huic ſolatio iſti recuſant. Nollent vero in publicum tanta iniquitate ſordeſcere, & inquinati apparere, ut nihil vereantur mortalia crimina recreationis cauſa perpetrare. Malitia quippe adeo enormis (præſertim ſi homines ſint in gradu aliquo conſtituti) & boni nominis famæ, & civili commercio, & negotiorum, atque dignitatum progreſſui ſummopere obſtare ſentiunt. Hæc eſt cauſa princeps, cur gravis culpæ damnari Theatra non patiantur. Concedunt vero libentiſſime, plurima in Theatro peccata venialia graſſari, quia hæc peccata ut aquam illi bibunt, quia hæc non infamant. Adeſt & alia ratio. Voluptatis carnalis amatores omnia ea expiſcantur, quæ augere, non minuere delectationes ſuas valent. Peccatum mortale agnitum conſcientias ſaltem multorum turbat, & mordet. Ideo ut plenius & dulcius ſorbere veneris potum queant, adimere ſaltem gravis criminis reatum ſuis ſolatiis omni ſtudio, & vafritie ſtudent. Quamobrem vel graviſſima rationum momenta, quæ malitiæ gravitatem evincunt, nullo negotio eludunt, & ſuas ratiunculas magnopere extollunt, mutuis antilogiis ſemetipſos conficiunt. Scriptura ſancta clamat: *Declina a malo, & fac bonum*. Non ait, declina a malo *mortali*, aut *veniali*, ſed a *malo*. Patres ſancti ſimiliter, miſſa diſtinctione mali lethalis a veniali, abſolute abſtinendum a malo inclamant. Si nos illorum morem imitantes hortamur a malo abſtinendum; continuo reponunt, malum eſſe leve, & veniale. Si contra nos aſſerimus, malum eſſe grave, tunc percontantur, unde accepimus ſtateram ponderandi hanc malitiæ gravitatem? O hominum ingenia!

XI. Verum, ut quæ ſupra expoſui, luculentius confirmem, illos ipſos judices appello, qui etſi benignioris Ethices patroni exiſtimentur, hodierna tamen Theatra, quæ turpia & obſcœna eſſe demonſtratum aperte eſt, deteſtantur, & tam actores, quam inſpectores damnant peccati mortalis. Paulus Comitolus præſtantiſſimus Soc. Jeſu Theologus *lib.* 5. *q.* 11. doctrinam Patrum, & Theologorum, ſeu univerſam & perpetuam Eccleſiæ traditionem in medium adducit his verbis. „ *Quinque vis oſtendimus tum eos* „ *qui agunt, tum qui audiunt impudicas* „ *comœdias*, culpam lethalem non effu„ gere. *Prima eſt ſacrarum ſanctionum*, „ *& legum civilium &c.* . . . . *Secunda* „ *eſt Sanctorum Doctorum, & antiquiſſi*„ *morum Scriptorum, qui in noſtræ Reli*„ *gionis defenſione floruerunt &c. Tertia* „ *eſt principum Theologorum, atque eo*„ *rum, qui de Chriſtiani officii rationibus* „ *libros ediderunt: cum Patribus Theolo*„ *gi, Summarumque Scriptores mire con*„ *ſentiunt &c.* . . . . . *Quarta eſt via* „ *argumentorum e principiis moralis Phi*„ *loſophiæ & Theologiæ erutorum. Et pri*„ *mum quidem probandum eſt crimen ſibi* „ *facere, qui cum turpitudine, & obſcœ*„ *nitate agunt comœdias: deinde eos, qui* „ *ad eos audiendos adeunt. Contra primos* „ *hæ ſunt argumentationes.*

„ 1. *Seipſum & alios ea virtute priva*-

„ *re*,

„ re, ſine qua nulli datur æterna a Deo „ ſalus, ſcelus eſt ingens: charitatem enim „ id extinguit. Sed cordis munditia, ſine „ qua nemo videbit Deum, ſponte ſe „ & ad alios privat, qui palam in ob„ ſcœnarum rerum imitatione verſantur. „ Quare &c.

„ 2. Nimium ſcelerate agit, qui fun„ damenta civitatum, & rerum publica„ rum, quæ ſapienter inſtituta ſunt, ever„ tit. Id iſti nebulones moliuntur, cum „ pudorem, & modeſtiam, temperantiam, „ pudicitiam e civitatibus exterminant: „ ergo &c.

„ 3. Quicumque impedimento pueris „ ſunt, quominus ad honeſtatem ſplendo„ remque civilem inſtituantur, graviſſime „ peccant. Id agunt impurarum comœ„ diarum impuriſſimi Actores. Igitur &c.“ Quinque aliis argumentis, quæ brevitatis gratia prætereo, ſuam confirmat propoſitionem.

1. „ Proximum eſt, ut in ſpectatores „ argumentorum aculeos convertamus. Sit „ igitur prima ratio. Exitialis flagitii „ cauſam afferre exitiale eſt: ſed ſpectato„ res ſuo acceſſu, & præſentia cauſam af„ ferunt ſcenicis illa turpia imitandi, & „ agendi. Igitur &c.

2. „ Hiſtrionibus ex eo genere pecu„ nias largiri immane vitium eſt ex S. „ Auguſtino . . . . . Ergo, cum id fa„ ciant, qui ad ſcenam properant, in „ vitio ſunt immani, quaſi diabolo im„ molantes.

3. „ E culpa lethali voluptatem capere, „ ſeu ex ea re, quæ non eſt ſine culpa „ lethali, lethale eſt crimen. Sed qui in„ terſunt comœdiis obſcœnis, voluptatem „ hauriunt ex actione hiſtrionum, quæ il„ lis criminoſa eſt. Ergo eodem ſpectato„ res crimine inficiuntur.

4. „ Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores, ſa„ cræ Theologiæ Migiſtri de ſpectatorum „ peccato, ut nos ſentiunt. Ergo nos ſecus „ credere, & opinari fas non eſt.“ SS. Patrum, & Theologorum Traditionem a Comitolo ſcite aſſertam non deſerit P. Thomas Sanchez inquiens lib. 9. diſp. 46. num. 42. „ Componentes, aut repræ„ ſentantes comœdias, quæ res valde tur„ pes ad venerem excitantes continent, „ peccant mortaliter, quia ſunt multis cauſa ruinæ, additque, id verum eſſe, li„ cet componens vel repræſentans id non „ intendat, quia ex ſe præbet ſufficientem „ ruinæ cauſam.

XI. P. Reginaldus lib. 22. cap. 1. ſec. 4. „ Peccatum mortale eſt comœdiis in„ tereſſe, in quibus res turpes repræſen„ tantur, aut modus repræſentandi eſt „ turpis.

XII. Marcellus Megalius in Epitom. Inſtit. pag. 166. n. 16. „ Mortaliter peccat, „ qui in comœdiis, aut alibi verba dixe„ rit ad laſciviam, & fornicationem in„ citantia, licet ludicre, & tantum ad „ animi relaxationem. Mortalis etiam „ criminis rei ſunt, qui voluntarie ea „ audiant quamvis ea audiant abſque ſen„ ſuali delectatione, & tantum animi „ gratia.

XIII. Gabriel Biel, qui tamen laxis Caſuiſtis non eſt accenſendus, in 4. Diſt. 15. q. 13. ar. 3. dub. 3. hæc docet. „ Quiſquis „ delectatur in peccato mortali peccat mor„ taliter, præſertim in illis quæ ſunt ma„ la, non quia prohibita, ſed quia eſſen„ tialiter includunt turpitudinem, quales „ omnino ſunt comœdiæ noſtri temporis „ ex Apoſt. ad Rom. 1. non ſolum facien„ tes, ſed & facientibus conſentientes di„ gni ſunt morte.

XIV. Alios nunc recenſere tranſmitto, quia infra, ut dixi, plurimos alios allegabo, ut oppignoratam diſputationis initio fidem liberem, me ſcilicet communem Patrum, Theologorum, & Caſuiſtarum, atque adeo Eccleſiæ doctrinam propugnare,

CAPUT XIV.

R. P. Pauli Segneri piiſſimi Soc. Jeſu Profeſſoris auctoritate Theatra, & Commœdiæ obſcœnæ improbantur.

EO in dies furentius ſævit adverſus ſanctiſſimam Jeſu Chriſti Moralem perſecutio, ut ſi quæ elapſo ſæculo cadente e ſuggeſtu liberrime prædicabantur, hac tempeſtate noſtra eadem e Cathedra Evangelica inculcarentur, quæ murmura, quæ ſatyræ, quæ improperia adverſus Concionatorem per plurimorum ora non reſonarent? Ego ſane prædicare nunc vix auderem, quæ proximo cadente ſæculo P. Paulus Segneri præſtantiſſimus Jeſuita in Theatrorum ſpectatores apoſtolica libertate protulit, quin in me

me multa, & ingentia concitarem mala. Quare ut cauſæ meæ præſidium aſciſcam, hujuſce celeberrimi Jeſuitæ, qui in Rigoriſmi ſuſpicionem venire haud poteſt, cum tres Epiſtolas, ut propugnaret Probabiliſmum, ſcriptis commendaverit, auctoritatem advocare operæ pretium exiſtimavi. Erunt fortaſſe, qui dicturi ſint, Concionatorum, quorum munus uberrimo fructu exercuit *P. Segneri*, morem plus juſto res ſuas exaggerare. Si quis ex Apoſtolicis miniſtris id præſtet, tanto indignus munere eſt. Teterrima nota iſthæc inuri ſine temeritate haud poteſt operi P. Segneri, inſcripto: *Criſtiano Iſtruito*. Quod Opus cum ſit ex Scripturarum, & Patrum, & præſertim S. Thomæ doctrina conflatum, viris doctis ſummo ſemper in pretio fuit, eritque. Pauca itaque ex hoc opere adverſus comœdias, & theatra excerpere mihi lubet.

§. UNICUS.

Specimen eorum, quæ P. Paulus Segneri in ſuo Criſtiano Iſtruito *docet 3. part. ſerm.* 31.

I. IN ipſo Sermonis exordio hæc n. 1. pag. 293. ſcribit: *Laſciato il tutto, „ voglio appigliarmi a quel ſolo, che mi „ porge S. Maſſimo con riferire un coſtu- „ me degli antichi Criſtiani, ed era il „ ſeguente, di collocare . . . . . inſieme „ cogli Energumeni, que' Fedeli, che ſi „ foſſero preſa la libertà di frequentare „ gli ſpettacoli Teatrali.* Spectaculorum „ ſtudioſos. *E perchè ciò? Non per al- „ tro, cred' io, che per darci a divedere „ che gli Spettatori delle Rappreſentazio- „ ni profane ſono altrettanti Indemoniati, „ nò nel corpo, che ſarebbe ciò minor ma- „ le, ma nello ſpirito. E queſto è quel- „ lo, di che mi voglio io valere per met- „ tervi in abbominazione le commedie „ ſcorrette. Voglio rendervi ragione del co- „ ſtume dianzi accennato; moſtrandovi, „ che queſta qualità di Teatri ſono ri- „ cetto pubblico de' Demonj: che i Reci- „ tanti ſono tanti Maghi delle coſcienze: „ che gli Aſcoltatori ſono tanti Malefi- „ ciati nell' anima: ſicchè finalmente quei, „ che pajono trattenimenti da burla; ſono „ vere* malìe *della volontà affatturata* &c.

II. Quæ latine reddo, ſenſu, non littera, ſervato. *Priſcorum Chriſtianorum mos erat, ut refert S. Maximus, ſimul cum Energumenis collocandi fideles, qui Theatralia ſpectacula frequentabant. Eccur hoc? Non ob aliam cauſam, ut mea fert opinio, niſi ut hinc intelligeremus, Spectatores Repræſentationum profanarum totidem eſſe dæmoniis actos, non corpore, ſed ſpiritu. Et hoc eſt, quo utar documento, ut vobis abominatione dignas exhibeam Comœdias obſcœnas. Vetuſti indicati moris rationem reddam, oſtendens iſtiuſmodi Theatra publicum eſſe dæmoniorum receptaculum: Mimos, totidem Conſcientiarum veneficos: Auditores, totidem maleficio affectos quo ad animam; ita ut tandem ſolatia illa, quæ videntur jocoſa, vera faſcinatæ voluntatis ſint veneficia.*

III. Hæc in exordio. Antequam vero cauſam ingrediatur, Comœdiarum, quas improbandas ſuſcipit, enucleate perhibet notionem his verbis: „ *A parlar chiaro, „ condanno quelle Commedie, che o di lo- „ ro natura, o per accidente muovono chi „ le aſcolta a mal fare. Di loro natura „ ſono tutte quelle, che in sè contengono „ o* l' argomento oſceno, o parole im- „ modeſte, *o propoſizioni irreligioſe, o „ rappreſentazioni di fatti ſconci: e tali „ poſſono dirſi per accidente quelle, che „ eſſendo di ſoggetto per altro non contra- „ rio ai buoni coſtumi, ſono infettate tut- „ tavia dal meſcolamento d' intermedj, „ che ſi chiamano lieti, ma ſono laidi, „ o dalla comparſa di donne ornate laſciva- „ mente, che recitando vi deſtano colla „ loro preſenza, e col loro parlare affetti „ troppo nocevoli all' oneſtà. Queſta qua- „ lità di Opere pur troppo comuni a' „ Teatri Moderni, quanto già ſi foſſe „ agli antichi, prendo io a ferire nell' „ odierno ragionamento, pronunciando che „ rieſcono una* malìa tremendiſſima, *in „ virtù di cui gli Uditori rimangono* brut- „ tamente maleficiati, *cioè poſſeduti nell' „ anima da uno ſpirito maledetto d'Infer- „ no con forza ſtrana.*

IV. *Ut perſpicuum argumentum exponam, illas damno Comœdias, quæ aut natura ſua, aut per accidens commovent Auditores ad malum. Tales natura ſua illæ ſunt, quæ in ſe continent aut argumentum obſcœnum* (ut eſt res amatoria con-

concupiſcentiæ promovendæ apta) *aut verba immodeſta , aut propoſitiones irreligioſæ , aut turpium actionum repræſentationes. Per accidens vero dici tales poſſunt, quæ cum argumento alioquin bonis moribus non oppoſito conſtent , inquinatæ nihilominus ſunt actibus intermediis , qui jucundi vocantur , ſed turpes ſunt ex apparitione feminarum , quæ laſcive ornatæ recitantes , ſua præſentia ſuaque loquela affectus nimium honeſtati noxios excitant. Hanc actionum Theatralium qualitatem nimis quidem hodiernis Theatris communem, non ſecus ac antiquis, laceſſere præſenti ſermone aggredior , decernoque, Comœdias iſtas veneficium eſſe animarum tremendiſſimum , vi cujus ſpectatores maleficio turpiter inquinati remanent ; nempe illorum animæ obſeſſæ a maledicto inferorum ſpiritu immani tyrannide vexantur .*

V. Hoc eſt argumentum , ſeu propoſitio , quam demonſtrandam aſſumit in ſua Oratione *P. Segneri* , eamque luculentiſſimis rationibus evincit. Et primum §. 1. n. 2. hæc habet : „ *A tre capi ſi* „ *riduce ogni ſpecie di maleficio . A ma-* „ *leficio amatorio, a maleficio oſtile, e a* „ *maleficio ſonnifero. Tali ſono le tre te-* „ *ſte rabioſe di queſto Cerbero . Il primo* „ *dunque maleficio è amatorio, per cui il* „ *Demonio eccita verſo alcuno un affetto* „ *sì inſopportabile, che è piuttoſto un fu-* „ *rore. . . . . I Commedianti mentre rap-* „ *preſentano amori finti ſu le ſcene, fan-* „ *no con eſſi piaghe vere nelle anime .* „ Amorem dum fingit , infligit. *Quella* „ *parola* infligo *è un termine che ci mo-* „ *ſtra non ſolo il ferire, ma il ferire al-* „ *tamente, come appunto ſuccede nel ca-* „ *ſo noſtro. Imperciocchè fra tutte le paſ-* „ *ſioni del noſtro cuore non ve n' è altra* „ *più da temerſi , che queſta . . . . Ora* „ *una tal fiera, a cui converebbe rinfor-* „ *zar ſemper più le catene ne i ſerragli ,* „ *viene poſta in libertà dalle Commedie* „ *oſcene, per abilitarla alle ſtragi . Non* „ *ſi parla ſul palco di altro ſoggetto ,* „ *che di amore : non ſi odono altri trattati,* „ *non s' intrigano dal principio , e non* „ *ſi diſciolgono altre maniere di gruppi* „ &c.

„ *Hanno poi gl' Iſtrioni due gran van-* „ *taggi nel perſuadere alla gioventù que-* „ *ſta libertà sì nocevole dianzi detta : e* „ *ſono que' ſuggetti, in cui rappreſenta-* „ *no tali Amori, e quelli di cui ſi va-* „ *gliono principalmente a rappreſentarli .* „ *I ſuggetti , in cui rappreſentano tali* „ *amori, ſono comunemente perſone illu-* „ *ſtri , Guerrieri , Paladini , Principi ,* „ *Regi : e queſti ſi fingono impazzi-* „ *ti dietro ad una viliſſima femminuc-* „ *cia* &c.

„ *L' altra vantaggio diabolico affine di* „ *perſuadere più efficacemente queſta me-* „ *deſima libertà negli amori, è il fargli* „ *rappreſentare pur troppo al vivo dalle* „ *donne medeſime aſceſe in palco : le* „ *quali, perchè non di rado una tal feb-* „ *bre è continua, non dubitate , che non* „ *ne ſappiano bene eſprimere in atto tutti* „ *i ſintomi agli occhi de' riguardanti. . . .* „ Quid non poteſt ſuadere qui talis eſt*?* „ *Non vuole S. Paolo che le donne predichi-* „ *no nelle Chieſe , per quel pericolo , che* „ *ſi corre in udirle , come interpreta S.* „ *Anſelmo. Ora ſe non può tollerarſi tra* „ *i Criſtiani , che una femmina parli in* „ *Pergamo dell' amore divino : come do-* „ *vrà tollerarſi, che parli in palco d' a-* „ *mor profano ? Parli alla Gioventù tan-* „ *to diſpoſta a concepire fiamme d' impu-* „ *dicia? Parli tutta ornata dal capo fino* „ *alle ſcarpe di mille gale inventate dal-* „ *la laſcivia ? Parli con facezie , con* „ *fraſi, con geſti da non ſoffrirſi nè pure* „ *tra barbari più sfrontati , ſenza vergo-* „ *gna ? E perchè diſſi , parli ? e parli ,* „ *e canti a piacere. Dice S. Cipriano, che* „ *torna più conto udire un Baſiliſco , il* „ *qual ſibili , che una donna , la qual* „ *canti*. Cujus cantu tolerabilius eſt au- „ dire Baſiliſcum ſibilantem . *S. Girola-* „ *mo ci fa ſapere, che ſi trova tra gli* „ *altri una razza di Diavoli , i quali* „ *hanno per officio di fomentare gl' inna-* „ *moramenti, gl' invaghimenti , e le can-* „ *zonette d' amore* . Amoribus , & ama- „ toriis canticis ſervientes. *E queſti Dia-* „ *voli conviene che ſieno i primi ad aſſi-* „ *ſtere a quei Teatri, dove cantano que-* „ *ſte Sirene loro diſcepole , affin di det-* „ *tare ad eſſe non meno le note , che le* „ *parole. Eſſi fan sì , che vi ſiano chia-* „ *mate fin da lontani paeſi , ſalariate ,* „ *ſpeſate , e che eſſe vi ſiano aſcoltate* „ *da ſomma calca di gente con più at-* „ *tenzione di quella , che nelle Chieſe* „ *mai porgaſi agli Evangeli. Si dice poi* „ *per faſciar queſta piaga sì puzzolente* „ *con qualche ſcuſa, ſi dice, che ſi com-*

„ *pongono, e cantano amori oneſti. Foſſe*
„ *pur vera la ſcuſa. Ma quando foſſe an-*
„ *che vera, non è baſtevole. Imperciocc-*
„ *chè pare a voi ſieno argomento propor-*
„ *zionato alla lingua di una femmina,*
„ *ed alla pubblicità di un Teatro? Con-*
„ *ta Plutarco, che Catone diſcacciò dal*
„ *Senato un tal Mallio, per avere ardito*
„ *di baciare la propria moglie in preſen-*
„ *za della figliuola. Non dunque ciò che*
„ *è oneſto in tal genere, può eſporſi agli*
„ *occhi di tutti. Io tengo per coſtantiſſi-*
„ *mo, che quel Conſole ſaggio, benchè*
„ *Gentile, avrebbe sbandito non dalla*
„ *Città, ma dal mondo quelle femmine*
„ *audaci, che sù i pubblici palchi con*
„ *uno ſtromento in mano ſi fingono ſpa-*
„ *ſimare, e ſvenire per l' anſia, che han-*
„ *no del loro giovine ſpoſo, quaſi d' un*
„ *Nume, che le cali a beare giù dalle*
„ *ſtelle. Mirate ſe ciò non è un fingerſi*
„ *affatturate di quel maleficio amatorio,*
„ *che ſi dicea, per affatturare eſſe gli*
„ *altri* &c.

VI. *Triplex Maleficii genus. Maleficium amatorium, maleficium hoſtile, maleficium ſomniferum. Ejuſmodi ſunt iſtius Cerberi tria rabida Capita. Primum itaque maleficium eſt amatorium, quo Dæmon accendit amorem erga aliquem adeo vehementem, ut furor potius videatur, quam amor . . . . Hiſtriones dum in ſcena fictos amores referunt, vulnera vera infligunt.* Amorem dum fingit, infligit. *Hæc vox* infligo, *non modo vulnus, ſed profundum vulnus indicat, ut in caſu noſtro evenit. Quoniam inter omnes animi motus cupido adeo effrenata eſt, ut Philoſophorum præſtantiores eam phreneſis loco habeant. Hæc autem fera, quæ cohiberi ſemper vinculis fortioribus intra ſua ſepta deberet, libertate in Comœdiis obſcœnis donatur, ut ſit ad ſtragem fortior. Non aliud in Theatro argumentum, & ſermo, quam amoris. Huc a principio ad finem machinationis, ſtudia, tractatus diriguntur.*

Aptiſſimi porro Hiſtriones ſunt ad hanc pernicioſam amoris licentiam juventuti ſuadendam, tum ob homines amatores, quos repræſentant, tum ob feminas, quarum ope utuntur ad hunc inſtillandum amorem. Hac cupidinis lue tactos effingunt illuſtres milites, Palatinos, Principes, Reges, quos viliſſimæ femellæ impotenti affectu captos, & phreneticos mirifice depingunt.

Præterea validius, atque fortunatius hoc amoris commercium promovent hiſtriones, quod mulierem miniſterio vividius delicatiuſque illud exerceri curant. Quis non agnoſcit vim efficaciſſimam, qua pollent ſirenes iſtæ, quibus cupidinis febris familiaris eſt ad exprimendas flammas, impetus, languores, dulcedines, aliaſque iſtius affectus inſidias, eaſque adſtantium oculis animiſque infligendas? Quid non poteſt ſuadere qui talis eſt? Prohibet S. Paulus, ne mulieres concionentur in Eccleſia propter periculum, cui ſubjacent Auditores, ut interpretatur S. Anſelmus. Porro ſi apud Chriſtianos permiſſum non eſt feminam e pulpito de divino amore loqui: qua tolerari ratione poterit, ut femina e ſcena amoris profani cauſam peroret? Peroret ad juventutem inflammandam, cum natura ſua adeo prona ſit ad impudicas ſcintillas concipiendas? Peroret, omni a capite ad calceos pomparum apparatu a laſcivia excogitato phalerata? Peroret facetiis, argutiis, geſtibus non ferendis ſine pudore inter efferatiores barbaros ipſos? Sed quid dixi, peroret? Immo pro libito loquatur, & canat. S. Cyprianus ait minus malum eſſe baſiliſcum audire, qui ſibilet, quam feminam, quæ canat. Cujus cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem . . . . *S. Hieronymus nos edocet Dæmonum genus reperiri, quorum munus eſt fovere cantiones amatorias, & amatorculas ſuccendere.* Amoribus & amatoriis canticis ſervientes. *Diaboli iſti primi ſint oportet, qui Theatris aſſiſtunt, in quibus cantitant ſirenes iſtæ, eorumdem diſcipulæ, ut iiſdem dictent non minus notas, quam verba. Ipſi Diaboli curant, ut e longinquis regionibus vocentur, alantur, mercede conducantur, atque ab ingenti populi affluentia, majori attentione, quam Evangelium in Eccleſia, audiantur. Et ut tam putidum vulnus aliquo obtegatur prætextu, dicitur eas honeſtos amores canere. Utinam vera excuſatio eſſet! Sed etiamſi vera foret, non ſufficeret. Numquid vel ipſos honeſtos amores canere e publico Theatro mulieri convenit? Narrat Plutarchus, Catonem e Senatu expuliſſe quemdam Mallium, quod coram filia propriam uxorem oſculari auſus fuiſſet. Non ergo vel ipſa res honeſta omnium oculis, & auribus exponenda eſt. Profecto ſapiens ille Conſul, quantumvis ethnicus, non e Civitate, ſed ex univerſo mundo in*

exi-

exilium egiſſet feminas illas audaces, quæ e publicis Theatris inſtrumentum manu tenentes effingunt, ſe cupidine deperire ob anxietudinem ſponſi ſui, veluti Numinis, quod e Cælo deſcendat ad illas beandas.

VII. „ L' altra ſpecie di Maleficio è „ detta maleficio oſtile, e per eſſa ſi fanno „ sì vaſti eccidj, che un uomo ſolo „ per nome Elzanà nello ſpazio di due „ anni ſi riferiſce aver uccife più d' ottocento „ perſone co' ſuoi incanteſimi. „ Tuttavia non ſi credano gli Stregoni „ di ſuperare le ſtragi degl' Iſtrioni „ nè pur nel numero, come non le ſuperano „ nella ferocità: eſſendo le ſtragi „ di queſti, ſtragi di anime, là dove „ le loro ſono ſtragi di corpi, che toſto, „ o tardi pur hanno un giorno a morire. „ Per dir qualche coſa di una materia „ sì vaſta, tanto che ſi raccolga „ almeno in confuſo il numero degli uccisi, „ poſſiamo affermare, che fra le „ infinite occaſioni pericoloſe, da cui gli „ uomini ſono incitati a peccare, non „ ve n' è altra, la quale provegga di sì „ grandi arme tutti i noſtri Avverſarj, „ come le Commedie ſcorrette. Sapete, „ che tre nemici abbiamo terribiliſſimi, „ e ſono il Mondo, la Carne, e il Demonio „ . . . . Ora queſto Mondo tanto „ oppoſto alla divina ſapienza, donde „ riceve maggiori ſoccorſi per mantenere „ la ribellione da lui tuttor profeſſata „ alla verità, che dagli aſſiomi, e „ dalle azioni de' Comici? S' introduce „ preſentemente ſu i Palchi chi con inganno, „ con iniquità, con perfidia, anzi „ con ſacrileghi incanti ſi fa la ſtrada „ da ora a regnare, ora a vendicarſi, „ ora a vincere, e con proſpera ſorte ſi „ vede tuttavia giunto, dove aſpirò sì „ malignamente. Si rappreſenta un giovane, „ che con ingegnoſe ſtratagemme „ delude la cuſtodia di un marito geloſo. „ Si eſpone un lenone infame, che „ con danari compera ad altri l' oneſtà „ di una Vergine. Si fa contemplar un „ duello, come ſpettacolo degno di riputazione, „ di rimembranza: e ſi alza „ un Trofeo ad un' azione proibita dalla „ legge Divina con tanta ſeverità, e „ fulminata con tante maledizioni dalle „ Eccleſiaſtiche. Si avviliſce come ſemplicità „ la continenza Criſtiana: ſi ammira „ come ſavizza una politica empia: „ ſi ſcredita l' Evangelio, ſi deride la fede, „ ſi deifica la fortuna, ſi ſtabiliſcono „ quelle maſſime, che ſervono di baſe „ all' Ateiſmo. Ed ora con equivocazioni „ diſoneſte, ora con ereticali amfibologie „ ſi dipinge la virtù per vizio, „ aſcrivendo il tutto al caſo, e togliendo „ di mano della Providenza le redini „ del governo, per metterle in mano „ al fato. Queſte ſono le operazioni, „ queſti i ſenſi, queſti i ſucceſſi, „ che coſtituiſcono buona parte delle „ pubbliche azioni: e però in qual altra „ occaſione rieſce mai meglio al Mondo „ di ſtabilire i ſuoi dogmi, che in „ queſta delle Commedie, dove ſi applaude „ ſui palchi a que' Documenti, „ che ſe ſi proferiſſero in piana terra, „ ſarebbero materia giuſta di un gran „ proceſſo . . . . Nè vale opporre, che „ tali errori ſulle ſcene ſi fingono, non „ ſi credono; perchè non però laſcia il „ Mondo di cogliere il ſuo vantaggio, „ mentre s' introducono a favellare perſone, „ che gli portano come ſe li credeſſero, „ e ne hanno gloria ec.

„ Più pericoloſamente però ci oppugna „ la carne, che è l' altro noſtro nimico, „ mentre che queſta ci combatte „ di dentro con domeſtica ſedizione, „ ed arma noi medeſimi contro noi. „ Ciò ch' ella ottiene con invogliarci „ ſempre più di nuovi piaceri, ſicchè „ il cibo di una brama appagata ſia fame „ all' altra. Ora in queſto medeſimo „ tradimento da neſſun altro paſſatempo „ mondano riceve ella maggior „ ſoccorſo, che dalle commedie oſcene. „ Prima, perchè nelle altre occaſioni „ ella fa lega ſolo con qualcheduno dei „ noſtri ſenſi; ma nel Teatro ella ſi „ collega con tutti. *Alia crimina ſingulas ſibi vindicant portiones*, dice il Santo „ Veſcovo Salviano. Gli altri divertimenti, „ benchè cattivi, ſi contentano „ di una parte di noi. Qual vizia la „ fantaſia, quale gli occhi, quale gli „ orecchi, e così degli altri: ond' è, „ che ſe un ſenſo pecca per eſſi, l' altro „ frattanto può ſtare ſenza peccato. „ Ne' Teatri non è così. *In Theatris vero nihil horum reatu vacat, quia & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur.* „ Ne' Teatri la ſtrage è univerſaliſſima, nè „ vi rimane in noi alcuna potenza, che „ vada eſente di colpa: ciò che rieſce sì

 „ ma-

„ manifeſto, che ſi fè vedere ſino nel „ bujo dell' infedeltà: onde Seneca giunſe a dire, che per guaſtare interamente i coſtumi, non v' era più poſſente „ incanteſimo degli Spettacoli, i quali col dolce del piacere inſinuavano „ da qualunque banda ogni vizio nel „ cuore. *Nihil tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere; tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt*. Epiſt. 7. &c.

„ Finalmente il noſtro terzo nemico „ che ſupera tutti gli altri, ſe non nell' „ atto, almanco nella brama del nuocere, è il Demonio. Ora queſti da' Palchi pubblici, e da' Teatri cava tanto „ di rendita, che gli tiene per ſuoi. „ Udite ciò che racconta gravemente „ Tertulliano, affine di ſpaventare i fedeli da sì pernicioſo trattenimento. „ Una certa Signora, benchè Criſtiana, „ pure amica più del piacere, che della „ Croce, ſi laſciò tirare dalla curioſità „ ad andare al Teatro .... Entratole „ addoſſo il Diavolo cominciò a tormentarla con gran fierezza, finchè condotta avanti ad un Eſorciſta, inteſe la vera cagion del proprio male. Come „ (diſſe l' Eſorciſta gridando quello ſpirito immondo) come ardiſti tu d' invadere le membra di una donna Criſtiana, che in virtù del Batteſimo è „ divenuta tempio dello Spirito Santo? „ *Quomodo auſus es fidelem aggredi?* Ma „ ecco la riſpoſta: L' ho fatto ſecondo „ ogni termine di giuſtizia: concioſſiachè non ſono io Padrone, diſſe il Demonio, di prendere quella fiera, che „ ſta nelle mie bandite? *In meo eam inveni*: concludendo, che le ſcene ſieno „ una tenuta propriiſſima dell'Inferno... „ Però mirate, come le rappreſentazioni impudiche gli giovino a queſto fine, piucchè alcun' altra delle ſue invenzioni maeſtre; aprendo egli ne' „ Teatri *una pubblica ſcuola per inſegnare a peccare* con penſieri, con parole, e con opere. Diſſe S. Giovanni „ Griſoſtomo, che i Teatri ſono *adulterii meditatio*, *turpitudinis exhortatio*, „ *inhoneſtatis exempla*.

„ Ed in prima vi s' inſegna a peccar „ col penſiero. *Adulterii meditatio*. Gli „ occhi ſono a noi più diletti fra tutti i „ ſenſi, più diletti al Demonio, il quale non può negarſi, che ſi vaglia di „ eſſi a noſtra rovina in diverſe guiſe. „ Se ne vale con darci a leggere libri „ oſceni .... Se ne vale con darci a „ contemplare pitture laſcive .... Se „ ne vale con farci incontrar delle femmine or troppo ornate, or malamente coperte ... *Con tutto ciò non rieſcono gli occhi noſtri al Demonio più adattati al ſuo fine, che ne' Teatri, dove i libri ſono vivi, le pitture ſono vocali, la viſta è congiunta alle parole, le parole ſono animate da geſti, da applauſi, da cetre, da canti, da ſinfonie ec.* ... Ripiglia S. Giovanni Griſoſtomo: Ti parti via dal Teatro, „ ed ecco ſi ricomincia nella tua memoria un' altra azione, tanto per te „ peggiore, quanto più intima. *Quæ ſpectaſti, ad memoriam redeunt*. Ricorrono alla mente i motti impuri, „ che udiſti, le facezie, le formole, i „ geſti audaci, e tu a te ſteſſo divieni e „ Teatro portatile, e Recitante, e Scena, e Palco, e Spettatore, e Soggetto, e ciò che tu vuoi ec.

VIII. *Aliud Maleficium hoſtile nuncupatur, quod tot excidia parit, ut unus vir nomine Elzana duorum annorum ſpatio, ut fertur, pluſquam octingentos homines ſuis incantationibus peremerit. Nihilo ſecius non ſibi perſuadeant Incantatores, ſe Hiſtrionum ſtragem excedere, ne numero quidem, ſicuti nec ipſa atrocitate; cum iſti animas, non corpora, quæ aut cito, aut ſero occumbere tandem certe debent, occidant. Ut aliquid ex materia adeo vaſta delibem, unde confuſe ſaltem occiſorum numerus colligatur, aſſerere poſſumus, inter infinitas periculorum occaſiones, quibus homines ad peccandum impelluntur, nullam occurrere, quæ arma adeo valida adverſariis noſtris porrigat, ac comœdias turpes. Neminem latet, tres nos habere terribiliſſimos hoſtes; Mundum, Carnem, & Dæmonem ... Mundus autem divinæ ſapientiæ contrarius, unde validiora arma recepit, quibus rebellionem adverſus veritatem, quam continenter inſectatur, foveat, quam a Mimorum præſtigiis? Hodie in ſcenam inducitur, qui fraude, iniquitate, perfidia, immo ſacrilegis incantationibus viam ſibi ad Regnum, ad vindictam, ad victoriam parat: & proſpera ſorte eo perveniſſe conſpicitur, quo anhelabat. Repræſentatur juvenis, qui arte verſuta zelotypi mariti*

vigi-

vigilantiam deludit. Infamis leno depingitur, qui virginis honeſtatem pecunia aliis emit. Duellum contemplandum proponitur, memoria, & exiſtimatione dignum. Extollitur actio, tum Divina, tum Eccleſiaſtica lege tanta ſeveritate, & tot maledictis improbata: ut fatuitas deprimitur continentia Chriſtiana: ſuſpicitur ut ſapientia, impia aſtutia: infamatur Evangelium, deridetur fides, in Deam erigitur fortuna: & illa effata firmantur, quæ baſes formant Atheiſmi: & nunc argutiis inhoneſtis, nunc hæreticalibus amphibologiis virtus pro vitio depingitur. Caſui omnia adſcribuntur, & Divinæ Providentiæ regimine adempto, illud Fato tribuitur. Ejuſmodi ſunt operationes, ſenſa, & eventa, quæ magnam comœdiarum partem conſtant. Propterea ubinam Mundus ſolidius ſua confirmat dogmata, quam in comœdiis, ubi e ſuggeſtu illis dogmatis plauditur, quæ, ſi alibi pronunciarentur, graviſſimæ cenſuræ obnoxia forent ... Non eſt, quod opponas, in ſcena fingi, non credi iſtiuſmodi errores, quoniam non parum hinc emolumenti Mundus adipiſcitur, cum Hiſtriones ita eoſdem pronunciant, ac ſi illos crederent, plaudentibus auditoribus.

Periculoſius vero nos Caro, alter hoſtis noſter, inſectatur domeſtica ſeditione, noſque contra nos armat. Idque aſſequitur; dum ita in nobis voluptatis famem acuit, ut ſaturatio unius appetitionis, ſit alterius fames. In hac autem proditione a nullo alio mundano ſolatio tot caro arma eruit, quot ab obſcœnis comœdiis. Quandoquidem in aliis occaſionibus cum aliquo dumtaxat noſtro ſenſu fœdus init, at in Theatro omnes ſibi devincit. Alia crimina ſingulas ſibi in nobis vindicant portiones, *inquit lib. 6. Salvianus. Cetera ſolatia, tametſi prava, unicum ſenſum adoriuntur. Illud inquinat phantaſiam, hoc aures, aliud oculos inficit, & ſic de aliis: ita ut ſi unus ſenſus peccat, alter continere ſe a peccato queat. In Theatris vero nullus ſenſus reatu vacat, quia, & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur. In Theatris ſtrages univerſaliſſima eſt: nulla ibi facultas noſtra culpæ expers evadit, idque adeo eſt luculentum, ut vel ipſas inter infidelitatis tenebras fuerit cognitum. Quamobrem Seneca Ep. 7. pronunciavit, ad corrumpendos penitus mores nullum eſſe veneficium efficacius ſpectaculis, quæ voluptatis dulcedine omni ex parte vitium in cor humanum immittunt.* Nihil tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere: tum enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt &c.

Tandem tertius hoſtis noſter ferocior ceteris ſin opere, ſaltem deſiderio, Dæmon eſt. Theatra, & ſcenas ut fundos ſuos habet, unde ingentes colligit proventus. Audi, quod Tertullianus (de Spectacul. cap. 26.) *narrat, ut fideles a ſpectaculis arceat. Matrona quædam, quamvis Chriſtiana, tamen voluptatis magis, quam Crucis amatrix, curioſitate capta Theatrum adiit. Eam invadit Diabolus, & crudeli tyrannide torquet. Ad Exorciſtam ducta ſuæ calamitatis cauſam agnoſcit. Quomodo, clamat Exorciſta, immunde ſpiritus mulieris Chriſtianæ corpus, quod Baptiſmi virtute Spiritus Sancti templum eſt, aggredi auſus es? Juſtiſſime quidem, reponit ille, feci. Theatra enim, & ſcenæ fundi mei ſunt. In meo illam inveni. Conſtat itaque Comœdias uberrimos eſſe campos infernales, unde opulentiores reditus Dæmones colligunt. Hic gymnaſia publica aperiunt, ubi ad peccandum cogitatione, verbo, & opere ſpectatores docent. Quare merito Chryſoſtomus ait:* Theatra ſunt adulterii meditatio, turpitudinis exhortatio, inhoneſtatis exempla.

Et primo mens ad peccandum cogitatione inſtruitur. Adulterii meditatio. *Oculi ſunt nobis omnibus ſenſibus cariores. His, ut pote qui ſunt ad noſtram ſtragem aptiores, præſertim Dæmon utitur variis modis. Iiſdem utitur, cum nobis obſcœnos libros legendos aperit. Iiſdem utitur, cum laſcivas picturas nobis contemplandas exhibet. Iiſdem utitur, cum feminæ aut nimium ornatæ, aut minus tectæ obviam occurrunt. Nihilominus numquam oculi magis Dæmonis fini inſerviunt, quam in Theatris, ubi libri vivi ſunt, picturæ vocales, aſpectus cum verbis junctus, verbaque vivificantur geſtu, plauſus, cithara, cantu, ſymphonia. Diſcedis, inquit Chryſoſtomus, a Theatro; & continuo in mente tua ſcenæ reviviſcunt, tanto pernicioſiores, quanto intimiores. Per mentem recurrunt dicteria impudica, facetiæ, argutiæ, geſtus audaces; & tumetipſe tibi factus es Theatrum inambulans, mimus, & ſpectator, ſcena, & pulpitum, & quidquid vis &c.*

IX.

IX. „ Baſti però fin quì di queſto diſordine, e ſi concluda piuttoſto con „ Tertulliano, che le Commedie come „ rieſcono in pratica le inventrici di „ mille ſcelleratezze vergognoſe, così „ cambiano il Teatro in un *Tempio dedicato a tutti i Diavoli*, o almeno a „ tanti, quante ſono quelle perſone, „ che v'intervengono. *Tot illic immundi Spiritus conſident, quot homines capit. De Spectacul. c.* 12. E poſto ciò, „ nieghi ora chi può, che ſe i Commedianti proveggono delle armi più „ invitte i noſtri nimici, il Mondo, la „ Carne, il Demonio, non ſieno tanti „ *maliardi* delle anime, e che quei, „ che gli aſcoltano sì volentieri, non „ ſieno tanti ammaliati da collocarſi in „ Chieſa tra gli Energumeni. *Faſcinatio nugantium obſcurat bona*.

„ *Obſcurat bona* per dimoſtrare la terza ſpecie di faſcino, chiamato *Sonnifero*, per cui rimangono nel loro male addormentate le coſcienze, e quaſi „ adopiate . . . . Il ſonno è una certa „ immobilità, e un certo indormentimento del ſenſo. E tal è il ſonno di „ coſtoro riſpetto alla fede, che non „ opera, e agli ſpiriti proprj di una „ mente Criſtiana, che non ſi muovono . . . Ben ſi può dire di queſti *letargici affatturati*, che veggono coſe „ vane: *vident vana*: perchè trovano, „ e tengono per coſe vane certe ſcuſe „ del tutto frivole a diſcolparli. Poſſiamo ridurle a tre capi. Alcuni udendo „ frequentemente queſte Commedie ſcorrette ſcuſano sè: altri ſcuſano le „ Commedie: ed altri peggiori di tutti „ accuſano chi le biaſima.

„ I primi dunque di queſti amatori „ de' loro ſogni ſcuſano sè, affermando „ che ſebbene ſono aſſiduamente ne' „ Teatri, e odono quelle rappreſentazioni indegne d' eſſere udite; tuttavia „ non ne cavano mal veruno, ma ſe ne „ vagliono di traſtullo innocente . . . . „ Io credo, che chi parla così, ſia come un uccello addormentato ne' lacci . . . . S. Paolo, volendo nominar „ la concupiſcenza la chiamò legge: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* . . . . Ma „ perchè darle un tal nome? Io credo, „ che a ciò l'Apoſtolo ſi moveſſe da „ due ragioni. La prima: perchè la „ legge è ineſorabile, e non è come il „ Leggislatore, che può udir ſuppliche, „ e che può cambiar ſentenza. Ella è „ ſempre fiſſa ad un modo. Tale è la „ concupiſcenza. Non ſi ammolliſce, „ non ſi altera, ma ſempre ad una forma medeſima detta al ſenſo il procurare al poſſibile ogni piacere. L'altra „ ragione ſi fu, perchè la legge è univerſale, che ſtrigne tutti ugualmente „ quei, che ha ſoggetti, ſenza accettazione di perſone: e così la concupiſcenza intima a tutti i ſuoi comandamenti, benchè tirannici, ed egualmente aggrava tutti i ſuoi ſudditi. E „ però come mai coſtoro vantano una „ sì ſtrana eſenzione da una legge tanto „ crudele inſieme, e tanto comune, che „ facea gemere ſino l' iſteſſo Apoſtolo a „ contraddirle? E' poſſibile, ch' ell' abbia per loro ſoli depoſta ogni tirannia, ſicchè poſſano e vedere, e udire, e immaginarſi, e penſare, e parlare in materia tanto lubrica, e con „ l'impulſo sì degli eſempj eſteriori, sì „ degl' interiori mali abiti, ſenza cadere „ in errore? . . . I Santi non ſi tengono per ſicuri nepur nelle ſolitudini „ inacceſſibili, e provano con S. Girolamo fra' Deſerti le tempeſte, ed i turbini de' Teatri: e i peccatori daranſi „ a credere, e vorran dare a credere „ ancora ad altri, che in mezzo a i „ Teatri godono quella quiete, la qual „ ſi pena a trovar nella ſolitudine, e „ che ſan cambiarſi in un Diſerto le „ ſcene? *Nemo ad voluptatem venit ſine affectu*, dice Tertulliano, *& nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur*. E „ Salviano dice, che *in illis imaginibus fornicationum omnis plebs fornicatur. Et qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de Theatro adulteri revertuntur*. „ E da propoſizioni sì univerſali vogliono alcuni eſimere ſoli sè tanto facilmente? Si vede ben, che *ſognano ſenza modo*.

„ Se non che quando le Commedie „ ſono cattive, queſto è baſtevole a rendere cattivi voi, che andate ad udirle „ ſenza neceſſità, mercè quei peccati, „ cui per lo meno venite a preſtar fomento . . . Parlando l'Apoſtolo delle „ opere de' Gentili, diſſe, che *digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*.

„ E co-

„ E come dunque non rimaniam perſuaſi, che noi non ſolo ſiam tenuti a non le operare, ma a tenerci parimente lontani da quei, che le operano? Credete voi, che quei Commedianti sfacciati tornerebbono tutto dì ſulle ſcene a ſparlare peggio che mai, ſe mancaſſe loro il favore di quei, che vanno sì avidi ad aſcoltarli? *Qui laudant iſta dicentes, ipſi eis hæc exercere perſuadent*, dice S. Giovanni Griſoſtomo *Homil. 6. in Matt.* Nè ſtate a replicarmi, che tanto ſenza voi ſortirebbono aſcoltatori: perchè ciò non è ſcuſa valida. Primieramente non ritrovo, che i Santi abbiano fatta mai queſta diſtinzione di quei, che vanno i primi al Teatro, o di quei che vanno gli ultimi: ma ſempre hanno ripreſi tutti ad un modo quei, che vi vadano. Di poi ditemi: ſe una congiura ordinata a levare la vita al Principe, o ſe non altro a ſollevargli lo ſtato, a ſcemargli i ſudditi, foſſe già in termine di ſortire il ſuo effetto ſenza di voi, potete voi concorrere a favorirla con verun atto di benigna aſſiſtenza? Anzi avete tanto a tenervi da lei lontani, quanto amate di non eſſere annoverati tra quei felloni, che vi dan opera, come rei di leſa Maeſtà. Perchè però non volete che il ſimile ſia da dirſi nel caſo noſtro? Non ſo, ſe nella Chieſa riporti Criſto congiura ſimile a quella, che ſe gli ordiſce nel Teatro laſcivo. Ben ſognano quei, che ivi ſcuſano sè, quaſi di nulla rei, perchè non ſono i primi ad andarvi.

„ Ma non meno ſognano quegli, che ſcuſano le Commedie, cioè le COMMEDIE MODERNE. Ma mi ſi dica, che potean contenere di più pericoloſo, o anche di più pernicioſo le antiche tanto biaſimate da' Santi? Ciò, che i Santi riprendevano in quelle, o era l'argomento, o era il coſtume, o erano le comparſe. E tutte queſte tre parti non ſono al pari libere a i dì noſtri? Che diſſi al pari? Piaceſſe a Dio, che non ſieno più deteſtabili. Sapete voi quello che nuoce alla cauſa? E' il non poterſi da queſto luogo parlare con libertà. Nel rimanente che non vi direi di nefando vedutoſi a noſtri dì ne' Palchi Criſtiani? *Solæ ſunt Theatrorum impuritates, quæ honeſte non poſſunt vel accuſari* (*Tertull. de Spec. c.* 7.). Convien pertanto che baſtimi di affermarvi, ſe Tertulliano diede a' Teatri antichi nomi così obbrobrioſi, chiamandoli ora *Conciſtori dell' impudicitia*, ora *Sacrarj di Venere*, ora *Aſili di tutte le infamità*, NEPPUR UNO DI TALI TITOLI PUO' NEGARSI A QUE' TEATRI MODERNI, DI CUI RAGIONO.... *Ad aram luxuriæ in Theatris quaſi victimæ trucidantur*. E il non conoſcerſi queſte verità dal Popolo Criſtiano non è argomento di *letargo malefico*, che l'opprime? E il voler difendere tali abuſi *con ragioni audaci*, ed *aſſurde* non è ſognare? E il preſtar credito a sì ſtravolte ragioni non è amare anche i ſogni, come ſe foſſero verità rivelate?

„ Che diremo poi di coloro, che non ſolo ſcuſano sè, ſcuſano le Commedie; ma accuſano di vantaggio chi le riprende? E pure ſi giugne anche a ciò. Se i Predicatori non fanno da cani muti, ſi dice che non diſtinguono tra un Secolare, ed un Solitario, che ſono indiſcreti, che ſono irragionevoli, che ſono nimici della pubblica ricreazione, benchè innocente. I ſogni de i Febbricitanti, dice il Filoſofo, ſoler eſſere moſtruoſi. Chi può però dubitare che la moſtruoſità di tali propoſizioni non ſia baſtante a dichiarare mal ſano di ſentimenti, chi le figura in foggia così lontana dal convenevole? E prima quanto al non far divario da un ſecolare ad un ſolitario, io ve 'l farei più che grande: e ſtimerei che un Mondano doveſſe di ogni tempo guardarſi con maggior cura da i pericoli di peccare, che non fanno gli Anacoreti. Imperciocchè qual dei due pare a voi giuſto, che tema i denti d'un fier Cignale? Quel Cacciatore che ha preſo poſto da un albero rilevato, o quel Cacciatore, che trovaſi in piana terra? Che ſe poi ſono indiſcreti, ſono irragionevoli, e ſono nimici della pubblica ricreazione quei Predicatori, i quali riprendono a viſo aperto i Teatri; converrà tra queſti indiſcreti, tra queſti irragionevoli, e tra queſti

„ nimi-

„ nimici pubblici riporre il meglio de' „ ſagri Dottori da me già addotti: converrà riporvi i Legislatori del Mondo, riporvi i Concilj, riporvi i Canoni, converrà, quaſi diſſi, riporvi la Chieſa ſteſſa, la quale condanna eſpreſſamente i Teatri fra quelle pompe diaboliche, a cui fa, che ciaſcun fedele rinunzi nel Santo Batteſimo. Abbiamo da Tertulliano, che anticamente da queſto più che da altro riconoſcevaſi un Criſtiano, dall' abbandonare le ſcene pubbliche: *Hinc Ethnici vel maxime intelligunt factum Chriſtianum de repudio ſpectaculorum*. Che però riputò quell' uomo zelante, che foſſe quaſi un rinunziare al Batteſimo, il non curare quel contraſſegno, da cui ſi riconoſcea. *Itaque negat manifeſte, qui per quod agnoſcitur, tollit*. Nè crediate, che ciò avveniſſe, perchè in quelle ſcene ſi daſſe alcun culto agli Idoli. Dicea egli, che al Criſtiano era interdetto il Teatro, perchè al Criſtiano era interdetta l' impudicizia. *Habes igitur & Theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ*. E gli ſteſſi furono i ſenſi del S. Veſcovo di Marſiglia, il quale affermò, che *in ſpectaculis apoſtatatio fidei eſt*. Onde ad ogni fedele ſoggiunſe con vivo ardore: *Quomodo igitur, o Chriſtiane, ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris?* E poi ſi vogliono accuſare i moderni Predicatori, che dannano ad alta voce ciò, che ad un vero Criſtiano diſdice tanto?

„ Si vede ben che i difenſori de' Teatri laſcivi hanno perduta poco men che la fede, o almen han perduto quel lume, che da lei ci s' infonde a ſtimar le coſe . . . *I Criſtiani moderni hanno perduta l' idea del Criſtianeſimo*; mentre hanno perduto in buona parte lo Spirito di Gesù; cioè quello Spirito, che da lui riceverono nel Batteſimo, come rinati ad una vita totalmente diverſa da quella del vecchio Adamo: onde è che appena ſi riconoſcono più per quelli, che ſi profeſſano. *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Pare che non ſeguano un Dio Crocifiſſo tra i dolori; ma un Sardanapalo calcante tra le delicie, e i diporti. E ſe ſi ragiona d' altro, che di paſſar il tempo in liete Converſazioni, non ne capiſcono ſtraccio &c. . . .

„ Sono tanto chiare le ragioni da me arrecatevi a diſtaccarvi dalle Commedie profane, che chi non le vuole intendere, non ha ſenſo. Che inganno dunque è mai queſto non darvi mente? Non è un *incanteſimo*, non è un *faſcino*, non è una fatucchieria? E poi chi ſono coſtoro, da cui vi laſciate così ſtravolgere? Quali ſono, quali ſono, dirò così, que' Maghi, che vi hanno *ammaliata* la fantaſia? *O inſenſati, quis vos faſcinavit non obedire veritati? Gal. 4.* Sono ciurma di gente vile, che voi ſteſſo tenete per infami, e per infami ſono tenuti dalle leggi Imperiali, che lungamente ſeguirono ad eſiliarli dalle Città: e per infami ſi può dire che ſian tenuti molto più dalla Chieſa, la quale eſclude gl' Iſtrioni, e gl' inabilita a tutti gli ordini ſagri. Riſpondete pertanto agli argomenti di Tertulliano, il quale dice a voi, come dicea a' Gentili: O la profeſſione de' Commedianti è indegna, ovvero è onorata. Se indegna, come dunque lodate voi chi l' eſercita? Come correte ad udirli? Come gli approvate? Come gli amate? Come fate mai loro sì vivo applauſo? E ſe onorata, come poi dunque negare loro gli onori? Come gli eſcludete dalle cariche pubbliche? Come gli eſcludete dalla Converſazione privata? Come vi vergognereſte di avere comune con eſſi la parentela? Io non capiſco, dice queſto Dottore, un modo di procedere così perverſo. *Quanta perverſitas! Amant quos mulctant. Artem magnificant: Artifices notant.* Che ſe di verità queſta è gente infame, chi vi ha inſegnato ad abbandonare per eſſa la vera via? Queſta è quella gentaglia, a cui S. Agoſtino diè il titolo non di ſozza, ma ſozziſſima. *Turpiſſimi Scenici &c.*

De hac turpitudine ſatis; & cum Tertulliano concludatur: Comœdiæ quemadmodum reipſa fontes ſunt innumerabilium flagitiorum, ita Theatrum transmutant in Templum omnibus, vel ſaltem tot, quot illuc conveniunt Spectatores, Diabolis dicatum. Tot illuc immundi ſpiritus

con-

confident, quot homines capit. *Quo poſito quis inficiabitur, Comœdos, qui validiora arma inimicis noſtris, Mundo, Carni, & Dæmoni porrigunt, tot eſſe animarum veneficos, & Auditores totidem veneficio infectos?* Faſcinatio nugantium obſcurat bona.

Obſcurat bona. Unde colligimus tertium maleficii *genus, dictum ſomniferum, quo conſcientiæ opio ſoporatæ remanent . . . Somnus eſt quidam ſenſus ſtupor. Iſtiuſmodi eſt horum ſomnus, qui & fidem otioſam efficit, & Chriſtianæ mentis ſpiritum faſcinat. Jure dicitur letargicos iſtos ſopitos vana videre. Vident vana, quia ut ſolidas habent excuſationes, quæ nullo prorſus modo purgare illos a crimine valent; quæque ad tria revocantur capita. Alii Comœdiarum turpium Auditores excuſant: alii ipſas Comœdias: alii, cæteris pejores, carpunt, qui eaſdem improbant. Primi itaque ejuſmodi ſomniorum amatores ſemetipſos excuſantes, adfirmant ſe aſſidue Theatris adeſſe, haſque repræſentationes indignas ut audiantur ſpectare, quin aliquam contrahant maculam, ſed eiſdem tanquam innoxio ſolatio uti . . . Qui ſic loquitur, ut mihi videtur, eſt veluti avis inter laqueos ſomno capta . . . S. Paulus concupiſcentiam legem vocat.* Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. *Sed cur concupiſcentiæ Legis nomen impoſuit? Ob duas rationes. Una eſt, quia lex non eſt quemadmodum legislator, qui ſupplicationes audire, & mutare ſententiam poteſt, ſed inexorabilis perſiſtit, omni variatione pulſa. Talis eſt concupiſcentia, quæ numquam miteſcit, non mutatur, ſed eadem forma conſiſtens ſenſui perſuadet, ut omni ſtudio voluptates ſibi comparet. Altera ratio fuit, quia lex univerſalis eſt, quæ abſque perſonarum exceptione omnes ſubditos æque ſtringit: ſic concupiſcentia omnibus ſuis appetitionibus mandata tametſi tyrannica præſcribit; omnes eodem modo aggravat. Qua itaque fronte ſpectatores Comœdiarum jactant exemptionem adeo inſolitam a lege tam immani ſimul, & communi, ſub cujus jugo Apoſtolus ipſe gemere coactus eidem reluctabatur? Fierine poteſt, ut pro iſtis ſolis viris Theatralibus ita ſuam exuerit tyrannidem, ut iſti ſoli & videre, & audire, & imaginari, & cogitare, & loqui de materia adeo lubrica queant, & exemplis exterioribus, & internis pravis habitibus impellentibus, quin ullum experiantur lapſum? Viri Sancti ſecuros minime ſe reputant, vel inter ipſas ſolitudines inacceſſas, & cum S. Hieronymo in ipſis deſertis Theatrorum tempeſtates, & turbines patiuntur: & homines ſceleſti ſibi & aliis illudere audebunt, ſe affectuum tranquillitate frui, quæ vix floret in ſolitudine, ſcenaſque ipſas in Deſertum tranſmutari?* Nemo ad voluptatem venit ſine affectu (*inquit Tertull. c. 17. de ſpec.*) & nemo affectum ſine ſuis caſibus patitur. *A lege adeo univerſali ſe ſolos eximere ſcenarum ſpectatores tam effracte contendunt? Splendide apparet quam profundo ſomno ſopiti ſint.*

Quid quod cum Comœdiæ turpes ſint, id ſat eſt, ut Spectatores ſontes fiant, cum nulla urgente neceſſitate ad eaſdem audiendas accedunt, ob illa ſaltem peccata, quæ ſua fovent præſentia . . . De operibus Ethnicorum Paulus loquens, inquit: Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. *Compertum ergo eſt, non modo nos agere Comœdias non poſſe, verum etiam ab earumdem aſpectu abſtinendum nobis eſſe. An expudorati Mimi in ſcenas recitaturi prodirent, ſi Auditorum deeſſet præſentia?* Qui laudant iſta dicentes, ipſi eis hæc exercere perſuadent, *inquit Chryſoſtomus Homil. 6. in Matth. Nec reponas te abſente Auditores non deeſſe. Reſponſum enim ineptum eſt. Siquidem Doctores Sancti numquam meminerunt diſtinctionis eorum, qui primi, & aliorum, qui ultimi ad Theatrum accedunt, ſed continenter omnes eodem modo reprehendunt. Præterea ſi conjuratio contra Principis vitam, aut ad concitandos in eumdem ſubditos eſſet ſine te executioni proxima, numquid eidem aſſiſtere, aut favere abſque crimine poſſes? Immo eo longius abeſſe debes, quo ardentius cupis non recenſeri inter illos rebelles, qui læſæ majeſtatis rei eidem dant operam. Idem ergo in caſu noſtro dicendum. Vix quippe in Eccleſia adverſus Chriſtum conjuratio eſt illi ſimilis, quam turpis Theatri Auctores, & Spectatores in eumdem machinantur. Aperte ergo delirant, qui illuc pergentes ſe immunes a culpa reputant, quod primi non accedant* (ut Bardi, Ferantinus, & Diana ſomniant.)

At non minus delirant illi, qui Comœ-

dias excuſant, *ideſt* COMŒDIAS MODERNAS. *Cedo*: *quid periculoſius*, *aut etiam pernicioſius præferebant antiquæ Comœdiæ adeo vituperatæ a Patribus Sanctis? Quod in eiſdem improbabant Patres*, *aut erat argumentum*, *aut mos*, *aut apparitio*, *ſeu repræſentatio?* An tria hæc æque libere non aguntur in Theatris hodiernis? *Sed quid dixi*, *æque? Utinam deteſtabiliores non ſint. Sed id cauſæ noſtræ nocet*, *quod ex hoc loco libere loqui non licet. Ceterum quid nefandi in Chriſtianorum Theatris ſpectatum non proderem?* Solæ ſunt Theatrorum impuritates, quæ honeſte non poſſunt vel accuſari, *inquit Tertull. c. 7. Tandem hoc mihi dixiſſe ſufficiat. Ex tot opprobrioſis titulis*, *quos Tertullianus adſcribit Theatris antiquis*, *quæ vocat nunc Conſiſtorium impudicitiæ*, *nunc Sacrarium Veneris*, *nunc omnium flagitiorum aſylum*; NE UNUS *quidem*, *ejuſmodi titulorum denegari* THEATRIS HODIERNIS, DE QUIBUS MIHI SERMO EST, JURE POTEST.

Ad aram luxuriæ in Theatris quaſi victimæ trucidantur. Quod populus Chriſtianus hanc veritatem ignoret, *inde proficiſcitur*, *quod lethargo malefico oppreſſus jaceat. Et quos audacter*, *& abſurdis ratiunculis tales defendere corruptelas non pudet*, *an aperte non delirant? An ſomnia*, *ceu luculentas veritates non amant*, *qui fidem his vanis commentis adhibent?*

Quid vero de iis dicendum, *qui non modo ſe*, *& Comœdias excuſant*, *verum etiam eos carpunt*, *qui Comœdias improbant? Huc tandem malorum deventum eſt. Niſi Prædicatores fiant canes muti*, *continuo inclamatur*, *quod laicos a ſolitariis viris non diſtinguant*, *quod ſint iniqui*, *imprudentes*, *& publicæ recreationis*, *tametſi innocentis*, *hoſtes. Febricitantium ſomnia monſtruoſa eſſe Philoſophus ait. Nemo autem non videt dictarum excuſationum portentum uberrime patefacere deliria illorum*, *qui talia concipiunt monſtra. Et quod ad ſolitarii*, *& mundani hominis attinet diſtinctionem*, *magnam eſſe fateor*, *meaque ſententia magis vigilare mundanus homo debet*, *ut ſibi a peccandi periculo caveat*, *quam Anachoreta. Quandoquidem quis duorum feri apri morſus formidare magis aſtringitur? Venator ne ille*, *qui ſupra eminentem arborem ſedet*, *an alter*, *qui terram calcat? Quod ſi imprudentes*, *phanatici*, *Rigoriſtæ*, *& publicæ quietis hoſtes illi Concionatores*, *qui Theatra deteſtantur*, *nuncupandi ſunt: his iniquis*, *phanaticis*, *& publicæ tranquillitatis inimicis accenſendi ſunt primores Eccleſiæ Doctores ſupra laudati*, *Mundi Legislatores*, *Concilia*, *Canones*, *ipſaque Eccleſia*, *quæ expreſſe inter illas Diaboli pompas*, *quas fideles omnes in Baptiſmate ejurant*, *rejicit. Teſtatur Tertullianus non aliunde magis hominem Chriſtianum eſſe Ethnicos agnoviſſe*, *quam ex abſcentia a Theatris.* Hinc Ethinici vel maxime intelligunt Chriſtianum factum de repudio ſpectaculorum. *Baptiſma illum fere renuntiare exiſtimat Tertullianus*, *qui hanc ſuam prærogativam*, *qua dignoſcitur*, *non curat.* Itaque negat manifeſte, qui, per quod agnoſcitur, tollit. *Nec quiſquam ſibi in animum inducat*, *ut credat id eveniſſe*, *quod Idolis in Theatro cultus exhiberetur. Quoniam*, *inquit Tertullianus*, *idcirco Chriſtianis interdicta Theatra ſunt*, *quia interdicta illis impudicitia eſt.* Habes igitur & Theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ. *Hoc idem adfirmat Salvianus.* In ſpectaculis apoſtatatio fidei eſt. Quomodo igitur, o Chriſtiane, ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe Diaboli confiteris? *Ita loquuntur Patres*: *& audaculi*, *ignoranteſque homines mordere hodiernos Concionatores non dubitant*, *quod elata voce Theatra cum Chriſtiana profeſſione pugnantia execrentur.*

Satis perſpicue hinc infertur, *comœdiarum turpium defenſores ipſam quaſi fidem amiſiſſe*, *aut illud ſaltem lumen*, *quod ipſa infundit*, *quo veritates æſtimemus. Chriſtianiſmi imaginem*, *ſeu notionem Chriſtiani hodierni perdiderunt. Quoniam ſpiritum Jeſu Chriſti*, *quem Baptiſmo receperunt*, *ut novam agerent vitam ab illa veteris Adami omnino diverſam*, *ita magna ex parte amiſere*, *ut vix dignoſci illorum*, *quam profitentur*, *Religio queat.* Si quis autem Spiritum Jeſu Chriſti non habet, hic non eſt ejus. *Non Chriſtum inter dolores crucifixum*, *ſed Sardanapalum inter delicias*, *& ſolatia profiteri illos apparet. Non alios percipiunt ſermones*, *niſi lætanter convivandi*, *ludendi*, *& converſandi.*

Adeo luculenta ſunt rationum momenta adverſus profanas Comœdias, *ut communi ſenſu careant oportet*, *quibus illa non reſplendent. An non magna illuſio eſt*, *ani-*

mum

mum ad ea non intendere ? Nonne iſtud apertum faſcinum, veneficium, & excantatio eſt ? Poſtremum, qui ſunt, a quibus Chriſtiani pervertuntur ? Qui ſunt, qui ſunt venefici illi, qui mentem veſtram faſcinarunt? O inſenſati, quis vos faſcinavit non obedire veritati? *Sunt ſordidiſſimum hominum genus, populi fæx. Voſmetipſi illos ut infames habetis: ut infames leges Imperiales improbant, quos longo tempore e Civitatibus expulere: ut infames Eccleſia habet, quæ hiſtriones ut ineptos ad Ordines ſacros declaravit. Tertulliano argumentanti ſatisfacite. Aut Comœdorum profeſſio infamis eſt, aut honeſta. Si primum, cur ejuſdem Profeſſores laudatis? Cur ad eoſdem audiendos curritis? Cur eoſdem amatis? Cur iiſdem plauditis? Si alterum; cur iiſdem honores denegatis? Cur a publicis dignitatibus, & converſatione veſtra domeſtica arcetis? Cur vos puderet communem cum iiſdem habere conſanguinitatem? Quænam adeo perverſa agendi ratio?* Quanta perverſitas! Amant, quos mulctant. Artem magnificant: Artifices notant. *Veritatem repudias, ut genti infami adhæreſcas. Hæc eſt illa gens vilis, cui Auguſtinus ſordidiſſimum titulum adſcripſit*: Turpiſſimi Scenici.

CAPUT XV.

Nonnullæ animadverſiones in recenſitam P. PAULI SEGNERI Jeſuitæ doctrinam adverſus Theatrorum defenſores, quos effutire haud pudet, Eccleſiæ Patres ob idololatriam, ſecus ob impudicitiam Theatra damnaſſe.

I. UNico Sermone, Attico ſtylo ſuo omnia tum antiquorum, tum poſterioris ætatis argumenta contra obſcœna Theatra complexus eſt eloquentiſſimus Segneri. Nemini palmam cedit in hac exagitanda corruptela, cujus monſtroſam pravitatem, & cum Chriſtiana profeſſione hoſtilem contrarietatem mirifice patefacit. Defenſorum Theatralium excuſationes, ſophiſmata, tergiverſationes in tria digeſta capita penitus labefactat; & defenſores iſtos perridiculos fidei ſuſpectos, & ſenſus communis vacuos evincit. Et cum ſint ejuſmodi, forſitan rancidam cantionem obtrudent, P. Segneri Concionatorum more plus juſto Theatrorum uſum improbaſſe conſuetis Rhetorum figuris, & amplificationibus. At eadem eloquentiæ vi Patres celebriores adverſus Theatra invecti ſunt. At Patres etiam *Rhetorice*, non *Theologice*, nec *Caſuiſtice*, inquis, Theatra aggreſſi ſunt.

II. Qui hoc pacto loquuntur (loquuntur autem plurimi) præcipua Religionis noſtræ fundamenta Scripturis Sanctis, & Traditionibus nixa ſuffodiunt. Quid? Cum Patres, & Sacri Oratores ex Evangelica Cathedra fidei, morumque Canones exponunt, *exaggerant*, *Rhetorice*, *non Theologice loquuntur*? Non ergo adverſus Lutheranos, Calvinianos, alioſque Hæreticos confirmare Patrum auctoritate Catholicæ Religionis noſtræ dogmata, & mandata poſſumus. Nam hoc eodem reſponſo utentur Lutherani, Calviniſtæ, & Sociniani, Patres nempe *Rhetorice*, & *Concionatorie* locutos eſſe, dum articulos Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Cultus ſacrarum Imaginum confirmant. Oratores ſacri utique, aut vitii gravitatem, aut virtutis præſtantiam in apricum producunt, & tum verborum, tum figurarum, & ſimilitudinum efficacitate Auditorum animis imprimere ſtudent. At peccant, & quidem graviſſime, ſi doctrinæ veritatem adulterant, ſi plus juſto malitiæ gravitatem augent, aut diminuunt.

III. Ceterum audiant, ſi qui nobis adverſantur, quanta perſpicuitate Comœdiarum, quas deteſtandas aſſumit, P. Segneri notionem exponat, & qualitatem circumſcribat. *Ego* (inquit in Exordio) *illas damno Comœdias, quæ aut natura ſua, aut per accidens ad malum concitant Auditores. Natura ſua ejuſmodi ſunt, quæ continent aut argumentum obſcœnum, aut verba immodeſta, aut propoſitiones irreligioſas, aut repræſentationem turpium actionum. Per accidens tales ſunt illæ, quæ conſtant quidem argumento honeſto; at nihilominus inquinantur immixtione intermediorum, quæ jucunda vocitantur, ſed turpia ſunt aut apparitione Mimarum laſcive ornatarum, quæ recitantes* (aut ſaltantes) *ſua præſentia, aut loquela affectus honeſtati adverſos excitant. Hæc eſt Comœdiarum qualitas nimium Theatris hodiernis communis, quam profligandam ſuſcipio.*

IV. Ediſſerant nobis Theatrorum ſtrenui defenſores, quodnam in hac cauſſæ ex-

expoſitione verbum juſtæ obnoxium cenſuræ ſit? Immo ipſius cauſſæ ſtatus tam perſpicue expoſitus eſt, ut omnes adverſariorum cavillos, tricas, ſophiſmata eludat, & effugia præcludat. Natura ſua ſive Comœdiæ, ſive Tragœdiæ, ad malum movent, quæ obſcœnum argumentum continent. Continent autem argumentum obſcœnum, dum tricis amatoriis immixtum eſt, tametſi Poetico Drammate honeſtiſſimo expreſſum ſit. Quæ enim demulcendam concupiſcentiam ſpectant, turpia, & obſcœna omnino ſunt. Idque adeo certum eſt, ut inficiari nemo queat, niſi qui & communi ſenſu careat, & qui turpe, honeſtum, & obſcœnum, pudicum appellare delirans velit. Sunt quoque natura ſua turpes Comœdiæ, aut Tragœdiæ, quæ honeſto argumento conflatæ, verbis immodeſtis repræſentantur, aut immodeſta acta referunt. Sunt per accidens, ſeu præter inſtitutum Comœdiæ, & Tragœdiæ obſcœna, quæ argumento non oppoſito bonis moribus conſtant; at inquinantur Exodio (vulgo *intermezzo*) quod aut expudoratæ ſaltarices, aut infames ſaniones, & impudentiſſimi ſcurræ agunt. In medium veniant omnes ſive Comœdiæ, ſive Tragœdiæ hactenus editæ, & in Theatro repræſentatæ; nec una occurret, quæ aliquo ex capite eorum, quæ nunc recenſui, turpis, & obſcœna non ſit.

V. Hinc præcluſum reſtat effugium illorum, qui ajunt Poetica Drammata honeſta eſſe, quia recognita a publicis Miniſtris ſunt. Numquid Exodia, laſcivus muliercularum ornatus, geſtus, ſuſpiria, oculorum ictus, & jacula, motus, geſtus, corporis inflexiones, poſituræ, & innumera alia Diabolica præſtigia, quæ Mimi, aut Mimæ agunt, probantur? Neque hic, neque ille miles, ſed omnes conjunctim, viribuſque mutuo collatis arcem expugnant, præeunte Duce. Dæmon quoque animæ arcem obſidet, ingrediturque, univerſo recenſito exercitu ſtipatus.

VI. Cauſæ ſtatum tam nitide, & enucleate expoſitum luculentiſſimis rationibus a Scriptura Sancta, a Patribus, a Conciliis, & ab ipſa rerum natura arceſſitis uberrima eloquentiæ vi, & mirabili ordine, atque ſolidiore Rhetoricæ artis quæſito ſubſidio evincit, roborat, confirmatque laudatus præſtantiſſimus Orator, quin aliquid per exaggerationem pronunciet. Theatrorum turpiſſima conſectaria ob oculos ponit. In adverſarios irruit: illorum objectiunculas, infringit, comminuit, penituſque convellit. Jure & merito maleficio vanitatis, & voluptatis mentem obſcurantis excantatos declarat Theatrorum ætatis noſtræ defenſores. Enim vero quænam faſcinatio concipi funeſtior illa poteſt, qua excantatus Chriſtianus, poſt repudiatas in Baptiſmo Satanæ, & Mundi pompas, licitam aſſerere Theatrorum frequentiam auſit? Cetera vitia, ut ſapienter cum Patribus P. Segneri advertit, unum corporis, animæque noſtræ ſenſum, unam adoriuntur veluti partem: Theatra vero caſtra ſunt infernalia, ubi Mundus, Caro, Dæmon uſquequaque Chriſti Evangelia labefactant: caſtitatem, pœnitentiam, humilitatem, caritatem, cæleſtium bonorum meditationem, ceteraſque Chriſtianas virtutes recta adoriuntur: ibi vexilla explicant, & triumphos canunt ambitio, luxus, faſtus, voluptas carnalis, inſidiæ, fraudes, turpia ſolatia, iræ, vindictæ, cupiditas, omniaque Mundi, Carnis, & Diaboli arma evaginata univerſas Chriſtianas virtutes impetunt, atque exterminare conantur.

CAPUT XVI.

Ex principiis ipſius Probabiliſmi Theologi evincunt, Actores, & ſpectatores Comœdiarum turpium peccare mortaliter, quod probabili ut minus periculo gravis culpæ ſe ſe exponant.

I. HActenus invictis rationum momentis demonſtratum eſt, Comœdias hodiernas, quæ communiter repræſentantur in Theatris publicis turpes atque obſcœnas, ſuaque natura criminoſas eſſe, quod periculum moraliter certum, proximumque plurium flagitiorum annexum habeant. Oſtenſum eſt ſimiliter, Actores, & Actrices omnium criminum, quæ inde conſequuntur, ſontes eſſe. Nunc, ut undique verſum ſententiam noſtram communiamus, diſputationis gratia permittere volumus, iſtiuſmodi peccandi periculum non eſſe moraliter certum, ſed tantum probabile.

II. Periculum moraliter certum, & pro-

proximum illud appellatur, inquit Doctor eximius P. Franciſcus Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. Diſp.* 32. *ſec.* 2. *n.* 4. quod *ex ſuo genere tale eſt, ut frequenter inducat homines ad tale peccatum*. Theatra obſcœna, quæ deſcripſi, ſpectata hominum extrema imbecillitate, & intima connexione materiæ, ſeu objecti repræſentati cum appetitu ſenſitivo, frequenter impellunt homines in delectationes venereas, & carnalia deſideria. Periculo itaque moraliter certo, & proximo ſe ſupponunt, qui deliberato animo Theatra illa frequentant. Ergo juxta omnes Theologos mortaliter peccant iſtiuſmodi Theatrorum ſpectatores.

III. Periculum probabile illud appellant vel ipſi Probabiliſtæ, quod probabiliter, non certo, ad malum inducit. Siquidem rationes non leves, ſed probabiles occurrunt, & graves, quæ probabilem futuri peccati eventum ſuadent. Leve periculum, ſeu remotum, levibus rationibus nixum, periculum nullum reputatur, ut P. Cardenas *Diſp.* 18. *c.* 2. *&* *c.* 7. *n.* 77. inter Probabiliſtas doctus & moderatiſſimus, & laxarum opinionum hoſtis infenſus docet. Periculum probabile in civili commercio omnes prudentes verentur, & temeritatis notam non declinat, qui illud abſque gravi neceſſitate ſponte ſuſcipit. Mercatores, qui aut navigationi maritimæ, piratis, maris tempeſtati, naviumque fragilitati ſubjectæ; aut terreſtri itineri, graſſatoribus, aliiſque caſibus obnoxio merces ſuas fidunt, tametſi periculum iſtud non ſit moraliter certum, & evidens; quia octo, vel decem in centum de ejuſmodi negotiis pereunt; nihilominus, quia prudenter periculum timetur, rationes non leves, ſed graves occurrunt, quæ periculum iſtud ſuadent. Idcirco Mercatores prudentes pro aſſecuratione, & indemnitate ab iſtiuſmodi periculo ſex, octo, decem, & amplius juxta periculorum diverſitatem ſolvunt. Quamvis igitur hoc periculum non ſit moraliter certum (ſi enim eſſet tale, neque mercator ſic merces exponeret, neque aſſecuratores reperirentur, qui a tanto periculo immunes reddere merces vellent) ſed tantum probabile, tamen viri prudentes pro iſtius periculi redemptione pretium ſolvunt, illudque verentur. Hanc doctrinam, inquit Cardenas, omnes Theologi defendunt, & viri prudentes omnes executioni mandant in quolibet temporaneo negotio. Quis eſt, qui neceſſitate ſublata probabili periculo exponere vitam ſuam, ſuum honorem, ſuas merces, ſuum patrimonium ſponte velit? Si argumentatio a minori ad majus, a rebus caducis ad æternam animæ ſalutem, & ad infinitas divinæ gratiæ divitias valeat, illatione evidentiſſima conſequitur, imprudentes ſtultoſque eſſe Chriſtianos omnes, qui Theatrorum periculum, etiamſi tantum probabile eſſet, ſponte ſubeunt, omni gravi neceſſitate ſublata.

IV. Triplicem neceſſitatem Theologi diſtinguunt. Primam vocant caritatis, vel juſtitiæ, qua tenetur Chirurgus ad medendum feminæ gravi morbo in pudendis laboranti, quæque alio medente caret. Altera phyſica dicitur, qualis eſt detentio hoſtis in carcere una cum ſuo inimico cum periculo illum percutiendi, aut necandi. Tertia illa eſt, qua filiusfamilias obſtringitur ad domum Paternam inhabitandam, in qua moratur femina, quæ juvenis caſtitati graviter periculoſa eſt.

V. Communiter Auctores Probabiliſtæ adfirmant urgente aliqua harum trium neceſſitatum poſſe Chriſtianum virum tuta conſcientia permittere, & pati, ſeu ſubire periculum iſtud probabile, non certum. Sublata vero omni iſtiuſmodi neceſſitate aſſerunt, peccare illum, qui ſponte huic periculo probabili ſe exponit. Aliqui Probabiliſtæ laxiores, ut Gobat, Leander, Hurtado, Buſembaum neceſſitatem hanc extendunt ad animi recreationem, ſolatium, & curioſitatem explendam. Ceterum communiter omnes negant, neceſſitate gravi non urgente, licitum eſſe periculum adire probabile peccandi mortaliter.

VI. Advertendum tamen, & quidem ſerio eſt, nos in præſentia loqui de ſolo periculo probabili labendi in luxuriæ crimen, vel delectationis impudicæ, aut deſiderii pravi &c. Ab hoc enim dumtaxat periculo ſubeundo excuſare gravis neceſſitas valet. Ceterum nulla in Mundo neceſſitas excuſare poteſt aut Hiſtriones repræſentantes Comœdias obſcœnas, aut ſpectatores a peccato cooperationis, ſeu conſenſus, ut ſupra demonſtratum eſt, & infra clarius fiet. His præmiſſis hanc formo argumentationem, ad ipſius Probabiliſmi amuſſim exactam

VII.

VII. Qui abſque gravi neceſſitate probabili periculo peccandi mortaliter ſe exponit, peccat mortaliter. Sed omnes qui aſſiſtunt Comœdiis obſcœnis ad venerem provocantibus, nulla preſſi neceſſitate, & ob ſolam animi recreationem, & ſenſuum ſolatium probabili periculo peccandi mortaliter ſe exponunt. Ergo peccant mortaliter. Primam propoſitionem admittunt omnes veri Theologi, & communiter ipſi Probabiliſtæ benigniores. Secunda, ratione, auctoritate Scripturæ Sanctæ, & experientia quotidiana, conſtat. Quia tamen hanc ſolam cavillari quis poſſet, ideo paucis eam confirmare expedit. Comœdia obſcœna ea eſt, quæ Poetarum fabulis, tricis amatoriis, & actibus intermediis ſcurrilibus conſtat: quam mimi, & mimæ fornicatorio cantu, & meretricia muſica, & motibus, ſaltationibus numericis, & geſtibus tenerrimum amorem præferentibus repræſentant. Hæ ſunt Comœdiæ obſcœnæ ætatis noſtræ. Iſtiuſmodi autem Comœdiæ natura ſua titillant concupiſcentiam, eamque accendunt, irritant, inflammant. Ergo conſentiendi periculum, ut minus, probabile eſt. Cedo: negabis ne, muſicam harmonicam cantu ſuaviſſimo demulcere aures, mirificos impudentiſſimæ ſaltatricis motus, geſticulationes delectare oculos? Cur hoc? Quia quilibet ſenſus ſuo delectatur objecto, ut omnes teſtantur Philoſophi. Ergo & concupiſcentia natura ſua delectatur proprio amoris obſcœni objecto deſcripto in fabula, & voce geſtuque a mimo, & mima repræſentato. Quid hiſcis? Preſſius te urgeo. Diſtinguas oportet occaſionem externam a periculo interni conſenſus. Occaſio externa eſt ipſa Comœdia obſcœna, quæ omnibus recenſitis præſtigiis munita ſenſus, & concupiſcentiam tuam expugnare aggreditur. Aggreſſio, & obſidio hæc arcis animæ tuæ ſua natura gravis eſt, eique probabiliter hæret victoria. Niſi fatuus ſis, hoc inficiari nequis. Ergo quamvis ſtrenuus eſſes miles, tuaque concupiſcentiæ abſolutus dominus, tamen mortaliter peccas, quod huic exteriori occaſioni periculorum pleniſſimæ te exponis.

VIII. Occaſio hæc exterior, reſpectu mei, reponis, nullam vim habet. Homo honeſtus & ingenuus ſum; & experientia edoctus teſtor, me nec tantillum commoveri. Inhoneſtus & moroſus ipſe eſſem, ſi tibi honeſto viro fidem denegarem. Ajo tamen, te nihilominus peccare, quod voluntarie, & nulla cogente neceſſitate, ſed ob ſolam curioſitatem, vanumque ſolatium occaſioni te exponas, quæ natura ſua probabile peccati mortalis periculum abſolute conjunctum habet. Ratiocinatio hæc valida utique apparet: at experientia manifeſta contradicit. Ego ſæpius, iterum inſiſtis, Comœdias præfatas ſpectavi, nullamque ſive delectationem, ſive tentationem, ſive concupiſcentiæ ſtimulos paſſus ſum. Bene habet. Gaudeo, & congratulor fortunæ tuæ, quod inter Canicolæ æſtus Solis radios non preſentias. Sed reſpondet S. Baſilius *Conſt. Monaſt. cap.* 4. te eſſe *admirabiliſſimum pecus*. Reſpondet Hieronymus, ut S. Antoninus teſtatur in Summ. *p.* 2. *tit.* 6. *c.* 6. quod non credit viro, *ſi dicat ſe illæſum evaſiſſe*. Reſpondet Chryſoſtomus *Hom.* 1. *in pſal.* 50. te non hominem eſſe communi imbecillitati obnoxium, ſed *ſaxum*, *aut ferrum*. Auguſtinus confitetur, ſe læſum abiiſſe: hoc idem confitetur vel ipſe Seneca. Sed ego te preſſius urgeo. Caſtus ne revera es, an impudicus? Si caſtus; ergo tentationibus obnoxius. Ergo dum occaſioni probabili periculo labendi annexæ te objicis, graviter peccas. Præterea tua ne virtute, an Dei gratia graviſſimarum tentationum, & Theatralium illecebrarum victor evades? Si primum aſſeris, hæreticus Pelagianus es. Si gratia Dei eges: numquid gratiam hanc, & auxilia ſua tibi Deus impertiet, dum ſponte te in gravia pericula conjicis? *Non cavens periculum*, inquit Auguſtinus, *quantum cavere poteſt*, *magis tentat Deum*, *quam ſperet in eo*. Prima gratia, quam Deus confert, ab occaſione libera tentationis præſervat. *Viam iniquitatis amove a me. Et ne nos inducas in tentationem. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*. Aut tu liber es a concupiſcentiæ ſtimulis, Dæmonis tentationibus, aut ſecus. Primum aſſerere, quin te fatuum præferas, non vales. Secundum ergo verum eſt. Ergo ſi concupiſcentiæ colaphis, & Diaboli tentationibus obnoxius es, tum profecto concupiſcentia, & Dæmones te aggredientur, & in te toto impetu irruent; ſpectra larvas, præſtigia impudicitiæ in tuæ animæ arcem immittent,

tent, cum te inter Theatrales inſidias involutum, & excantatum reperient. Porro in conflictu præſertim venereo gratia Dei fugam, non aggreſſum tentationis inſpirat. Gratiæ fugam inſpiranti reſtitiſti? Ergo in conflictu ſuccumbes. Quid plura? Numquid tu robuſtior Davide, Salomone, Sampſone, Paulo? Numquid Antonio, Hilarione, Auguſtino, Hieronymo, Benedicto, ceteriſque Sanctis omnibus valentior, quorum alii in ſpinas ſe conjecere, alii ferarum ſocii, & ſcorpionum, jejuniis, & flagellis carnis ſtimulos retundebant? Tu vero inter ipſa libidinis flabella, & incendia ſaginatus, & exquiſitis epulis ſaturatus, intus & foris undique a Veneris ſatellitibus obſeſſus, victor intaminatus evades? Neque inſiſtas, aliquos reipſa caſtos evaſiſſe e Theatro. Unde hoc tibi conſtat? Quis judex eſt? Adde eventum extraordinarium, & inſolitum regulam univerſalem non infringere. Præterquamquod caſtitas vulnera recipit, quæ ſenſibus non patent: & tandem peccatum temeritatis adeundi pericula, peccatum conſenſionis in ſcelera Hiſtrionum, & ſcandali, quo tua præſentia corruptelam foves, non declinaſti. Hinc enim alii argumentantur: Ille optime moratus Theatra frequentat. Ergo frequentia iſtæc honeſta eſt. Ultimo, vaferrima verſutia quandoque diabolus concupiſcentiæ feram non irritat, non accendit, ut ſecurius temporis tractu ſuis laqueis animas jugulet. Quamvis ergo caſti homines in nullum delectationis venereæ flagitium laberentur; delictum tamen conſenſionis in corruptelam Hiſtrionum, ſaltatricium, pſaltriarum feminarum declinare nullo modo poſſunt, cum illam ſua præſentia foveant. Quocumque te rotes, non evades.

IX. Venio ad alteram dilemmatis partem. Si caſtus non es, ſed laſciviæ vulneribus plagoſus, in Theatra, ſeu in certamina Veneris dimicaturus prodibis? Undique vulneratus de validiſſimis hoſtibus victoriam obtinebis? Audies plurimos ſic fantes: Nos Theatra frequentamus, quin ullam patiamur commotionem, immo nec tentationem quidem. Illuc convenimus, ut amicos, & amicas alloquamur, ut interdum quidpiam aut muſicæ, aut cantus audiamus. Ceterum ad illas amoris fabulas, quas mimi, aut mimæ recitant, nec aurem quidem damus. Ita res ſe habet. Iſti Babylonis calicem potarunt uſque ad fæcem: ſunt veluti boves laſſi in luto libidinis revolvendo: ſunt de vino proſtitutionis ebrii, & temulenti. Sunt ſicuti illi helluones, qui epulis ſaturi, & ingurgitati aliqua bellaria tantum extremis labiis deguſtant ſub menſæ finem. Similiter iſtorum concupiſcentia ſordidis laſciviæ epulis exſaturata, expleta, & veluti concuſſa eſt, atque adeo impura fercula quodammodo faſtidit, & dedignatur. Adhuc tamen iſti guſtant libidinis bellaria. Guſtant ſuavitatem cantus, concentum muſicæ, oculos demulcent veſtium ſcenarumque ſplendore, & ſaltatricium agilitate. Ipſi, ſi Chriſtiani veri eſſent, agere pœnitentiam deberent patratæ luxuriæ. Sed contra eo quo valent modo titillare ſenſus ſuos pergunt. Hos Diabolus ne tentat quidem, quia ſuos; ſed eos adhibet ut miniſtros, & Concionatores inferni, qui in circulis, & converſationibus ſimilia eructant: Theatra, & Comœdiæ appetitiones acuunt ſolitariorum, Eccleſiaſticorum, & illorum concupiſcentiam inflammant, qui in libidinis palæſtra exercitati minime ſunt. Continua aſſuetudo ſtrenuos, invictoſque nos reddidit. Talia concionantes veluti Diaboli apoſtoli alios ad frequentanda Theatra inducunt, & doctrina peſtifera de aure in aurem non interrupta traditione latius in dies manat. Iſti ſimiles ſunt Mago Balaam *Num.* 22., qui ex Aſinæ ore crudelitatis ſuæ reprehenſionem audiens, nihil obſtupuit; quia Diaboli excantationibus, & horrendis Dæmonum ſpectris intendens, *aſſuetus Monſtris* erat, inquit Auguſtinus. Similiter iſti in medio Theatralis laſciviæ nullam ſentiunt flammam, quia nihil novi experiuntur, cum in fornace Babylonis ſemper ardeant, comburantur, ut eloquenter S. Joannes Chryſoſtomus *Homil* 8. *de pœnit.* deſcripto Theatrali incendio, concludit: *Et quod nocentius eſt, neque ipſi qui comburuntur, idipſum ſentiunt. Si enim ſentirent, non jam effuſum illum riſum emitterent. Igitur id vel peſſimum eſt malum, cum quis infirmatur, neque idipſum quo infirmatur novit: & miſere ardens ærumnoſum non ſentit incendium.*

X. Denique ut multa paucis perſtringam, hoſque caſtitatis poſt expletam concu-

cupiſcentiam heroes preſſius urgeam, ſciant velim, caſtitatem vulnera ſuſcipere, quin ſenſibus & menti noſtræ pateant. Qui cogitationes ſuas voluntarie defixas tenent, nulla urgente neceſſitate, in aliquo objecto venereo, gravi pulſante tentatione, mortaliter peccat vel ob conſenſum, vel ob conſentiendi periculum. Illam enim voluntariam impuram meditationem, conſenſum *interpretativum* Theologi omnes reputant. Ergo idem dicendum, cum in occaſiones externas, quæ ſuapte natura ad venerem irritant, provocantque, ſe ſe libere, nullaque urgente neceſſitate quis conjicit. Veri caſtitatis, & ſtrenui cultores ſpectris impuris exagitantur. Ambigui ſunt, conſenſerint, nec ne. Conflictum aperiunt Confeſſario dolore ſummo, ignorantes graviter, an leviter deliquerint, & rem, ut eſt apud Deum, confitentur. Confeſſarius tum judicat venialem eſſe culpam, cum pœnitens tentationum occaſiones, nempe mulierum familiaritatem, Theatrorum, & Comœdiarum, & cetera id genus pericula revera declinat. Si e contrario pœnitens nulla coactus neceſſitate, ſed ob ſuam curioſitatem, vanumque ſolatium adit tentationum occaſiones, & præſtigia, tum licet ignoret, ſe expreſſe conſenſum præſtitiſſe, immo tametſi aſſerat ſe non conſenſiſſe, quando præſertim lucta iſta longa eſt, & frequentia occaſionum repetita, Confeſſarius judicat, illum conſenſiſſe, & niſi occaſiones tentationum evitaverit, abſolutionem denegabit. Hæc eſt Patrum, & Theologorum, & Caſuiſtarum communis doctrina. Recogitent ergo omnes in libidinis palæſtra exercitati, caſtitatem delicatiſſimam eſſe, & ſæpe vulnera pati, quin eadem ſentiantur. Poſtremo negare illi nequeunt, Comicos, Mimas, Saltatrices mortaliter peccare, ſicuti & plurimi ſpectatores: ergo licet non peccarent ſe delectando de re venerea, peccant tamen mortaliter, quod Comicorum peccatis conſentiant, & in concilio peccatorum ſedeant, ut mox evincam.

CAPUT XVII.

Auctoritate benigniorum Theologorum improbatur excuſatio illorum, qui ſe ſpectare obſcœnas Comœdias innoxie ajunt. Peccant iſti mortaliter, inquiunt benigni Caſuiſtæ, ex hoc ſolo capite, quod approbant, & ſua præſentia conſentiunt in peccata mortalia Hiſtrionum.

I. Comœdiæ obſcœnæ, ut alias dictum eſt, illæ ſunt, quas repræſentant viri, & feminæ amatorum, & amaſiarum cauſam agentes, ut communiter hodie fit. Iſtæ prorſus obſcœnæ ſunt, quamvis modeſta eſſent Drammata Poetarum quæ a Comœdis recitantur. Porro quamvis ſupra patefecerim, & quidem, ut mihi videtur, evidenter, peccare mortaliter Comœdiarum turpium ſpectatores ex hoc ſolo capite, quod ſua præſentia conſentiant hiſtrionum ſceleribus, nihilominus lubet hanc eamdem veritatem benigniorem Theologorum confirmare auctoritate.

II. P. Hieronymus Florentinus *loc. cit.* Diſc. 8. pag. 182. hanc ſtatuit concluſionem. „ *Aſſiſtentes Comœdiis notabiliter* „ *obſcœnis peccant mortaliter ex ea præ-* „ *ciſe, quod cooperantur peccato mortali* „ *Hiſtrionum*. . . . Nam ut dixi in pri- „ ma Editione hujus meæ Comœdio- „ Criſis *Concluſ. 6.* peccant conſenſu juxta „ doctrinam Apoſtoli cap. 1. ad Rom. „ *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt* „ *morte: & non ſolum qui ea faciunt,* „ *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. „ Cujus auctoritas adeo probat inten- „ tum, ut Diana p. 5. tr. 13. reſ. 81. „ me citato, cum Hurtado de Mendoz- „ za, & p. 11. tr. 5. reſ. 52. licet P. Ni- „ colai Baldelli, & Turriani, & Fer- „ rantini contrariam ſententiam attule- „ rit, nihil tamen, ut ſolet, pro ea di- „ xit, quo vel probabilem ſibi videri de- „ claret: immo part. 11. rogatus ab ami- „ cis per litteras, ut ſi Auctores aliquos „ pro illa haberet, afferret illis, ut mo- „ rem gereret allegavit præter Ferranti- „ num, etiam P. Bardi. Sed non ſo- „ lum hujus ſententiæ probabilitatem diſ- „ ſimulavit, verum ſemper magis in „ meam ſententiam propenſus, concludit, „ ſententiam Turriani, Baldelli, & Fer- „ rantini *eſſe periculoſam*.

„ Di-

„ Dicunt enim prædicti Auctores, „ quod ideo Spectatores, qui *primo* confluunt, ſunt vere cooperatores illius „ peccati, quo peccant Hiſtriones, quia „ illi ſunt cauſa determinativa ut agant „ Comœdiam obſcœnam. At vero *ſecundo* confluentes non ſunt cauſa, cur „ Comœdiæ agatur, cum adhuc ageretur, etiamſi ipſi non adeſſent. Et „ ſic quia non influunt in hunc effectum, non poſſunt dici cauſa illius, „ & ideo Hiſtrionum peccato non cooperari &c.

„ Sed hoc non obſtante dico diſtinctionem hujuſmodi nullius eſſe roboris, „ & efficaciæ: nam quidquid ſit quod „ *primi* confluentes cooperari dicantur, „ quatenus conſtituunt illum ſufficientem „ numerum hominum ſpectatorum, cum „ quo recitabunt hiſtriones, ſine quo „ non recitabunt; & *ſecundo* confluentes, quia ſine ipſis recitabant, non „ dicantur cooperari; illud eſt certum „ quod ſi ſecundi non cooperantur, ad „ minus negari non poteſt, quod conſentiant hujuſmodi actioni. Ergo ex „ teſtimonio D. Pauli vere peccant. Et „ probatur ratione: nam conſentire v. g. „ Joannem peccato aliorum, & circa illud non operari, nihil aliud eſt, quam „ voluntatem Joannis tendere in idem „ objectum peccaminoſum per actum „ complacentiæ, ſeu delectationis . . . . „ Conſtat igitur etiam ſine cooperatione ſpectatores conſentire obſcœnitati „ Hiſtrionum, & per hoc, quod D. „ Paulus *loc. cit.* dixit: *Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Ubi „ D. Thomas in Commentario intelligit . . . . quod pœna hujus mortis debetur primo *iis*, *qui talia agunt peccata*, & *non ſolum illis*, *ſed etiam iis*, *qui conſentiunt facientibus: & hoc dupliciter: uno modo directe*, *vel laudando peccatum*, *vel præbendo conſilium*, „ *vel favorem . . . . vel indirecte*, *quando non repræhendunt*, *aut impediunt quocumque modo ſi poſſunt*, & *præcipue ſi ex officio incumbat*. Sed & „ *ſecundi* generis Auditores Hiſtrionibus „ præbent favorem, quatenus vel mercedem ſolvunt illis, ut faciunt *primi*; „ vel riſu, plauſu, & ipſa aſſiſtentia favent. Ergo juxta doctrinam S. Thomæ directe conſentiunt, etiamſi non „ cooperentur.

„ P. Bardi apud Dianam *reſ.* 52. conſiderans difficultatem præſentem, non „ in ſpeculativa, ſed in practica, dicit „ eſſe valde periculoſam. Sed D. Ferrantinus volens benignam aliquam ſententiam conſtituere pro illis, qui Theatrum frequentant, dicit, Hurtadum, „ & me nimis rigide procedere. Ut autem ſuam ſententiam explicet, imaginatur hoc pactum inter Hiſtriones, & „ illos, qui pecuniam ſolvunt, iniri; nimirum ex ſuppoſitione, quod vos acturi ſitis hanc fabulam, ad quam jam „ ex conſenſu ſufficientis Auditorii determinati eſtis; ſeu ſtante hac conditione, quod fabula peragatur, do vobis pecuniam, ut concedatis mihi locum in aula. Hoc autem pactum exiſtimat Ferrantinus eſſe licitum; ſicut „ licitum eſt cauſa urbanitatis invitare „ amicum ad cœnam in die jejunii, quando amicus jam determinatus eſt ad cœnandum alibi, ubi cœna eſt præparata, ergo ſimiliter licebit dare pecuniam „ Hiſtrionibus jam determinatis ad agendam Comœdiam ad inſtantiam *primorum* confluentium.

„ Sed reſpondeo, non licere de uno „ caſu argumentum ad alium, cum inter „ utrumque ſit valde diſpar ratio: nam „ quando plures ſimul cœnant, & invitans licite cœnat, cum illa die ex hypotheſi non teneatur jejunare; invitatus „ autem illicite cœnat, cum ex hypotheſi „ teneatur jejunare: quare unuſquiſque „ ſuam cœnam manducat; & ideo non „ uniuntur formaliter in eadem actione „ peccaminoſa: at vero ſi invitans teneretur etiam ipſe jejunare, argumentum „ *P. Ferrantini* non haberet locum: quare non ſic in auditione Comœdiæ illicitæ: nam primi generis ſpectator peccat, tum quia dat cauſam hiſtrionibus, „ tum quia conſentit obſcœnitati gravi, „ & condelectatur in illa: & etiam ſecundi generis ſpectator, eſto non det „ cauſam Comœdiæ, condelectatur tamen, & conſentit. Ergo peccat.

„ Sed falſum eſt hunc ſecundi generis „ ſpectatorem non cooperari. Quod ſic „ probo. Ponamus v. g. ad transferendum magnum lignum, ſeu lapidem requiri decem homines motores, & ſuf-

„ ſicientes ad trahendum: ſi dum trahi„ tur lignum addantur, & accedant „ duo alii homines, & uniantur cum il„ lis primis decem, & lignum ſimul tra„ hatur ab omnibus, ſeu transferatur in „ locum ſuum, nemo negabit translatio„ nem eſſe cauſatam a duodecim moto„ ribus, licet a principio determinatum „ ſolum fuiſſet, ut fieret ſolum a decem „ concauſis ſufficientibus. Et ratio eſt, „ quia ut concauſæ aliquæ producant „ hunc, vel illum effectum, non eſt ne„ ceſſe ut ſint tot, & non plures: ſed „ ſi plures ſint, dummodo omnes, & „ ſingulæ influant, & ut in exemplo al„ lato trabem impellant, & transferant „ ſingulæ pro ſua parte. Ad hanc veri„ tatem probandam multa poſſunt oc„ currere exempla, quæ quotidie ſunt in „ praxi. V. g. in Capitulo, vel Con„ gregatione viginti electorum ſi concur„ rant undecim, ſufficiunt ut electio ſit „ valida: & ſi concurrant duodecim ad„ huc erit valida, & plures erunt con„ cauſæ, quam ſufficiant, & omnes co„ operantur.“ (Exemplum P. Segneri ſupra allatum de illis, qui præſentes ſunt proditioni contra Principem, luculentius rem explicat.)

„ Similes Hiſtriones non ſolum mo„ ventur, & determinantur ad actionem; „ quia ſpectatores *primi generis* ſolvunt „ pecuniam ſufficientem, audiunt, ri„ dent, plaudunt, & declamant; ſed „ etiam quia ſpectatores *ſecundi generis* „ eadem præſtant, cujus rei ſignum eſt, „ quod Hiſtriones non ſtatim, ac completus „ eſt numerus auditorum *primi generis*, „ incipiunt comœdiam, ſed moram tra„ hunt, & expectant Auditores *ſecundi* „ *generis*, a quorum pecunia, riſu, plau„ ſu, & audientia etiam moventur, ut „ recitent comœdiam. Ergo nulla di„ ſtinctio, & ſic omnes cooperatores „ ſunt, & peccant. At ſi qui latenter „ adeſſent, ita ut nullo modo influerent, „ neque pecunia, neque riſu, neque plau„ ſu, neque manifeſta præſentia, quia „ latent, certum eſt, quod etiam iſti „ nihilominus *peccarent mortaliter* con„ ſenſu, & complacentia notabilis ob„ ſcœnitatis.“

III. Hactenus P. Hieronymus Florentinus, qui in ſuæ doctrinæ confirmationem cujuſcumque Religionis Theologos adducit, eorumque teſtimonia reſcribit. Citat enim Azorium, Emanuelem Sa, Sanchez, Filliucium, Comitolum, Valerium, Reginaldum, Baldellum, Luiſium Turrianum *in Summ. Theol. Mor. p. 1. de virt. & vitiis cap.* 285. *num.* 5. ubi hæc ſcribit: *Hiſtriones hujus temporis ſunt in ſtatu peccati mortalis, neque poſſunt abſolvi, quando habent animum perſeverandi. Et num. 6. Neque admittendi ſunt ad Communionem, eo modo quo fiunt in HISPANIA non ſunt licitæ.* Idem prorſus dicito de comœdiis, quæ fiunt in Italia, in Germania, Gallia, Anglia, cæteriſque Europæ locis.

IV. P. Cæſar Franciotti ejuſdem Congr. M. D. in opere *de inſtitutione juvenis Chriſtiani cap.* 15. hanc theſim demonſtrandam ſuſcipit, lingua Italica, & a me latina redditam. *Rationibus evincitur inſpectores comœdiarum noſtri temporis peccare mortaliter*. Non de antiquis, ſed de ſui temporis comœdiis loquitur. Ad hanc veritatem confirmandam, ſe pluribus moveri rationibus teſtatur. *Et primo*, inquit, *quod videam, homines reperiri adeo Chriſtiano lumine deſtitutos, ut ejuſmodi obſcœnitates licitum, honeſtumque juvenum ſolatium reputent; cum vel ipſorum juvenum confeſſione conſtet, vix unquam comœdias frequentari, abſque voluntate audiendi laſcivum ſermonem, videndi res libidinoſas, delectandi actione turpi: neque inde diſcedi, quin pluribus, & quidem pluribus culpis lethalibus animus onuſtus ſit. Secundo ad hoc me urgent, quorumdam piorum hominum vota, qui cum in communi ſermone rationes obtrudi audiant, quæ honeſtas, licitaſque comœdias oſtendere videntur, habere in promptu vellent, quid reſpondendum contrariæ opinionis patronis, quidque pro veritatis defenſione opponendum ſit. Tertio, ut hunc laborem ſuſcipiam, utilitas, quam ex profectu juvenum, quorum plurimi ex comœdiarum præſtigiis extremam ſubeunt jacturam, reportare confido, me cogit* &c. Evincit vero, inſpectores comœdiarum ſui temporis triplici argumentorum genere peccare mortaliter, ratione videlicet occaſionis, cooperationis, & ſcandali. Quæ cum ſint communia & toties repetita, prætereo. Fatetur, ſe hæc omnia hauſiſſe ex ſermone *P. Petri Ceſani*

ſani ejuſdem Congregationis, allegatque aliorum Theologorum communem conſenſum.

§. UNICUS.

Conſectarium ſerio meditandum.

I. MUlti ex Caſuiſtis, quos allegat P. Hieronymus Florentinus, ambigue loquuntur, & de more variis diſtinctiunculis Chriſtianam doctrinam obſcurant, & corrumpunt. Convenit tamen communiter, vel penes ipſos benignioris laxioriſque Ethices Patronos, Comicos, & Comicas amoris cauſam in Theatro repræſentantes peccare mortaliter; & ejuſdem mortalis noxæ fontes pronunciant ſpectatores, quos tribuunt in claſſes duas. In priori collocant illos, qui numerum conflant ſufficientem ad mercedem ſolvendam comœdis, ſine quibus recitari comœdia non poſſet. Propterea hi ſunt, inquit *P. Antoninus Diana* cum quibuſdam aliis Benigniſtis, cauſa *determinativa* Actionis Theatralis, & cooperantur peccato Hiſtrionum. Poſterioris claſſis ſpectatores immunes a culpa aſſerit, quod ſuperveniant priori numero, atque adeo non dent actioni cauſam.

II. Ut conſuetam calumniam, quod Caſuiſtis imponam, profligem, recitare lubet ipſius Dianæ verba ex *tom.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 27. ubi inquit: „ Poſſunt conſiderari „ duo genera ſpectatorum. Primum eſt „ eorum, qui confluunt in Theatrum „ *primi*: alterum, qui *poſtremi*. Primi „ omnes *mortaliter* peccant, audita etiam „ *una Comœdia* tantum: quia ipſi „ ſunt motivum, ut hic & nunc fabula „ agatur; Comœdus enim ſine ſufficienti „ Auditorio non aget fabulam. Hoc „ autem ſufficiens Auditorium conflant „ primi. Quando enim ſunt ſatis multi, „ propter illos ſolos agetur fabula, quamvis „ nullus adſit alius. Ergo omnes illi, „ qui ſunt cauſa per ſe illius actionis, „ *peccant mortaliter*. Tandem probo, „ ſingulos peccare, etiamſi poſtremi „ adveniant: quia Hiſtrio conſpicatus „ Auditorium integrum, illo movetur ad „ agendam fabulam hic & nunc, quam „ vult agere propter omnes illos, qui pecuniam „ ſolverunt pro illa audienda; „ quia omnes illi *collective* accepti ſunt „ objectum adæquatum illius actionis quæ „ tunc propter omnes exercetur &c.

„ Non deſinam tamen hic adnotare, „ negativam ſententiam ex parte docere „ Nicolaum Baldellum . . . ubi ſic ait: „ Puto univerſaliter *peccare mortaliter*, „ qui ſcientes turpitudinem, & obſcœnitatem „ comœdiæ, *primi* ad illam confluunt; „ quia revera per ipſos eſt, ut „ comœdia detur. Poſtquam vero ſufficiens „ numerus jam confluxit, & externo „ peccato Hiſtrionum eſt data ſufficies „ cauſa, non videtur ex hoc capite „ damnandus, ſi quis alius accedat, „ quia non amplius eos fovet in peccato. “ Hæc ſecunda Baldelli opinio Dianæ arridet: ideo eam confirmat *Reſ.* 28. inquiens: „ Sed a multis per litteras rogatus „ fui, cum caſus *quotidie accidat*, ut „ ſi Auctores contrarium ſentientes haberem, „ palam facerem. Libenter itaque „ eis aſſentior. Ideo primo adducam „ contra ſupradictos, duos alio Commilitones „ ex eadem Societate Jeſu. Sic „ itaque aſſerit P. Bardi (Præceptor „ Tamburini:) Spectatores poſſunt dupliciter „ ſe gerere in hac re. Primo „ poſſunt ſe habere antecedenter &c. . . „ Secundo poſſunt ſpectatores ſe habere „ concomitanter, ſeu ſubſequenter . . . „ Et hi poſſunt excuſari a peccato, quia „ non habent influxum in recitationem „ illam. Ceterum hoc *ſpeculative* videtur „ certum, *practice* tamen eſt res valde „ periculoſa &c.

„ Sed magis ample & benigne tractat „ difficultatem *P. Ferrantinus* . . . . ubi „ ſic aſſerit: Hurtadus exiſtimat peccare „ ſcandalo gravi omnes, qui pecuniam „ dant Hiſtrionibus pro pretio audiendæ „ comœdiæ . . Verum hæc opinio licet „ pia, & tutior, videri tamen poſſet „ alicui *ſatis ſcrupuloſa*, *& rigida*. „ Et ideo ſi fieri poteſt, juvandum eſt, „ ut tales pecuniam tribuentes Hiſtrionibus „ a peccato mortali excuſentur. “

III. Quam vana, & ridenda ſit diſtinctio iſta, nemo non videt. Numquid adeuntes Theatra inſtituere ſupputationem ſpectatorum debent? Quis conſtitutus judex eſt, ut definiat, hunc & non alium Spectatorum numerum ſufficere ad congruam mercedem Hiſtrionibus, ſeu Theatrorum conductoribus ſolvendam? Riſum ſimul, & lacrymas hæc commenta chimerica exprimunt. Riſum, quia nimis

 levia:

levia: lacrymas, quia nimis antievangelica. Adeo luculentum & evidens vel ipſis laxioris Ethices patronis eſt, Comœdos, Actores nempe, & Actrices ætatis noſtræ peccare mortaliter, ut ne vocare quidem in diſputationem id audeant. Hinc neceſſario, ipſis fatentibus, conſequitur, peccare mortaliter Spectatores, quia iſtis abſentibus repræſentare comœdiam Hiſtriones minime queunt. Commentum quod excogitarunt dividendi ſpectatores in claſſes duas, vanum, & communi ſenſui adverſum eſt. Ergo ſecundum vel ipſos laxiores Caſuiſtas, nedum Patres, & Theologos graviores, Spectatores omnium Theatrorum, in quibus viri, & mulierculæ cauſam amoris, vel odii perorant voce, geſtibus, nutibus, corporumque agitatione, cantus, & ſonitus modulatione, ut corda humana commoveant, emolliant, illiciantque, peccant mortaliter.

IV. Quæ cum ita ſe habeant, quis nunc non miretur tremendam illam, formidandamque ignorantiæ caliginem, qua circumfunduntur mundani homines? Adeo iſti obcæcati ſunt, ut peſtiferam corruptelam tamquam innoxiam immaculatamque conſuetudinem propugnent. Vociferantur nihil mali eſſe Theatra frequentare cujuſcumque ſtatus homines, etiam moratæ conſcientiæ, immo Sacerdotes, & altioris dignitatis viros. Quid? Damnabiſne, inquiunt, omne humanum genus? Hæc ſunt cæcitatis portenta, quibus Demon faſcinat mundum. Vaferrimum ſophiſma ſibi opponit Auguſtinus, inquiens: *Nonne omnes ſic faciunt? Quis eſt, qui non faciat? Numquid omnes damnaturus eſt Deus?* Quid reſpondet? *Magna tentatio.* At numquid multitudine mendacium defendis? An non clamat Scriptura: *Ne ſequaris multitudinem ad peccandum?* Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe, quod publicum eſt. Et hoc eſt tremendiſſimum cæcitatis, & ſoporis flagellum, quo vapulant effeminati homines. Non prævaricantis multitudinis corruptelæ, ſed Evangelicæ legis ſpiritus, & baptiſmalis profeſſionis ſenſus ſunt morum noſtrorum norma, & ſcopus. Revolvito ſacroſancta Evangelia, Apoſtolorumque Epiſtolas, ad quarum amuſſim judicandus eris. Percurrito Patrum, & inſignium Theologorum volumina. Conſulito ipſum communem ſenſum præjudiciorum vacuum; & inde colliges manifeſte, præfata ſpectacula cum caſtitate, cum humilitate, ceteriſque Chriſtianæ profeſſionis virtutibus hoſtiliter pugnare. Quod homines nihil prorſus ſibi conſcientiæ vertant Theatra frequentare, hoc eſt, ut dixi, ultimum cæcitatis, & obdurationis ſupplicium ingens, & vehementiſſime formidandum.

CAPUT XVIII.

SS. Patres docent ſpectatores turpium Comœdiarum, & Theatrorum peccare mortaliter, potiſſimum ob præſentiam, qua probant Hiſtrionum, aliorumque adſtantium flagitia.

I. CApite ſuperiore Caſuiſtarum benigniorum auctoritate oſtenſum eſt; ſpectatores comœdiarum peccare mortaliter, quod propria præſentia probant, & confirmant Hiſtrionum, & ceterorum omnium, quæ ibi committuntur, flagitia. Plures non indoctos modo, verum etiam doctos eruditoſque viros audivi aſſerentes, SS. Patres haudquaquam definire criminis gravitatem, que in ſpectandis obſcœnis Theatris patratur. Ultro fatentur, & comœdos, & moraliter loquendo, majorem, aut ſaltem magnam ſpectatorum partem mortaliter in tali occaſione conſtitutos peccare. Ergo neceſſario conſequitur peccare omnes: quia ceteri, qui non peccant ſe de rebus obſcœnis ibi repræſentatis delectando, ſuntque veluti æneæ ſtatuæ, & ſupra omnes humanorum ſenſuum, & concupiſcentiæ turbidos motus conſtituti, ſciuntque certo diſtinguere delectationem ſolius repræſentationis a delectatione de re repræſentata, peccant graviter, propterea quod approbant ſua præſentia peccata mortalia Hiſtrionum, & aliorum. Hæc conſequentia extra controverſiam poſita, & ineluctabilis eſt. Nonne, ut alias diximus, peccant mortaliter, qui duorum vel plurium duellum ſpectant, quo de morte corporis certatur? Et mortaliter non peccabunt, qui læti & exultabundi ſpectant duellum & ſtragem animarum, quam fieri in Theatro vel ipſi fatentur?

II. At Patres, inquiunt, non declarant, ſpectatores Theatrorum peccare mortaliter. Qui hoc ſibi perſuadent, audiant S. Joannem Chryſoſtomum, qui

Homil.

ſ*Homil.* 38. *in c.* 11. *Matth.* primum peccata Theatrorum perſtringit, & poſtea hæc in omnium ſpectantium capita revocari docet. *Nam fornicatorii cantus multo magis quam ſtercora ſunt abominales. Quodque ægrius ferendum eſt, non ſolum nullam talia audientes moleſtiam ferunt capitis, veram etiam ridetis, atque letamini . . . Dic mihi, oro, cum blaſphemantes audis gaudes, atque exultas, an potius perhorreſcis, aures obſtruis? Non dubito, quin perhorreſcas. Quamobrem? Quia videlicet numquam tu blaſphemare ſoleas. Pariter ergo in turpiloquio etiam facito, ſi perſuadere nobis omnino vis, non libenter turpiſſima verba te proferre: tunc tibi credimus, cum nec audire quidem proſpeximus. Nam quomodo virtutem colis, qui hæc audiendo enutris? Quomodo caſtimoniæ arduos perferre labores poteris, qui riſu diffluis, & CANTU MERETRICIO CAPERIS? . . . Non audiſtis Paulum dicentem: Gaudete in Domino? In Domino dixit, non in Diabolo.*

III. Hæc meditentur qui Theatra ſe adire ajunt, ut *fornicatorio cantu*, & *muſica meretricia* aures demulceant. Muſica ſacra, qua Dei & Sanctorum celebrantur laudes, quæque hodie in Eccleſiis plus juſto ſane, non ſine ſcandalo alicubi reſonat, haudquaquam delectantur. Fornicatoriam Mimorum, & Mimarum muſicam, qua Cleopatræ, Meropæ, Semiramidis, Sofoniſbæ, & ceterarum ſimilium muliercularum, & ſcortorum extolluntur facinora amatoria, audire volunt, quia hinc dulciſſimam capiunt voluptatem. Et hoc innocens eſſe ſolatium effutire illos minime pudet. Sed pergit Chryſoſtomus ibidem.

IV. *Cuncta enim ſimpliciter, quæ ibi fiunt, turpiſſima ſunt: verba, veſtitus, tonſura, inceſſus, voces, cantus, modulationes, oculorum everſiones, ac motus, fiſtulæ, tibiæ, & ipſa fabularum argumenta: omnia, inquam, turpi laſcivia plena ſunt. Dic ergo quando a tanta fornicationis immunda cupidine, quam tibi Diabolus infundit, te ipſum recipies, atque reſipiſces? Non enim ignoramus quot ibi fornicationes peragantur, quot adulteriis matrimonia maculentur, quot viri muliebria patiantur, quot juvenes effeminentur, cuncta iniquitatis SUMMÆ, cuncta prodigiorum, cuncta impudentiæ plena ſunt . . . Nam ſi poſſem nomine omnes appellare, cito tibi oſtenderem. Quot quaſi captivos ſcorta inde abduxerunt, quot ab uxoribus abſtraxerunt.* (Quot & ego nomine appellare poſſem Cantatricium, & Saltatricium faſcino captos?) *Otioſa enim juventus in hujuſmodi malis educata omni ferociſſima beſtia immanior eſt . . . Quid dicam quod ad Diabolicas has ſodalitates innumeras multi conſumunt pecunias? Quid de aliis malis?* Ultimum tandem aſylum Chryſoſtomus penetrat, quo ſe recipere ſpectatores Theatrales conantur. Arrigant aures, animumque ad ea, quæ ſequuntur, intendant.

V. *Sed ego, inquies, oſtendam multis hujuſmodi ludos obfuiſſe.* Audi reſponſum: *Immo vero id maxime nocet, quod fruſtra, & incaſſum tempus conſumis, & ſcandalum aliis offers. Nam etſi tu quodam excelſi animi robore nihil inde tibi mali contraxiſti; attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tui ſpectaculorum ſtudioſos feciſti, quomodo non ipſe malum contraxiſti, qui cauſam mali committendi aliis præbuiſti? Qui enim ibi corrumpuntur tam viri, quam mulieres, OMNES CORRUPTIONIS CRIMINA, ET CAUSAM IN CAPUT TUUM TRANSFERUNT. Nam quemadmodum ſi non eſſent qui ſpectarent, nec eſſent etiam, qui luderent; ſic quoniam interſunt, cauſaque peccatorum, quæ committuntur, ignem etiam patiuntur. Quare quamvis animi tui modeſtia effeciſti, ut nihil tibi inde obfuerit, quod ego fieri poſſe non arbitror: quoniam tamen alii cauſa ludorum multa peccarunt, graves propter hoc pœnas lues.*

VI. Hanc eadem doctrinam Chryſoſtomus *Homil.* 6. *in cap.* 2. *Matt.* repetit & altius inculcat, ubi, *Diabolus*, inquit, *in Urbibus Theatra conſtruxit, & illos riſuum, & turpium voluptatum incentores paravit, & per illorum luem in univerſam Urbem talem excitat peſtem . . . . . Quando enim Mimi illi, atque ridiculi blaſphemum ac turpe quid dixerunt, tunc potiſſimum quique ſtolidiores ſolvuntur in riſum: inde applaudentes magis, unde etiam lapidibus illos exagitare debuerant, qui fornacem ignis horribilis ex hujuſmodi voluptate IN SUUM IPSORUM CAPUT SUCCENDUNT. Qui enim laudant iſta diſcentes, ipſi eis hæc exercere perſuadent; & idcirco ipſi potius propter hæc merentur quod ob iſta ſancitum eſt ſupplicium.* (Laudant autem, & plaudunt omnes,

nes, qui ſua præſentia illa fovent.) *Si enim* (pergit ille) *nullus eſſet talium ſpectator, ac fautor, nec eſſent, qui aut dicere illa, aut agere curarent. Quando vero vos cernunt, & artes proprias, & ipſa exercendi quotidiani operis loca, & illum, quem ex his paratis quæſtum, & prorſus omnia ſimul vaniſſimi illius ſpectaculi amore deſerere, avidiori & illi ad hoc intentione rapiuntur, ſtudiumque his majus intendunt. Et hæc dico, non ut illos a crimine videar vindicare, SED UT VOS DISCATIS, INITIUM, ET CAPUT INIQUITATIS HUJUS VOS ESSE POTISSIMUM . . . Non enim tam ille delinquit, qui illa ſimulat, quam TU præ illo, qui hoc fieri jubes* (utique mercedem ſolvendo, & adſtando.) *Nec ſolum jubes, ſed etiam exultatione, riſu, plauſu adjuvas quæ geruntur, omnibuſque prorſus modis HANC DIABOLICAM CONFOVES OFFICINAM. Neque vero iſtud mihi opponas, quod jam quidquid ibi fit ſimulatio, & fictum argumentum ſit, non etiam veritas rerum. Etenim ſimulatio iſta plurimos adulteros fecit, & multas domos ſubvertit; PROPTEREA MAXIME GEMO, QUOD TAM GRANDE MALUM HOC, MALUM ESSE NON CREDITUR; ſed, quod eſt multo deterrimum, & favor, & clamor, & plauſus adhibetur, & riſus; cum in communem perniciem adulterium tam turpe committitur. Quid ergo ais, ſimulatio eſt illa, non crimen? Et propterea mille MORTIBUS digni ſunt, quoniam quæ fugere cunctæ prorſus imperant leges, ea iſti non verentur. Si enim adulterium malum eſt, malum eſt ſine dubio ejus imitatio. Et non dico quantos adulteros, qui hujuſmodi adulteria Hiſtrionica ſimulatione repræſentant, quemadmodum etiam impudentes horum ſpectatores efficiant. Nihil quippe obſcœnius illo oculo, nihilque laſcivius, qui ſpectare tali patienter poteſt, ne dicam libenter.*

VII. Rurſus Chryſoſtomus *Homil. de David, & Saule* illorum refellit excuſationes nugaciſſimas, qui leve & veniale eſſe crimen contendunt Theatra ſpectare. *Et quid hic, inquiunt, MAGNI SCELERIS commiſſum eſt, ut ab iſtis ſacris cancellis arcendi ſint? Immo quod delictum HIS GRAVIUS quæris? . . . Quod ſi mulier ſponte, ac forte in foro obvia, & neglectius culta ſæpe numero curioſius intuentem cepit ipſo vultus aſpectu: iſti, qui non ſimpliciter, neque fortuito, ſed ſtudio . . . . in facies feminarum illarum nobilium defixos habent oculos; qua fronte poterunt dicere, quod eas non viderint ad concupiſcendum?* (Plures non curant Mimicas & fictas repræſentationes ſpectare ſcenarum, quia in pulpitis cum amaſiunculis Veneris negotium voce, aſpectu, quo ad locus permittit, tractant, & alibi exequendum machinantur, & peragunt.) *Ubi verba quoque accedunt fracta, laſcivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitantes, ubi ſtibio picti oculi, ubi coloribus tinctæ genæ, ubi totius corporis habitus fucorum impoſtura plenus eſt, aliaque multa lenocinia ad fallendos ineſcandoſque intuentes inſtructa: ubi ſocordia ſpectantium, multaque confuſio, & hinc naſcens ad laſciviam exhortatio, tum ab illis, qui ſpectaculis interſuerunt, tum ab iis, qui quæ viderunt in ſpectaculis, poſt aliis enarrant. Accedunt huc irritamenta per fiſtulas, ac tibias, aliaque hujus generis modulatio in fraudem illiciens, mentiſque robur emolliens, ac meretricum inſidiis, delectatione præparans illic deſidentium animos, efficienſque ut facilius capiantur. Etenim ſi hic ubi pſalmi, ubi Divinorum verborum enarratio, ubi Dei metus, multaque reverentia, frequenter, ceu latro quiſpiam verſutus, clam obrepit concupiſcentia, quomodo qui deſident in Theatro, qui nihil ſani neque audiunt, neque vident, qui undique obſidionem patiuntur per aures, per oculos, poſſint illam ſuperare concupiſcentiam? . . . . . Quapropter equidem hortor, rogoque, ut prius CONFESSIONE, AC PŒNITENTIA, ALIISQUE REMEDIIS OMNIBUS ſe ſe a peccato ex Theatricis ſpectaculis contracto perpurgent, atque ita divinos audiant ſermones.* (Diſciplina Confeſſionis venialium tum non obtinebat.) *NEQUE enim hic MEDIOCRITER a vobis DELINQUITUR. Id, quod vel ab exemplis cuivis perſpicue videre licet . . . Non metuis, non expaveſcis . . . . dum auribus eiſdem audis & ſcortum obſcœne loquens, & Prophetam, Apoſtolumque ad arcana Scripturæ introducentem: dum eodem corde & LETHALIA SUMIS VENENA, & hanc hoſtiam ſanctam, & tremendam? . . . . Hæc nunc ad veſtram charitatem dicenda putavi, nec unquam dicere ceſſabo.*

VIII.

VIII. Duplici ex capite Chryſoſtomus petit Theatrorum Spectatores. Primo evincit illos graviter peccare, quod re ipſa de rebus ibidem repræſentatis delectentur, ſive de cantu fornicatorio, & de muſica meretricia; ſive de adulterio, de fornicatione, & ceteris amatoriis factis a mimis vivide expreſſis; ſive de aſpectu mulierum nobilium, aliarumque laſcive ornatarum illuc confluentium. Secundo, dum teſtantur ſe excelſo animo, & invicto robore præditos nullam ſe maculam contrahere, quamvis nullam eiſdem adhibeat fidem, ut nulla ad effugium rima pateat, ex altero latere aggreditur ineluctabiliter hoc pacto: Eo unice ars Theatralis ſua collineat ſtudia, & præſtigia, ut ſpectantium oculos, aures, concupiſcentiam demulceant, arment, irritent, & amore, ut ita dicam, liqueſcentes efficiant Auditores. Quod adeo verum eſt, ut Mimæ, & Mimi, qui non permovent, non alliciunt, non delectant, non titillant Auditorum corda & appetitiones, rejiciantur ut ineptæ, & inepti; qui vero, & quæ ciendorum affectuum vi, & artificio pollent, ingenti aureorum penſione conducuntur. Hinc eſt, quod Mimi iſti, & Mimæ, Cantatrices, & Saltatrices lethaliter peccant, earumque artem ut infamem, turpem, obſcœnam, antichriſtianam omnes leges, omnes populi execrantur. Accedit, quod communiter homines ad vitia proni ſunt, imbecilles, & æſtu libidinis furentes; atque adeo plurimi in Theatro peccant. Porro hæc omnia peccata & Hiſtrionum, & Spectatorum in caput cujuslibet adſtantis, tametſi aliunde nullo pravo affectu inquinati revolvuntur, & recidunt: quoniam quiſque ſua præſentia fovet, probat, confirmatque profeſſionem infamem, quæ eo tendit, ut ad peccandum alliciat, & invitet, ut dictum alias, & repetendum ſæpius eſt. Ergo, inquis, etiam omnes, qui promiſcuis virorum, & mulierum converſationibus, ludis &c. interſunt, graviter delinquunt, cum certum moraliter ſit plura ibidem patrari flagitia. Quid, ſi totum concederem? At latiſſimum eſt diſcrimen. Nulla lex infamem hactenus ejuſmodi converſationem declaravit. Nemo ibi, ſive vir, ſive mulier rem amatoriam repræſentat; nemo artificia adhibet, ut concupiſcentiam provocet: nulla ibi Mima, nullus Mimus. Ut toties dixi, omnia Theatrorum præſtigia ſimul accepta conflant maleficium Theatricum. Abſit tamen, ut probem promiſcuas virorum, & mulierum converſationes hodiernas, quas animarum laqueos reputo, & civilis regiminis perturbatrices. Id ſolum aſſero, maximum eſſe converſationem virorum & feminarum inter, & Theatra Mimorum, & Mimarum diſcrimen.

IX. Eamdem ac Chryſoſtomus doctrinam ceteri Patres unanimi conſenſu docent. Tertullianus *de ſpect. c.* 15. inquit: *Nam & ſi qui modeſte, & probe ſpectaculis fruitur pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt ſine TACITA ſpiritus paſſione. Nemo ad voluptatem venit ſine affectu: nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur . . . . . Ceterum ſi ceſſat affectus, ceſſat voluptas; & eſt jam reus ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil conſequitur . . . Quid quod re judicat inter eos poſitus, quorum ſe ſimilem nolens, utique deteſtatorem confitetur? Nobis ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale facimus, niſi & talia facientibus non conferamur.* Si furem (inquit *pſal.* 49.) videbas, concurrebas cum eo. *Utinam ne in ſæculo quidem cum illis moraremur. Sed tamen in ſæcularibus ſeparamur: quia ſæculum Dei eſt, ſæcularia autem Diaboli.*

X. Viden? *Peccas*, inquit Tertullianus, quamvis expreſſe te delectari de Comœdia non advertis: quoniam niſi ſtultus eo convenit plures inſumpturus horas, ubi nullam capit voluptatem. Voluptatem te habere negas: ſed cum reipſa Theatro aſſiſtis, *tacite* probas, & re confirmas, quod ore negare contendis. Quamobrem mentitur iniquitas ſibi. Ceterum ſi ex hoc capite victas dare manus renuis, graviſſimum patras ſcelus, quod illos tua præſentia foveas, quos infames, ſceleſtoſque confiteris. *Si videbas furem*, inquit, *concurrebas cum eo*. Cedo: ſi furem præſentia tua animares ad furta committenda, an lethaliter non peccares, & reſtitutioni obnoxius non eſſes? Mimi & mimæ fures ſunt pudicitiæ, honeſtatis, & animarum. Veneris peſtem ut propagent, non eloquentiæ, non geſtuum, non oculorum faſciniis parcunt. Tu iſtos & præſen-

ſentia, & plauſu foves, & mercedis ſolutione alis, & nutris. Et horum ſcelerum, & eorum, quæ inde ſequuntur particeps non eris? Fatuus ſolus inficiari hoc poteſt. Audias iterum Tertullianum *cap.* 22. te ſtultitiæ, & perverſitatis reum increpantem: *Etenim ipſi Auctores, & Adminiſtratores Spectaculorum, ſcenicos ... damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes Curia, roſtris, Senatu, Equite, ceteriſque honoribus omnibus ſimul ac ornamentis. Quibus quanta perverſitas? Amant quos mulctant; depretiant, quos probant: Artem magnificant; Artificem notant. Quale judicium eſt, ut ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur?*

XI. Mitto Cyprianum, ceteroſque Patres, qui non ſecus ac Chryſoſtomus, Sacramentis arcent fideles Theatrorum Spectatores. Paucis nunc illos alloqui liceat, qui damnari quidem peccati a Patribus fatentur Comœdiarum, & Tragœdiarum Spectatores; at ſubdunt, Patres non definire, ſit ne peccatum mortale, vel veniale. Indefinita ergo malitia illius actionis eſt ipſis fatentibus. Peccant itaque lethaliter, ob hoc ſolum, quod venenum ſponte bibant, ignorantes, mortale ne ſit, an veniale. Ceterum Patres non definiunt grave patrare ſcelus Comœdiarum Spectatores? Qui talia ſomniant, numquam ſe legiſſe intento animo Patrum Opera produnt. Annon ajunt Patres *lethalia venena* Spectatores illos epotare? An non definiunt arcendos ab altari, ab audiendo Dei verbo ejuſmodi Spectatores, niſi prius pœnitentiæ contracta crimina eluerint, & a tanta perverſitate receſſerint? Quid? Patres non definiunt criminis gravitatem? Verum habet, quia Patres exerte clamant, exprimi vix poſſe tantæ corruptelæ malitiam, nec unum patrari flagitium, ſed plurima. Clamant, Theatra eſſe *Veneris Sacrarium, Conſiſtorium impudicitiæ, Congregationem Satanicam, Cathedram peſtilentiæ, fornicationum, & adulteriorum ſentinam, conciliabulum iniquitatis, Dæmonum caſtra*, in quibus Mimi & Mimæ infernalis malitiæ Duces univerſale bellum Evangelio intentant: non unum adoriuntur ſenſum, ſed omnes maleficio inficiunt, animum emolliunt, mentem excantant, virtutes omnes & Chriſtianam ſanctitatem in deriſionem & contemptum adducunt: flagitia fere omnia, fornicationes, adulteria, lenocinia, deſidiam, mollitiem, luxum, faſtum, pompas mundanas, ambitionem, ſuperbiam, quid non? triumphantes extollunt, & ad hæc amplectenda ſuadent, perſuadentque. Utique Patres diſtinctione peccati mortalis, & venialis non utuntur. At nec eam adhibent, cum perjuria, blaſphemias, adulteria, ſtupra, furta, homicidia improbant. Non ergo mortifera crimina hæc erunt? An mitius Patres Theatrica flagitia, quam fornicationes, perjuria, & blaſphemias, ceteraque capitalia delicta execrantur? Quin altius contra Theatra, ceu omnium vitiorum & ſcelerum lutulentiſſimos fontes zelum accendunt, vocis ſonitum extollunt, detonant, invehuntur, quam adverſus hoc, aut illud peculiare crimen. Hæc omnia perſpicua, & luculenta ſunt. Verum enimvero Theatrorum defenſores tali ſunt maleficio, & faſcinio carnalis voluptatis dementati, ut nullo ſanari remedio, nulla revinci argumentatione, tametſi evidentiſſima queant. Nullum quippe vitium adeo mentem excæcat, & cor humanum indurat, & a Deo avertit, ac carnalis voluptas, quoniam nihil magis ſpiritui quam caro opponitur.

XII. Quid? Theatra adire, choreas ducere, converſari promiſcue viros inter & mulieres, vetitum eſt? Quid hominis eſt, qui talia docet? Solitariam ne Chriſtiani vitam agent omni recreatione ſublata? Utinam datum mihi eſſet, hæc, aliaque Chriſtianorum oblectamenta & gaudia innoxia reddere, & hujus peregrinationis & exilii breviſſimi pœnas, ærumnas, & miſerias de medio tollere. At nemo hactenus Mundi illecebras ſociare cum Chriſti Cruce, & Evangelica Morali didicit. Audi Chryſoſtomum, qui *Homil.* 38. *in c.* 12. *Matt.* hæc omnia ſibi opponens, quæ ſint Chriſtianorum ſolatia manifeſtat. *Cum recreare animum volueris, poteris hortos petere, fluentes rivos conſpicere, ingentes lacus conſiderare, amœna cernere loca, cicadas audire canentes, in templis Martyrum converſari ... Habes uxorem, non cares liberis, abundas amicis, quæ omnia delectationem honeſtam, & emolumenta nonnumquam ſolent præbere. Quid enim liberis ſuavius? Quid uxore caſta, moderato, & tem-*

temperanti marito dulcius? Barbari quidem ipſi, cum Theatralibus his ludis, & importuna delectatione fabulari audiſſent, dixiſſe feruntur verba omnibus inſtitutis Philoſophiæ digniſſima. Romanos enim, dixerunt, quaſi liberis, & uxoribus careant, tales ſibi excogitaſſe voluptates. Quibus verbis oſtendebant, nihil uxore modeſta, nihil liberis eſſe poſſe ſuavius ei, qui honeſte vivere velit.

XIII. Quæ ſint Chriſtianorum deliciæ, voluptates, & recreationes ſupra *cap.* 2. *num.* 11. ex Tertulliano deſcripſi, quæ videre poteris, quin illa hic repetam. Pauca ex S. Cypriano delibabo ex *lib. de Spec.* ſub finem. *Habet*, inquit, *Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit: habet veras, & profuturas voluptates, ſi ſe recollegerit, & ut omittam illa, quæ nondum contemplari poteſt, habet is tamen Mundi pulchritudinem, quam videat, atque miretur. Solis ortum aſpiciat, rurſus occaſum mutuis vicibus dies noctesque revocantem, globum Lunæ, temporum rurſus incrementis ſuis, decrementiſque ſignantem; aſtrorum micantium choros, & a ſummo ſumma nobilitate fulgentes: anni totius per vices membra diviſa, & dies ipſos cum noctibus per horarum ſpatia digeſtos; & terræ molem libratam cum montibus, & proflua flumina cum ſuis fontibus; extenſa maria cum ſuis fluctibus, atque littoribus &c. Hæc, inquam, & alia opera Divina ſint Chriſtianis fidelibus ſpectacula. Quod Theatrum humanis manibus extructum iſtis operibus poterit comparari, magnis licet lapidum molibus extruatur? Cruſtata ſunt montium, & auro licet tecta lacunaria reluceant, aſtrorum fulgore vincentur. Numquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognoverit filium Dei. Dejicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ qui admirari aliquid, poſt Deum, poteſt. Scripturis, inquam, ſacris incumbat Chriſtianus fidelis: ibi inveniet condigna fidei ſpectacula.* Hæc ſunt Theatra, hæ Comœdiæ, hæc ſpectacula, quæ Chriſtianis Patres omnes contemplanda proponunt, ut hinc animi recreationem capiant. Chriſtiani, qui in Comœdiis Plauti, Terentii, vel Tragœdiis Cleopatræ, Sophonisbæ, Semiramidis, Meropæ, ceteriſque ſimilibus per Mimos, & Mimas repræſentatis oblectationem quærunt, non Chriſti Crucifixi Diſcipulos, ſed Mundi aſſeclas, & reliquiarum Paganicæ ſuperſtitionis, unde ſuam duxerunt Theatra originem, veneratores ſe perhibent.

CAPUT XIX.

Quam inepte ex Principum permiſſione Theatrorum honeſtas inferatur.

I. PErmittunt Principes Theatra hodierna: ergo licite Hiſtriones comœdias repræſentant, honeſteque eædem ſpectantur. Conſequentia hæc vana, & ineptiſſima eſt. Permittunt Principes meretrices: ergo licitum eſt meretricari? Jure ne, an ſecus permittantur comœdiæ, quas hodie Mimi & Mimæ referunt, mea haud intereſt diſcutere. Abſit a me temeritas tanta, qua limites ſupremæ poteſtatis definire, & circumſcribere audeam. Tranſiliunt ingenioli, & imbecillitatis meæ aciem ſupremæ Poteſtatis vaſta confinia. Principes ea potiſſimum plectere peccata ſolent, quæ directe ſocietatem, & commercium perturbant, ut furta, homicidia &c. Num cetera quoque peccata impedire pro viribus debeant, illi decidant, quorum intereſt, nempe Theologi, Conſultores, & Confeſſarii Principum. Illorum quippe hoc munus eſt. Numquid mihi privato homunculo perſpectæ eſſe perturbationes, & incommoda poſſunt, quæ Theatrorum prohibitionem conſequuntur? Meo ergo judicio ſuppreſſo, hiſtorice dumtaxat reſcribam quæ hoc de argumento Auctores docent, ut hinc Theologi, & Confeſſarii Principum, & Regum colligant, quid ſit, aut non ſit jure permittendum. Hi enim timore recedendi ab Aula ſpreto, & omni humano reſpectu conculcato, patefacere Principibus obſtringuntur quid prohibendum, quid permittendum licite ſit. Meditentur quæ ſupra adduxi. Theologi benigniores, quæ ſequuntur, docent.

II. P. Hieronymus Florentinus Lucenſis Cong. Mat. Dei in ſuo Opuſculo *Theatri contra Theatrum Diſc.* 10. *pag.* 212. *num.* 526. hæc ſcribit: *Principes, & Magiſtratus approbantes, aut etiam permittentes publice comœdias valde obſcœnas, peccant mortaliter.*

III. „ P. Baldellus *num.* 12. loco

 „ quar-

„ quarto dicit nimirum poſſe Principem „ aut Magiſtratum pro aliquo tempore „ ad vitandum majus malum prævisum „ permittere turpes, & obſcœnas comœ- „ dias; & ipſum Principem ita permit- „ tentem non peccare, quia datur per- „ miſſio comparativa, quæ comparata „ ad majus malum vitandum, quamvis „ ipſa permiſſio ſit de actione peccami- „ noſa, non eſt peccatum.

„ Contra iſtam P. Baldelli permiſſio- „ nem P. Joannes Dominicus Ottonelli „ Soc. Jeſu, ſi tamen ipſe eſt, qui vo- „ catur D. Domenigigus Lelonottus a „ Fanano in opere inſcripto *della Cri- „ ſtiana moderazione del Teatro cap.* 4. „ *punc.* 4. *not.* 7. *fol.* 255. propoſuit per „ litteras P. Baldello olim Magiſtro ſuo „ quaſdam rationes Theologo dignas, „ quas ipſe Gloſſam appellat; & P. „ Baldellus illis conſideratis a ſuæ per- „ miſſionis ſententia recedere promit- „ tens, reſpondet, quod inſpectis dictis „ rationibus ſibi per Epiſtolam adductis, „ vere incertum ſibi apparet, an Prin- „ cipes habeant majus malum, quod in „ comparatione illius poſſint permittere „ comœdias, tamquam minus malum: „ & ideo, ſi, inquit, non me pœnitet, „ hoc motivum addam in nova operis „ editione.

„ Hæc Baldellus de ſua illa permiſſio- „ ne, contra quam, ſi forte ſententiam „ non mutavit, quod ego neſcio, liceat „ mihi ad ea, quæ D. D. Domenigigus „ adduxit, ſupperaddere hujuſmodi per- „ miſſionem in praxi eſſe valde diffici- „ lem. Quod ut oſtendam, ſuppono „ majus illud malum, ad quod vitan- „ dum eligitur talis permiſſio, debere „ eſſe malum culpæ: alioquin malum „ pœnæ, quantumvis magnum, num- „ quam poſſet dici majus: nam malum „ culpæ excedit omne malum pœnæ, „ ut Theologi docent communiter: & „ ideo ab homine Chriſtiano deteſtari „ debet ſupra omne aliud malum, ut „ probat inter alios Eminentiſſimus Car- „ dinalis de Lugo *de pœnit. diſp.* 5. *ſect.* „ 2. etiam ſupra pœnam æternæ damna- „ tionis in inferno. *Id. ibid. ſect.* 3. Hoc „ poſito.

„ Mihi rem attente conſideranti oc- „ currit illa peccatorum mortalium mul- „ titudo, & gravitas, quæ morali certi- „ tudine præſupponi poteſt ex iterata „ ſpectaculorum repræſentatione intra „ paucos carnis privii dies, quos Baldel- „ lus in dicta reſponſione aſſerit eſſe tem- „ pus ſuæ aſſertæ permiſſionis. Nam in „ ſententia præſertim ipſius certum eſt, „ quod peccant mortaliter in primis „ Actores, ut *num.* 1. & 2. probat „ idem Auctor. Deinde *peccant omnes* „ *& ſinguli ſpectatores, qui dant cau-* „ *ſam*, & procurant modo ab ipſo ex- „ plicato *num.* 8. & 6. ut Hiſtriones „ recitent: & tertio peccant etiam illi, „ qui licet non dent cauſam illi actio- „ ni, quia tamen non ſunt omnino ita „ fortes, & ea virtute præditi, ut peri- „ culo expoſiti reſiſtant impuris illece- „ bris, ſed ſibi male blandientes turpi- „ tudini conſentiunt. Quare tot, & „ tam ingenti gravium peccatorum nu- „ mero ſimul conſiderato, & comparato „ cum illo imminente malo culpæ, „ quod in Populo contingere poteſt, & „ Princeps intendit evitare, difficile eſt „ æſtimare an hoc, vel illud malum ſit „ gravius, præſertim quia peccata quæ „ fiunt ex cauſa comicæ actionis ſunt „ moraliter certa, & ſimul cum ipſa „ actione exiſtunt: at vero majus illud „ malum, quod a longe prævidetur, „ malum futurum eſt, & impedibile ſal- „ tem a Deo, cujus providentiæ propte- „ rea prudenter eſt committendum, vel „ quod ab ipſo Principe alia ratione po- „ teſt averti, ut ipſe P. Baldellus in „ *dicta requiſitione* fatetur, & ſic incer- „ tum eſt. Et tandem quodam erit hoc „ malum, & in qua ſpecie peccati, „ quod in Populo Chriſtiano ſuo Prin- „ cipi obſequioſo timeri poteſt, & quod „ in ratione mali culpæ præponderare „ debeat tot peccatis Hiſtrionum, & „ Spectatorum? Certe non videtur poſ- „ ſe deſignari. Et poſt hæc ita mecum „ examinata invenio Hurtadum *de trib.* „ *virt. Theol. diſp.* 173. *ſect.* 8. *ſubſec.* „ 11. his verbis meæ ſententiæ adſtipu- „ lantem: *Numquam vidi, neque audi-* „ *vi publice, aut ſecreto, aut in Confeſ-* „ *ſione a me, vel ab aliis excepta ma-* „ *lum aliquod commune vitatum eſſe per* „ *comœdias. Ergo hæc ſententia de per-* „ *miſſione comœdiarum ad aliquod tem-* „ *pus, eſt in praxi difficilis.*

„ Quod vero Principes, & Magiſtra- „ tus nec approbare poſſint abſolute, „ nec permittere poſſint ejuſmodi comœ-

„ dias,

„ dias, probat Baldellus; & ego parti-
„ cularibus Concluſionibus infra confir-
„ mabo *Concl. 9. num. 799.*
„ P. Albertus Soc. Jeſu Tridentinus.
„ Hic Auctor obſervantia mihi, & be-
„ nevolentia conjunctiſſimus in ſuo eru-
„ ditiſſimo libro inſcripto: *Paradoxa*
„ *Moralia de ornatu Mulierum*, ita in
„ ordine ad Principes de hoc argumen-
„ to loquitur diſp. 2. cap. 1. §. 4. Seg-
„ men. 1. num. 50. *Princeps obſcœna*
„ *ſpectacula tolerans mortaliter delinquit*
„ *&c.* Et probat ex D. Cypriano ſupra
„ relato num. 92. illis verbis: *Lenoci-*
„ *nante ad vitia publicæ auctoritatis ma-*
„ *lo: quæ verba trutinans* Ludovicus
„ *Cellotius* orat. 12. *ſic egregie diſſerit*:
„ *Hoc publicæ auctoritatis lenocinium, ut*
„ *vocat Cyprianus, lenones ait eſſet Ma-*
„ *giſtratus, qui id permittant, aut im-*
„ *perent &c. O leges Juliæ! O Magi-*
„ *ſtratuum ſanctitas, quibus Matronalis*
„ *pudor, & virginum verecundia Reipu-*
„ *blicæ voce commiſſa eſt! O Hiſtrionum*
„ *infamia, quæ Populi Principes cum af-*
„ *flavit, de repente mutat in lenones!*
„ Deinde ſubdit S. Caroli decretum ex
„ primo Mediolanenſi Concilio Provin-
„ ciali a me *num.* 199. ſupra relato,
„ quo Principes admonentur, ut Hi-
„ ſtriones longe ab Urbe removeant;
„ & affert ex *cap.* 25. 4. *num.* grave
„ ſupplicium, quo Deus damnavit Prin-
„ cipes, quia non impedierunt ſcele-
„ ra Populi Iſraelitici fornicantis, &
„ idololatrantis cum peregrinis mulieri-
„ bus.

IV. Hoc idem argumentum illuſtrat P. Hieronymus Florentinus ibidem *pag.* 300. *a num.* 799. inquiens: „ Princi-
„ pes & Magiſtratus qui approbant,
„ aut permittunt recitari ſupradictas co-
„ mœdias valde obſcœnas peccant mor-
„ taliter .... Sed primum pro funda-
„ mento ſuppono, quod ad Principem
„ laicum primo pertinet invigilare, &
„ impedire, ne Hiſtriones obſcœnitati-
„ bus hujuſmodi Populorum mores con-
„ taminent, & pervertant; & ideo pœ-
„ nis etiam temporalibus debent illos
„ coercere: &, ſi opus ſit, ab Urbe
„ expellere, quia ita in Jure defini-
„ tur *l. congruit ff. de Off. Præſid.* Pœ-
„ nis autem ſpiritualibus eoſdem co-
„ gere pertinet ad Prælatum eccle-
„ ſiaſticum, qui Principem laicum
„ coadjuvare debet, ut notavi ex *Me-*
„ *noch. num.* 654.
„ Suppono ſecundo, utrumque Princi-
„ pem, eccleſiaſticum, & laicum gravi-
„ ter; & in conſcientia teneri attendere,
„ & providere ne introducantur peccata,
„ præſertim publica, & alia, *quæ ad*
„ *peccandum facile inducunt*. Sed majo-
„ rem obligationem eſſe in Principe lai-
„ co, quam in eccleſiaſtico, ſequente de-
„ cima Concluſione declarabo. Interim
„ ad probandam præſertim nonam Con-
„ cluſionem utor auctoritate Apoſtoli *ex*
„ *Epiſt. ad Hebr.* 13. dicentis *Obedite*
„ *præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: Ipſi*
„ *enim pervigilant, quaſi rationem pro*
„ *animabus veſtris reddituri*. Et licet
„ hoc loco Apoſtolus directe præſcribat
„ ſubditis obligationem, quam habent ſu-
„ perioribus obediendi, indirecte tamen
„ inculcat obligationem, quam habent
„ Prælati non ſolum eccleſiaſtici, ſed et-
„ tiam laici Principes, & Magiſtratus
„ invigilandi ſaluti ſubditorum: ipſi e-
„ nim pervigilant quaſi, ideſt vere, ra-
„ tionem reddituri. Ideo S. Joannes
„ Chryſoſtomus in hunc locum ait: *Au-*
„ *diant etiam ii, qui regunt, & gerunt*
„ *Magiſtratus, non ſolum ii, qui ab iis*
„ *reguntur &c.* Et paulo poſt hanc in
„ Principibus graviſſimam obligationem
„ expendens ait: *Miror, an fieri poſſit,*
„ *ut aliquis ex Rectoribus ſalvetur &c.*
„ Primo: quia Hiſtriones repræſentan-
„ tes comœdias notabiliter obſcœnas,
„ ut plurimum ſentiunt, & experiuntur
„ in ſe ipſis, & eis placent libidines,
„ quas conantur ita exprimere, ut pla-
„ ceant ſpectatoribus. Ergo committunt
„ ipſi plura peccata mortalia. Ergo Prin-
„ cipes, & Magiſtratus, qui vel appro-
„ bant, vel non impediunt, cum facile
„ poſſint, denegando licentiam, tenentur
„ de ipſis Deo rationem reddere.
„ Secundo: ſpectatores, qui hujuſmo-
„ di comœdias audiunt, ut delectentur
„ de rebus, & geſtibus obſcœnis, peccant
„ mortaliter, ut cum communi Docto-
„ rum Catholicorum ſententia dixi in
„ quarta Concluſione. Ergo Principes,
„ & Magiſtratus de iſtis tenentur Deo
„ rationem reddere.
„ Tertio: quia ſpectatores, licet, non
„ rebus, & geſtibus obſcœnis, ſed de
„ modo intendant ſe delectare, *quia coo-*
„ *perantur Hiſtrionibus in eorum peccato*

„ *mortali*, *peccant & ipſi mortaliter*, ut „ dixi *Diſcurſu* 8. & in dicta quarta Con- „ cluſione. Ergo de ipſis etiam tenen- „ tur reddere rationem Deo.

„ Quarto: quia multi ſunt vel ita „ proclives ad venerem, vel ita debiles, „ & in virtute infirmi, ut non ſolum re- „ mota, ſed minima etiam irritamenta „ ſufficiant, ut vel opere, vel deſiderio „ mortaliter peccent; quia D. Cypriano „ admonente n. 102. *cum mens hominis* „ *ad vitia ipſa ducatur*, *ſibi quid faciet*, „ *ſi habuerit exempla naturæ corporis lu-* „ *bricæ?* Quæ ſponte corruit, quid faciet „ impulſa? &c.

„ Quinto: quia multi adoleſcentes, „ & juvenes ſunt, qui licet habeant ge- „ nitores, ad quos ex officio ſpectat ne „ obſcœnis Comœdiis interſint, quia ta- „ men genitores aut volunt, eo quod & „ ipſi etiam Theatrum frequentant, aut „ non poſſunt, quia auctoritas publica „ juſtificat Theatrum alioquin illicitum, „ ut S. Cyprianus loquitur &c. ex his „ ſequitur, quod qui modeſti, & conti- „ nentes ad Theatrum acceſſerant, mox „ ab eo revertantur domum, impuden- „ tia pleni, libidine accenſi. Hinc pro- „ cedunt inobedientiæ, & contemptus „ contra majores, rei domeſticæ expila- „ tio, cum feminis hiſtrionicis continua „ & vitioſa conſuetudo, immoderatæ ex- „ penſæ, & exinde furta domeſtica, & „ latrocinia, infirmitates, morbi inſana- „ biles, rixæ, jurgia, & totius rei fami- „ liaris perturbatio. Sed & horum om- „ nium graviſſimorum ſcelerum Princi- „ pes, & Magiſtratus Deo rationem red- „ dere tenentur.

„ Sexto: quia hodie comparent in „ Scena veræ Mulieres comptæ, cala- „ miſtratæ, laſcivientes, & ut pluri- „ mum fornicariæ (honeſtæ enim vix „ ſcenam aſcendunt.) Hæ verbis leno- „ cinantibus plures captivos efficiunt &c.

„ Audiant ergo, & intelligant, & „ erudiantur omnes, qui judicant ter- „ ram, diligenterque conſiderent, quod „ Plato inſania notabat illum Principem, „ qui Hiſtrionum acta permitteret reci- „ tari, antequam a Deputatis recogno- „ ſcerentur. “

V. Albertus de Albertis Soc. Jeſu Theologus inſignis laudatus a P. Hieronymo Florentino, in ſuis *Paradoxis Mor. Diſp.* 2. *cap.* 1. §. 5. *ſegment.* 1. *n.* 50. hæc habet: *Eamdem ob cauſam Princeps obſcœna ſpectacula tolerans mortaliter delinquit*, *ut diſerte pronuntiat* Adamus Contzen. *lib.* 2. *polit. cap.* 13. §. 6. *Tantum*, *& tam pernicioſum malum uno verbo*, *una Scheda tollere Princeps poteſt*: *& quia tam facile obſiſtere poteſt*, *ſervari ipſe non poteſt. Quis enim tumultum ciebit? Deinde Principum*, *& Civitatum iſtis deliciis ſubditorum plurimi offenduntur* . . . . . *Confirmatur eadem veritas ex gravi ſupplicio*, *quo Deus Principes non impedientes ſcelera fornicationis*, *atque idololatriæ Populi Iſraelitici punivit*, *ſuſpendique juſſit N.* 25. *ut Vatablus*, *& alii notant* . . . . *Confirmatur præterea ex univerſaliſſima*, *& certiſſima doctrina de Scandalo ſupra diſp.* 1. *cap.* 5. *enucleata*, *quam cuncti prorſus Theologi*, *ac Doctores probant*, *luculenterque S. Joannes Chryſoſtomus tom.* 5. *Serm. contra Concubin.*, *ubi perſpicuum eſt ſermonem eſſe de ſcandalo*, *quod accidere in proximo animadvertitur ex dicto*, *factoque indifferenti*, *non autem de eo*, *quod ex opere vel dicto intrinſece malo ſequitur. Qui enim tale ſcandalum dat ob nullum majus lucrum inde emergens*, *excuſari poteſt*, *ut liquet*, *ſecus vero cum dictum*, *aut factum indifferens eſt*, *ut diſp.* 1. *c.* 5. *ſatis expendi. Quæ ſcandali permittendi*, *aut fugendi exploratiſſima regula cum omnes complectatur*, *tum maxime ac potiſſime cunctos Principes obligat*, *qui graviter tenentur eas corruptelas*, *etſi per ſe alioquin indifferentes*, *compeſcere*, *atque abrogare*, *ex quibus longe plus mali*, *quam boni manare probe ſciunt*.

VI. Hæc citati Theologi. Ut initio dixi, tanta mihi ſcientia non affulget, quo valeam Supremæ Poteſtatis limites circumſcribere. Illud ſolum animadverto cum S. Auguſtino *Epiſt.* 63. cujus teſtimonium dedi ſupra *in Præfat.*, multa Eccleſiam, & Principes tolerare, quæ impedire nequeunt. Diſtinguenda quoque eſt permiſſio, quæ mere tolerat mala minora, ut evitentur graviora, a permiſſione, quæ approbat.

VII. Diſtinguenda rurſus tempora ſunt, & Principum indoles, inclinationeſque. Præclare in rem noſtram argumentatur S. Gelaſius Papa adverſus Andromachum. *Sed dicis etiam Chriſtianis temporibus hæc fuiſſe* . . . *Numquid nam*, *quia ſub primis Præſulibus Chriſtianæ Religionis abla-*

ta

ta non ſunt, ideo ſub eorum Succeſſoribus tolli minime debuerunt? Multa ſunt, quæ a ſingulis Pontificibus diverſo tempore ſublata ſunt noxia, vel abjecta. Non enim ſimul omnes in corpore curat medicina languores; ſed quod periculoſius conſpicit imminere, ne aut materia corporis non ſufficiat medicinæ, aut pro conditione mortali ſimul omnia non poſſit avertere. Quære quale ſit, unde agis: ſi bonum eſt, ſi divinum, ſi ſalubre, merito quandocumque tolli non debuit. Si nec ſalubre, nec divinum, cauſandum tibi magis eſt, cur tardius auferatur, quod ſuperſtitioſum conſtat, & vanum, quod certe Chriſtianæ profeſſioni non convenire manifeſtum eſt.

Poſtremo quod ad me pertinet, nullus Baptizatus, nullus Chriſtianus hoc celebret, & ſoli hoc Pagani, quorum ritus eſt, hoc exequantur. Me pronuntiare convenit Chriſtianis iſta pernicioſa, & funeſta indubitanter exiſtere. Quid me incuſas, ſi quod profeſſo nomini inimicum eſt, a conſortibus profeſſionis Chriſtianæ pronuntio ſubmovendum? Ego certe abſolvam conſcientiam meam: ipſi videant, qui juſtis admonitionibus obedire neglexerint, quod etiam Prædeceſſores meos forſitan feciſſe non ambigo & apud Imperiales aures hæc ſubmovenda tentaſſe: & quia auditos eſſe non conſtat, dum hæc mala hodieque perdurant, ideo hæc ipſa Imperia defecerunt: ideo etiam nomen Romanorum, non remotis etiam Lupercalibus, uſque ad extrema quæque pervenit. Et ideo nunc ea removenda ſuadeo, quæ cum nihil profuiſſe cognoſco, tamquam contraria veræ Religioni, noxia potius extitiſſe pronuntio. Poſtremo ſi de meorum perſona præſcribendum exiſtimas Prædeceſſorum, unuſquiſque noſtrorum adminiſtrationis ſuæ redditurus eſt rationem, ſicut etiam in publicis dignitatibus fieri pervidetis. Ego negligentiam accuſare non audeo Prædeceſſorum, cum magis credam fortaſſe tentaſſe eos, ut hæc pravitas tolleretur, & quaſdam extitiſſe cauſas, & contrarias voluntates, quæ eorum intentionibus præpedirent, ſicut ne nunc quidem vos ipſos abſiſtere inſanis conatibus velle perpenditis. Vide Baron. ad an. 496. n. 28.

VIII. Addam teſtimonium S. Caroli Borromæi, qui anno 1560. in Concilio Provinciali Mediolanenſi hæc decrevit: *Principes, & Magiſtratus commonendos eſſe duximus, ut Hiſtriones, Mimos, ceteroſque Circulatores, & ejus generis perditos homines e ſuis finibus ejiciant, & in Caupones, & alios quicumque eos receperint, acriter animadvertant &c.* Serio animadvertas velim tempore S. Caroli nullas fuiſſe Mimas, ſeu Hiſtrioniſſas; ſed viri tantum huc, atque illuc diſcurrentes ludos agebant.

IX. Unum, ad Principes quod attinet, humili animo altius meditandum ſubjicio. De gravioribus malis, quæ patrarent ſubditi Theatris ſublatis, reddere rationem Deo Principes nullo modo tenentur, cum ad eos haud attineat privata ſubditorum delicta impedire. At ſi permiſſio Theatrorum noxia ſit, ut docent citati, & alii graviſſimi Theologi, omnium flagitiorum, quæ inde ſequuntur, fontes ipſi fiunt. Quæri poſſit, quænam ſint hæc graviora mala, ob quæ, ut evitentur, permittenda Theatra ſint? Familiarius, inquis, in privatis domibus viri, & mulieres convenient, & tum adulteria, & fornicationes plures patrabunt. Papæ! An & antea, & poſt auditam impudicitiæ lectionem in Theatro, & ſcortationum repræſentatione excitati, atque Mimorum, & Mimarum aſtutiis, lenociniis, & inſidiis inſtructi, & concupiſcentia ardentes una non conveniunt, & quæ in Theatro didicere, opere complere non ſtudent? Quænam ergo hæc majora mala Theatrorum permiſſione vitanda? Seditiones, tumultus, machinationes? Itane vero? Plato, Ariſtoteles, Tacitus, & ceteri politici Regiminis Sapientes Magiſtri, Principatus vires infringi, languidos, ineptoſque ex Comœdiarum illecebris evadere ſubditos ad bella, ad labores, ad incommoda ſuſtinenda, docent. Meam itaque imbecillitatem latent graviora illa mala, ob quæ vitanda permittere Principes Theatra licite queant. Illud contra mihi compertum eſt, eo Populos Principibus ſuis eſſe obſequentiores, atque obedientiores, quo ſunt Deo fideliores, & in ſanctiſſima Profeſſione ſervanda exactiores. Ceterum ut documentis evincam nonnullos nimium exaggerare funeſta illa grandium malorum conſectaria, quæ proficiſci ex Theatrorum abolitione verentur, ab iiſdem quæro: Nonne quoties decedunt Principes Supremi, Reges, Imperatores, Theatra

tra prohibentur interdum annis integris? Dum hæc ſcribo, audio extremum obiiſſe diem Imperatricem Viduam Auguſtiſſimi Cæſaris Caroli VI.; & continuo hoc ipſo anno 1751. in univerſo Auſtriaco Imperio cum in Germania, tum in Italia larvæ, choreæ, Comœdiæ, Theatra omnia interdicta ſunt. Quænam hinc graviora mala? Si vero in divinæ, tremendæque Majeſtatis cultum, reverentiam, & ad impediendam certiſſimam flagitiorum multitudinem, animarumque damnationem æternam de medio Theatra tollantur, ſi evitari Hiſtriones, ſi expudoratæ Cantatrices, ſi procaciſſimæ Saltatrices, ſi impudentiſſimæ Mimæ, ſi infames Lenones in exilium agantur, tum ſeditiones, tumultus, & Civitatum, ac Provinciarum lamentationes, & totius Mundi conturbatio, & perverſio ſuccederent? O tempora! O mores! O prudentia humana! O prudentia carnalis! quouſque tandem Chriſtianæ Religionis Diſciplinam detorquere ad tuas appetitiones audebis?

X. Sed quid peregrina facta commemoro? Hic Romæ, ubi ſcribo, ſplendidiſſimum hujuſce rei exemplum ob oculos verſatur. Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. ad Diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurandam a Deo nobis datus, toto Jubilæi anno hiſce diebus elapſo Theatra omnia penitus interdixit. Quid hinc perturbationis, quid tumultuum, quid graviorum malorum? Et tamen a ſæculo & amplius numquam tanta Romæ ex univerſo Catholico Orbe populorum affluentia, cujuſcumque conditionis & ſtatus; numquam tanta tranquillitas, tanta mutua pax, & quies, numquam tam ardens devotionis, & ſanctitatis fervor. Quamobrem merito immortalis Pontifex in ſuo aureo Diplomate inſcripto: *Extenſio univerſalis Jubilæi in Urbe celebrati anno Domini* 1750. *ad univerſum Catholicum Orbem* exultabundus, & lætitia plenus ſcribit: *Repleti ſumus conſolatione, ſuperabundavimus gaudio, dum toto hujus anni decurſu dilectorum in Chriſto noſtrorum, Eccleſiæque fidem, religionem pietatemque perſpeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem noſtram innumeros ex omni lingua, & populo, & natione, ex omni ordine, ætate, ac ſexu Chriſtifideles, qui ipſo ſuo adventu & propriæ fidei fervorem, & amplitudinem Regni Dei teſtabantur. Eoſdem vidimus ad ſacra ejuſdem Urbis Templa certatim accurrentes in ſpiritu contrito, & humiliato animarum ſuarum expiationi conſulere, & ſicut olivarum novellas in circuitu Menſæ Domini vivifica Chriſtianæ unitatis, & pacis Sacramenta percipere.*

XI. Liceat & mihi pauca eorum, quæ hocce anno Sancto deſinente vidi, in tranſcurſu indicare. Ingreſſus menſe Novembri per portam, ut vocant, Angelicam, hanc ſanctam Urbem, continuo ampliſſimam ſanctiſſimi Apoſtolorum Principis Petri plateam, uſquequaque populorum affluentia pleniſſimam, & in divinis laudibus canendis compoſitam, in piam actus admirationem contemplabar. Paululum procedens hinc Proceſſiones, quibus Cardinales, & Prælati pedites præſidebant Roſarium manibus tenentes, & elata voce recitantes; illinc piæ Confraternitates, & Parochiales cœtus ſimiliter preces canentes, modeſtiam, pietatem, & devotionem ſpirantes obviæ occurrebant. Dum hæc mecum pio revolvebam animo, divinam ſuſpiciebam miſericordiam, quæ in hac temporum fæce tantam gratiarum copiam effundere ſuper populum ſuum dignata eſſet. Non me latet ſuperioribus ſæculis, quando & Populi, & Sacerdotes evangelica humilitate, chriſtiana prudentia, morumque integritate ſplendidius refulgebant, Jubilæa quoque ſanctiora fuiſſe. At non propterea minores ſunt Deo grates referendæ, quod in tanta temporum calamitate Pontificem Summum nobis dederit, qui qua voce, qua operum exemplis, qua ſacris Miſſionibus, qua exhortationibus, incredibilique vigilantia omnia diſpoſuerit, & præparaverit, quæ ejus Anni Sancti celebrationem, & populorum undique confluentium frequentia, & devotionis fervore ſolemniſſimam, admirandamque poſteris omnibus reddiderunt.

XII. Tandem Sapientiſſimus Pontifex, ut omnem excuſationis prætextum auferret iis, quos ex Principum permiſſione inferre minime pudet licitam eſſe bacchanalium, & Theatrorum corruptelam, Epiſtolam Encyclicam dedit ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Eccleſiaſticæ ditionis anno MDCCXLVIII. qua declarat, quam ſit vanum ejuſmodi con-

conſectarium, his verbis latine redditis. *Satis nobis ſit, palam facere permitti dumtaxat, & tolerari, tametſi permoleſte, & ad majora vitanda mala ab Eccleſia Bacchanaliorum diſſolutiones, quemadmodum juſto, validoque ratiocinio concludit celebris, priuſque Theologus Thomas Stapletonius in ſua octava oratione contra Bacchanalia* tom. 2. ſuorum operum pag. 556. *Diſcrimen igitur magnum eſt inter ea, quæ præcipiuntur, & quæ tolerantur*, Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus: aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur. *Verba ſunt S. Auguſtini* contra Fauſtum lib. 20. *Unde conſequitur ex rebus dumtaxat toleratis locum non eſſe, ut eiſdem licite uti pro arbitrio valeamus*. Et poſt plurimas in Bacchanaliorum deteſtationem hæc adjicit. *Graſſantur publicæ diſſolutiones hebdomadis ſeptuageſimæ, ſexageſimæ, & quinquageſimæ, in quibus Sancta Eccleſia præcipua Redemptionis Myſteria nobis repræſentat, ut nos ad Quadrageſimæ pœnitentiam optime præparet, quemadmodum Nos in Noſtra Notificatione XIV. tom. I. quam cum aliis publici juris fecimus, cum Eccleſiam Bononienſem moderabamur. Et hæc ſcilicet ſunt illa Bacchanalia, quæ celeberrimus Epiſcopus Gratiani in ſua Synodo Amerina habita* 1595. *pag.* 150. *deſcribit*: „ Hinc factum (adeo nos prava pervertit conſuetudo) ut ſeptuageſimam inter, & quadrageſimam interjectis diebus, quos Sancta Mater Eccleſia magno Myſterio veluti lugubres, funebreſque habet, prævalens laſciviæ riſus, hilaritatis amor, non in lætitiam ſolum, inconditumque gaudium verterit, ſed pene communi cuidam inſaniæ dedicarit, eoque provecta licentia ſit, ut ipſa quoque LEGES, ipſos MAGISTRATUS traxerit, & quod ne privato quidem cuiquam ulla bene morata Civitas concederet, id penitus jam publica auctoritate nitatur, & populi veluti obliti nominis, quo fruuntur, in ipſos profanarum gentium ritus, moreſque degenerarunt. “ *Quare celebris Ghislen Buſebec circiter ſæculi XVI. medietatem Imperatoris Ferdinandi I. ad Solimanum II. Orator ſcriptis conſignavit, quemdam Turcarum legatum, qui Baccanaliorum tempore apud Chriſtianos moratus erat, in Patriam reverſum narraſſe quodam anni, nempe Bacchanaliumi], temporo Chriſtianos inſanire, at vi cujuſdam cineris ſuper eorumcaput reſperſi ad ſanam redire mentem*: „ Ut non fruſtra creditum ſit hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii cauſa Legatus veniſſet, reverſum domum retuliſſe, Chriſtianos certis diebus bacchari, & furere, donec genere quodam cineris in Templo reſperſi redirent ad ſe, & convaleſcerent. “ *Numquam Eccleſia intermiſit, ut huic publicæ corruptelæ ſe ſe quoad potuit, opponeret, ſemperque precibus aliiſque pietatis operibus Deum oravit, ut flagella in peccatores ſuſpenderet, ſuoque potenti auxilio modum rationemque tanti mali exterminandi præberet &c.* Hæc legant & meditentur qui ex Principum permiſſione colligunt licita eſſe Theatra, & Bacchanalia.

XIII. Et quoniam Turcarum mentio incidit, opportuna ſe offert occaſio repellendi unam ſaltem, ex plurimis, injuriam, quam mihi præter jus & fas impingit P. Franciſcus ZECH Profeſſor primarius, Doctor Theologus, & Canoniſta Almæ Univerſitatis Ingolſtadienſis in ſua tertia *diſſertatione inaugurali*, in qua me cum Turcis, & *Mahomete*, more quorumdam ſuorum commilitonum, urbaniſſime confert. Hæc *inaugurali Diſſertatio* (quam ſi pro meritis excuterem, & profligarem, otio ſane peſſime abuterer, cum non ſit duabus aliis jam a me convulſis melior, immo infelicior) ad brevia, ſed valde tempeſtiva parerga me compellit. Exprobrat mihi *P. Franciſcus*, quod Ethnicorum, & Hæreticorum Ethicen producam ad *confundendos*, ille ait, Theologos Morales Catholicos: ego vero ajo ad profligandas quorumdam Caſuiſtarum opinationes præter modum laxas. Hæc quippe ſcribit laudata *Diſſert.* §. 320. *Mahometem & Hæreticos frequenter adducit P. Concina ad confundendos Theologos Morales Catholicos, ea argumenti ſoliditate, qua Mahometem temperantiæ magis ſtudioſum dicerem, quam Patrem Concina? dum Mahometes vinum ſuis prohibet, quod permittit P. Concina etiam diebus jejunii extra refectionem.* Hæ ſunt acutiſſimæ argumentationes a vini potu arceſſitæ, & tanto Theologo dignæ, quibus me impetere Adverſarii conſueſcunt. Ubinam quæſo *frequenter Ma-*

Mahometem citavi ? Cur locum, cur paginam non indicas ? Ut imponere pro arbitrio valeas, non ne ? Sed ad vetuſtiora pergamus: Hæc *ibidem* adjicit. *Poſſet illi*(Concinæ) *in aurem dici*, *quod SS., D. N. BENEDICTUS XIV.* (conſt. 113.) *ad Archiepiſcopum ejuſdem Sacri Ordinis* (Prædicatorum) *ſcripſit*. *Sicut laudabilis foret ejus induſtria*, *ſi Acatholicos in iis*, *in quibus Romanæ Eccleſiæ adverſantur*, *aggreſſus eſſet : ita teprehenſioni obnoxium ſe facere*, *dum illorum libros ad impugnandos Orthodoxorum ſententias perlegit*, *& tranſſcribit*.

XIV. Legi Conſtitutionem Pontificiam, cujus hæc eſt inſcriptio. *Ven. Fratri Archiepiſcopo S. Dominici in Inſula Hiſpaniola* &c. Jure, & merito reprehenſus eſt a Sapientiſſimo Pontifice Archiepiſcopus iſte, quod a *Boehmero Lutherano* Scriptore erroneas opiniones mutuatus eſſet adverſus communem Eccleſiæ doctrinam. Ego contra, ut communia Eccleſiæ, & ipſius naturalis, & divini juris præcepta altius confirmarem, opportunitate data, vel ipſorum Ethnicorum præceptiones, & ſuffragia adduxi. Summam ergo, *P. Franciſce*, mihi affingis injuriam, dum me tali Archiepiſcopo jure reprehenſo comparas. Sed ad interpretationem omnium lepidiſſimam accedamus. Quiſnam, amabo te, eſt iſte Archiepiſcopus, & cujus Ordinis ? Eſt Ordinis Dominicani, reponit P. ZECH artis criticæ, æque ac rei Theologicæ, & Canonicæ peritiſſimus. At fallitur mirum in modum Profeſſor primarius. Archiepiſcopus iſte eſt *P. IGNATIUS DE PADILLA Ordinis Auguſtiniani*. At clamat P. ZECH. Nonne Conſtitutio Pontificia directa eſt Archiepiſcopo *S Dominici in Inſula Hiſpaniola* ? ſcilicet. At Civitas hæc eſt, non Ordo S. Dominici. *P. Franciſcus* legit Civitatem *S. Dominici* nuncupatam, & continuo eumdem Archiepiſcopum Dominicanum a Pontifice exprobratum creavit, ut Dominicani Ordinis, in ſuæ benevolentiæ teſtimonium, faſtos augeret. Revera hæc in *aurem*, P. Franciſce, dicenda, non publicis typis prodenda eſſent: quia nec P. ZECH, nec ſuæ Almæ Univerſitatis eruditionem valde illuſtrant. Sed vehemens illud plaudendi tum mihi, tum univerſo Præd. Ordini ſtudium frequentiſſime in ſimiles, & grandiores lapſus detrudit tum *P. Franciſcum*, tum ceteros adverſarios meos. Plura implerem folia, ſi iſtius *Diſſertationis inauguralis* errata, & quidem graviſſima refellere vellem. Quid ? ſi recenſerem contumelias, quibus me *imperitum*, *ignorantem*, *impoſtorem*, *malignum* benigniſſime paſſim, ſuo, & aliorum more, ornat ? Sed ego more meo, ſurda aure hæc omnia, quod miſeram perſonam meam impetunt, pertranſeo. Addit *P. Franciſcu* §. 339. pag. 224. *Fruſtra P. Concina amarulentam ſuam ironiam in Probabiliſtas DULCORARE ſatagit*. Ex ungue leonem. Si eadem mihi, qua Profeſſor Primarius libertate utitur, loqui expediret, & ego in *aures* dicerem *P. Franciſco*, & voce ſubmiſſa, ut abſtineat impoſterum a libris contra me ſcribendis, ſi conſulere & ſibi & ſuæ Almæ Univerſitatis ſplendori avet. Minus enim huic exercitio peragendo idoneus eruditis omnibus videtur, mala præſertim repugnante cauſa. Verum talia fari haudquaquam mihi licet.

XV. Sub finem *inauguralis diſſertationis* tu in me P. Franciſce *prudentiam* deſideras, & ſcientiam. Doles præterea caſtiorem Ethicen male a me propugnatam eſſe, & uſuræ cauſam, quam tu ſuſtines, mea ignorantia detrimentum paſſam eſſe. Si ego nimis imbecilliter chriſtianam morum doctrinam defendi, tu, pro ea, qua præſtas Theologica, & Canonica ſcientia, & Eccleſiaſtica eruditione, illam validius propugnato. Plures, fateor, uſuræ controverſias, præſertim illam, utrum Viri Religioſi Menſarios agere abſque læſione paupertatis, & graviſſimo ſcandalo queant, præterivi. Sed, ut tuis deſideriis obſecundem, hanc, & alias ejuſdem argumenti quæſtiones diſpiciam, ſed tempore: & libellum, quem hiſce diebus larvatus *Joannes Baptiſtæ Chiarelli* typis Lucenſibus in lucem emiſit, & in eodem proſcriptum fœnoris errorem more ſuo, nempe invicto pectore defendit, & Chriſtianis ſequendum ſuadet, pro meritis labefactare curabo. Larvam huic *Chiarelli* detraham, ut omnibus pateat verus Auctor : ejuſque craſſiſſimos errores luculenter patefaciam, ut ſi levi pœnitentia olim plexus, reſipiſcere hactenus noluit, viſis gravioribus ſuis erratis in ſe tandem aliquando reverta-

tur,

tur, & veritati faſces ſubmittat. Quod attinet ad prudentiam, quam in me *P. Franciſce* deſideras, lege, amabo te, poſitis præjudiciis, *Epiſtolas Theologico-Morales Euſebii Eraniſtæ*, & inde colliges, utrum in me, an in adverſariis meis deſideranda prudentia ſit. Hæc pauca in tranſcurſu, & præter inſtitutum, delibavi. Nunc in ſemitam, a qua me vel repugnantem abducit P. ZECH, & ad defenſionem coegit, regredior.

XVI. Finem hiuc Capiti impono verbis non alicujus Eccleſiæ Patris, ſed Ethnici, Plinii nempe Junioris, qui in *Panegyri* ſic alloquitur ſuum Cæſarem: *Vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Quippe infidelis recti magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in ſe boni habent quod approbant, quæ præcipiunt fieri poſſe. Et quis terror valuiſſet efficere, quod reverentia tui effecit? Obtinuit aliquis, ut ſpectaculum Pantomimorum Populo Romano tolli pateretur, ſed non obtinuit, ut vellet. Rogatus es tu, quod cogebat alius, cœpitque eſſe beneficium, quod neceſſitas fuerat: neque enim a te minore contentu ut tolleres pantomimos, quam a Patre tuo, ut reſtitueret exactum eſt. Utrumque recte: nam & reſtitui oportebat, quos ſuſtulerat malus Princeps; & tolli reſtitutos. In his enim, quæ à malis bene fiunt, hic tenendus eſt modus, ut appareat Auctorem diſplicuiſſe, non factum. Idem ergo Populus ille aliquando Scenici Imperatoris ſpectator, & applauſor, nunc in Pantomimis quoque adverſatur, & damnat effeminatas artes, & indecora ſæculo ſtudia. Ex quo manifeſtum eſt, Principum diſciplinam capere etiam vulgus, qua rem, ſi ab uno fiat, ſeveriſſimam fecerint omnes. Macte hoc gravitatis gloria, CÆSAR, qua conſecutus es, ut quod antea vis, & imperium, nunc mores vocarentur.*

CAPUT XX.

Exploditur futilis objectiuncula, a libertate, quæ Poetis, & Comœdis conceditur carpendi mores, & ipſorum Principum lapſus corrigendi, arceſſita.

I. DE medio Theatra tolle; & continuo libertas ſceleſtos vellicandi, vitia deridendi, & mores reformandi ſublata eſt. Si Poetarum Satyræ, ſi Comœdorum vividæ repræſentationes deſint, quis ſordida plebis vitia, quis Nobilium ſplendidas corruptelas, quis perturbata Principum Regimina, quis iſtorum aut ſævitiam, aut oſcitantiam, omiſſiones, otia, diſſolutiones, & cetera delicta, quæ comitari Principatum poſſunt, increpabit, reformabit, & deridenda, atque deteſtanda repræſentabit? Adverſus Theatra, & Comœdias vocis ſonitum extollunt pii, ſimpliceſque Fratres, & Monachi, qui rei politicæ arcana penitus ignorant, qui reformandorum morum rationem minime callent. Si Theatra proſcriberentur, illico ad malorum extremum omnia ruerent. Nullum tum ſive Principibus, ſive ſubditis frenum; nullum prævaricationi repagulum foret.

II. Quis inducere ſibi in animum poſſet, ut crederet, mundanæ Sapientiæ Magiſtros hanc potiſſimum afferre cauſam, cur debeant Theatra permitti? Quid? Theatra mores corrigunt? Comœdiæ frena imponunt Principibus, & Populo? Hæc eſt fraternæ correctionis Evangelica Cathedra? Oh infelices Apoſtoli, & omnium ſæculorum ſapientiſſimi Patres, ne dicam, Chriſtus ipſe, qui hanc reprimendæ pravitatis regulam ignorarunt! Deſipuere vel ipſorum Ethnicorum Sapientiores Philoſophi Plato, Ariſtoteles, Tullius, Plutarchus, Seneca, ceterique, qui Theatra de medio tolli ſuaſere. Theatralis ſit, neceſſum eſt, illorum Religio, quæ ſuam in Theatro virtutis promovendæ, & frenandæ malitiæ Cathedram collocat. Deridentur utique in Theatro, & Plautino ſale defricantur vitia, & cujuſcumque ſtatus fraudes, & verſuta ſcelera. At eo ne hæc pertinent, ut moratiores evadant Auditores? Huc ne Mimorum, & Mimarum ſtudia, & conatus tendunt? Evenire, non inficior,

cior, poteſt, ut quiſpiam ex aſpectu & auditu Comœdiæ etiam turpis, nedum modeſtæ, dedignationem contra flagitia concipiat. At hoc præter inſtitutum, & caſu accidit. Et tamen homines reperiuntur adeo bardi, & cæci, ut ex fortuito aliquo eventu regulam inferant univerſalem. Illa uxor, inquiunt, ex Comœdiæ auditu melior rediit. Eſto! Ex lupanarium aſpectu, & ſcortorum vitæ infelicis conſideratione aliqui compunguntur. Ejuſmodi eſt morum reformatio ex Comœdiæ aſpectu concepta. Quid? Mulieres divina lege prohibentur in Dei Templo docere virtutes, declamare contra vitia, ne illarum cupidine potius, quam Dei amore accendantur homines. Et illis permiſſum erit una cum Hiſtrionibus e publica Scena orare prophani amoris cauſſam, fraudes, aſtutias, dolos rei amatoriæ reſerare? Pluribus opus] minime eſt, ut quiſque intelligat, purum putumque delirium eſſe commentum iſtud; quo in Cathedram Evangelicam tranſmutari Theatra ſomniatur. Docentur, & inſtillantur ſpectatorum animis ſcelera illo ipſo tempore, quo ſatyrico ſale vellicantur. Pudore ſuffundit leviculos iſtos Theatrorum defenſores Ethnicus Seneca *Epiſt.* 7. *ad Lucil.* inquiens: *Nihil tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt. Quid me exiſtimas dicere? Avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior.*

CAPUT XXI.

In examen adducitur conſilium illorum, qui corrigenda Theatra, & Comœdias proponunt. Quam ſit vanum, & chymericum votum iſtud. Cl. Muratorii, & Auctoris Theatri Italici *commenta refelluntur.*

I. CLariſſimus, & doctiſſimus Ludovicus Muratorius, Italiæ præſertim noſtræ ſplendor, & ornamentum, atque univerſæ Reipublicæ Litterariæ illuſtre decus, in ſuo Opuſculo inſcripto: *Della Pubblica Felicità* improbat hodierna Theatra, eaque corrigenda ſuggerit. Et primo *cap.* 14. *pag.* 153. ſcribit: *Il Teatro in sè ſteſſo non è illecito. Tale lo fan divenire le oſcenità de' Comici, e le Commedie di cattivo coſtume. Il che troppo diſdice ad un ben regolato Governo; e molto più alla purità del Criſtianeſimo. Il vedere quivi inſegnare le malizie, ſcreditata, e meſſa in ridicolo la virtù, il vizio allo ſtringer de' conti felice, non ci vuol già un Catone per riconoſcere la deformità di un tal abuſo, tanto più pernicioſo, quanto maggiore è la folla de' Spettatori.* Theatrum, inquit, natura ſua haud eſt illicitum. Tale evadit Comicorum obſcœnitate, & prava Comœdiarum qualitate. Quod ſane optimum gubernium, & in primis Chriſtianiſmi puritatem dedecet. Dum ibi doceri malitiam, derideri virtutem, & poſtremum triumphare vitia ſpectantur, haud eſt opus Catone, ut tantæ corruptelæ deformitas dignoſcatur, eo pernicioſior, quo major eſt Spectatorum affluentia.

II. Duo hic Auctor prodit. Unum, non eſſe Theatrum natura ſua illicitum. Si de Theatro, quod in metaphyſica præciſione concipi mente poteſt, ſermo ſit, propoſitio vera eſt: nam Mundus iſte pulcherrimum Theatrum eſt; &, ut Tertullianus ait, extremum Dei judicium ſpectaculum grande eſt. Si Contra de Theatro, quod apud tum Græcos, tum Romanos ſemper obtinuit re ipſa, obtinetque in præſens, diſputetur, propoſitio non falſa modo eſt, verum etiam Evangelio hoſtiliter contraria. Theatrum, ſeu Comœdia, vel Tragœdia plurium partium compoſitio eſt. Si una ſola pars vitioſa eſt, tota Comœdia, vel Tragœdia prava ſit oportet. Auctorem de Theatro, quod revera ab Hiſtrionibus peragitur, loqui exiſtimo. Artem porro hanc Theatralem Mimi exercent, & Mimæ. Profeſſores iſti infames omnium nationum conſenſu reputati ſemper fuere, ſuntque in præſentia. Si Profeſſores infames, numquid profeſſio, & ars, clamat Tertullianus, licita & honeſta erit? Quamobrem, ſubdit Cl. Auctor, Comœdorum, & Poetarum pravitate Comœdias, & Theatra moribus pernicioſa fieri; atque in Theatris, quæ hodie vigent, virtutem deprimi, vitia extolli. Ergo, ipſo doctiſſimo Muratorio patrocinante, Theatra hodierna ſe ipſis ſcelerum gymnaſia ſunt, & potiſſimum Chriſtianæ legis ſanctitati infeſta, Hiſtrionum utique, & Poetarum malitia, quæ ſemper, & rurſus ſemper Theatris hæſit.

III. Hinc eſt, quod Auctor corrigi Thea-

Theatra percupit, inquiens: *Sarebbe da deſiderare, che ci foſſero valenti, ed oneſti Poeti ricchi d'invenzione, i quali o per amor della gloria, e per inclinazione a promovere il ben pubblico componeſſero Commedie morali, cioè di buoni coſtumi . . . Commedie adunque o in proſa, o in verſi, le quali ſapeſſero far ridere, correggeſſero il ridicolo de' coſtumi, delle uſanze mal concertate, delle opinioni ſtolte del volgo, e deſtramente porgeſſero buoni ammaeſtramenti, o almeno nuocere non poteſſero, renderebbero il Teatro una Scuola ſegreta del ben operare, e però utile alla Repubblica.*

IV. Hoc idem repetit *c.* 26. *pag.* 372. his verbis: *Ripeto, che miglior ripiego ſarebbe, che dal generoſo Principe ſi faceſſero comporre da chi ha la convenevole abilità . . . . delle Comedie inſieme piacevoli, e morate: o almeno ſcegliere tra le già compoſte dagl' Italiani, Franceſi, Spagnuoli, ed Ingleſi quelle, che più ſi credono atte ad emendare le pernicioſe, e le ridicole paſſioni del popolo . . . . Le ben fatte Tragedie, e Commedie potrebbero anche eſſe divenire utiliſſime Prediche pel Popolo. E tanto più efficaci per conto delle ultime, perchè il Ridicolo è una ſpada più acuta, e penetrante dell' altre.*

V. Doctiſſimi Muratorii ingenium, eruditionem, & ſcientiam ſemper ſummo habui, habeboque in pretio. In quibuſdam tamen Chriſtianæ Moralis præceptionibus, etiam cum erat in vivis, ab eo diſceſſi, quamvis mutuo inter nos obtineret Epiſtolarum communicatio. Conſilium itaque ab eo propoſitum corrigendi Theatra, Tragœdias, & Comœdias probo, quatenus eo pertinet, ut minus obſcœnitatis, & turpitudinis in iiſdem appareat. Rejicio vero ut dulce ſomnium ſi contendatur componi cum Chriſtiana profeſſione Theatrorum uſum poſſe, niſi aliud omnino genus Comœdiarum, & Tragœdiarum hactenus in publicis Theatris inauditum excogitetur. Alia argumenta, alii Actores, alia veſtitus forma, alii cantus, aliæ choreæ excluſis fabulis, alia denique omnia ſubſtituantur neceſſum eſt, ut Chriſtiana Comœdia ſit. Seligantur, inquit, ex Italicis, & Gallicis, Hiſpanicis, & Anglicis Comœdiis, quæ aptiores populorum moribus emendandis judicantur. Optimæ Tragœdiæ, & Comœdiæ utiliſſimæ Conciones populo evadere queunt, & eo efficaciores, quod ridicularia efficacius moveant, penetrentque. Qui ſic ratiocinatur, aquam cribro colligit, dealbatque Ethiopem. Quid? Inter riſum, facetias, & jocos, inter majeſtatem Scenarum, & pomparum luxum, & faſtum refloreſcet morum integritas? Mimi, & Mimæ e proſcenio Poetarum fabulas, & tricas amatorias actitantes, Auditores ad meliorem frugem revocabunt? Acutiſſime S. Auguſtinus hæc dulcia ſomnia vellicat hoc epiphonemate: *Numquid & Diabolus factus eſt Chriſtianus?* Profecto Catone non egemus, ut quam ſint lepida commenta iſthæc, & ridicula dignoſcatur. Eligantur ex indicatis optimæ Tragœdiæ, & Comœdiæ. An non omnes eo conſpirant, ut humani cordis indomitos affectus, ſeu, ut dicitur, paſſiones aut libidinis, aut ambitionis, aut vanæ gloriæ, aut vindictæ, aut deſperationis excitent, exſtimulent, inflamment? Finge Drammata Poetica honeſtiſſimis vocibus eſſe compoſita. Propterea ne non amatorium, non molle, non effeminatum eſt argumentum, quod vocibus ſubeſt? Accedit non quamlibet veneni partem eſſe noxiam, ſed omnes permixtæ mortem inferunt, ut jam ſupra oſtenſum eſt. Poetica Drammata, tametſi honeſtiſſima eſſent, inficiuntur Mimorum, & Mimarum geſtibus, motibus, jocis, ceteriſque præſtigiis ſæpius indicatis, & Matronularum laſcive ornatarum cum ſuis amaſiunculis in Theatrorum pulpitis ſedentium aſpectu.

VI. Omnes clamant moderandas Comœdias, & Tragœdias, corrigendoſque Theatrorum abuſus. At nemo hucuſque hujuſce moderationis, & reformationis regulas præſcribere dignatus eſt. Ad hanc reformationem primum omnium in exilium pellendi eſſent Mimi, & Mimæ, ut pote infames, proſcribendus muliebris veſtitus, & cetera omnia, quæ luxum, laſciviam, & vanitatem præferunt: modeſte, & pudice ornatæ ad Theatrum accedere Matronæ, & a viris penitus ſejunctæ conſidere in pulpitis deberent. Vix deſiderare, nedum ſperare talia licet. Mera itaque chymæra eſt hæc Theatrorum reformatio, quam omnes Sapientes derident; faciliuſque aboleri, quam reformari Theatra valent, ut habetur in *L.* 2. *de Majuma Cod. Theod.*, ubi dicitur: *Sed ut proclive eſt ad deteriora hu-*

manum genus, ut facilius ſit a voluptate penitus abſtinere, quam ea conceſſa intra honeſti limites contineri. *Adverſus hujuſmodi obſcœnitates iterum erumpentes fuit Joanni Chryſoſtomo iterum atque iterum declamandum. Quamobrem effecit tandem, ut eædem tandem penitus vetarentur, dato adverſus eas ejuſmodi ab Arcadio Imperatore reſcripto.* Quoniam vero Imperator non omnia, ut petierat Chryſoſtomus, ſpectacula, ſed illud dumtaxat de *Majuma* abolevit anno 399. ideo Sanctiſſimus Patriarcha declamare adverſus Comœdias ann. 400. & 401. non deſtitit, ut ipſemet *Homil.* 44. in Apoſtolorum Acta teſtatur.

VII. Confirmant hanc veritatem duo celebres Jeſuitæ. P. PETRUS DE GUZMAN *Serm.* 6. §. 8. hæc idiomate Hiſpanico, & latine a me reddita ſcribit: *Tot ſæculorum experientia conſtat, fieri nequaquam poſſe, ut ad honeſtatis regulas Comœdiæ reformentur, & moderentur, jocis, facetiis, & dicteriis inhoneſtis ſublatis. Fuerunt enim, ſuntque in præſens veluti hydra, cujus ſi unum præcideris caput, aliud renaſcitur; aut brachium gangræna infectum, quod ſalubrium eſt totum, quam ulceroſam partem amputare. Facilius itaque Comœdiæ e Republica Chriſtiana exterminari, quam reformari queunt, ſicuti præſtitit Catholicus Rex Philippus II. immortalis memoriæ.*

VIII. P. Joannes Marianna *lib.* 3. *de Reg. inſt. cap.* 16. inquit: *Cenſeo cum multis fore e Republica, ſi Hiſtriones pretio venales penitus removeantur. Omnes enim pecuniæ cauſſa omnes turpitudines ſuſcipiunt, inſtillantque aliis: quæſtuaria arte exhauriunt pecunias, & veluti ſopitis voluptate ſenſibus latenter extorquent, quas non minori turpitudine inſumunt: otio & deſidia ut torpeant Cives efficiunt, quæ omnium vitiorum radix eſt: vitiis omnibus, & fraudibus viam muniunt, libidine maxime, quæ auribus, & oculis ſuſcipitur . . . . Quod ſi non obtinemus, ut ludi ſcenici penitus amoveantur, & placet nihilominus eam oblectationem populis dare, quod jus, & æquitas poſtulare videtur, impetrare certe cupimus, ut delectus aliquis ſit, ne promiſcua licentia quidvis agendi Hiſtrionibus concedatur; ſed legibus certis circumſcribantur, & finibus, quos nemo impune tranſgrediatur. Tametſi nullis legibus putabam furorem hunc ſatis frenari. Prudenter quidam, O here, inquit, quæ res nec modum habet, nec conſilium, ratione modoque tractari non vult.*

IX. Sed reponit Muratorius pag. 375. *Che non ſi può pretendere nel Popolo la ſanta vita, e perfezione de' Clauſtrali.* Rurſus pag. 369. *Si ſa quel che facea Auguſto a' ſuoi tempi per incantare, e aver dalla ſua il Popolo Romano. Quel Principe intendeva egregiamente l' arte del navigare.* Verum enimvero axiomata, quæ ibi ſcribit Cl. Auctor pro ſubditis Auguſti, ſecus pro Chriſti Diſcipulis opportuna utcumque eſſe poſſunt. Siquidem callebat egregie Auguſtus *artem*, ut Auctor noſter inquit, *navigandi*, ideſt artem Populum Romanum, & univerſam Rempublicam in Tyrannidem redigendi. Intellexit Imperator perſpicaciſſimus, viam iſthuc perveniendi non aliam eſſe, quam Populorum amorem: ut hunc vero ſibi conciliaret, ſolatia, tripudia, ſpectacula, & cetera omnia, quæ corrumpendis moribus, & obcæcandis animis opportuna erant, liberaliſſime impertiit, ut Populi voluptatis, & carnalium illecebrum præſtigiis capti tyrannidem uſuparet. Hæcne *Publicæ Felicitatis* promovendæ via? Mirandum eſt, Auguſtum flagitioſiſſimæ vitæ Principem, qui coercere propriam familiam intra honeſtatis limites ignoravit, cujus uxor profligati pudoris mulier, & Filiæ ipſæ publico probro, & ignominiæ obnoxiæ fuere in Chriſtiani regiminis exemplum proponi. Cedo. Præſtantiſſimi illi, atque inviċtiſſimi Heroes, qui Imperii Romani fundamenta, & baſes poſuere, qui illud tribus integris, & fere quatuor ſeculis amplificarunt, numquid Theatra erexere? Numquid Mimorum, & Mimarum oblectamentis Populum effeminarunt? Audiant novi rei politicæ, & publicæ felicitatis Magiſtri Titum Livium in ipſius Hiſtoriæ exordio. *Ad illa mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibuſque artibus domi, militiæque & partum, & auctum Imperium ſit. Labente deinde paulatim diſciplina velut diſſidentes primo mores ſequatur animo; deinde ut magis magiſque lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites, donec adhæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt.* Artes vero, quibus partum Imperium eſt

& vi-

& vitia, quibus dilapſum ſit continuo perhibet. *Nulla umquam Reſpublica nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſeræ avaritia, luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus, ac tamdiu paupertati at parſimoniæ honos fuerit . . . Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia invexere. Sed querelæ ne tum quidem gratæ futuræ, cum forſitan neceſſariæ erunt.* Quid ſi quæ Plutarchus, quæ Seneca, quæ Plinius docent referre vellem? Revolvant rei politicæ Magiſtri imperia omnia tum civilia, tum ſacra, intelligentque labore, penuria, paupertate, & parſimonia parta. Ubi vero amplificata, & divitiis aucta, tum voluptate theatrica, luxu, pompis, luxuria dilapſa ſunt. Sed ad alia pergamus. Utique a Populo jejunia, ſolitudo, paupertas, & cetera hujuſmodi affligendæ carni idonea repetenda non ſunt, At ſciant oportet mundanæ felicitatis aſſertores, non aliud eſſe Clauſtralium, & Eccleſiaſticorum omnium Profeſſionem, quam viam, quæ facilius & ſecurius eo perducit, quo tendere Chriſtiani omnes debent. Clauſtrales votorum armis inſtructi intra ſolitudinis arcem incluſi dimicant: Chriſtiani medio, apertoque in campo præfatis armis denudati, & hoſtium telis undique verſum obſeſſi præliantur. Si Chriſtianus, aut Chriſtiana in Theatro, in Converſatione promiſcua libere fruitur ſimplici delectatione venerea interna, æque damnatur, niſi pœniteat, ac Clauſtralis, & Monialis. Aſpectus libidinoſus æque lethifer in laico, ac in Sacerdote eſt, circumſtantia ſacrilegii ſublata; quod ad æternam damnationem perinde eſt. Gravius punietur Sacerdos, qui majori gratiarum copia abuſus fuit. Intelligant tandem Theatrorum aſſertores, ideo Religioſos viros conſilia vovere Evangelica, ut exactius, & facilius ſervare Divina mandata omnibus Chriſtianis communia queant. Omnes Chriſtiani intaminatam cuſtodire caſtitatem, aut virginalem, aut matrimonialem obſtricti ſunt. Et quoniam difficillimum eſt inter tot corrupti ſæculi pericula, ſive virginalem, ſive maritalem puritatem illæſam defendere: idcirco Religioſi viri tot armis, quibus abundant Clauſtra, ſe muniunt. Sed id verum habet, Chriſtianiſmi ideam & imaginem abolitam in plurimis eſſe. An Clauſtrales allocutus eſt Paulus 1. *Cor.* 7. inquiens: *Hoc itaque dico vobis, fratres, tempus breve eſt. Reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc Mundo, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus Mundi?* An Clauſtrales Chriſtus allocutus eſt, dicens: *Contendite intrare per anguſtam portam. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me?* Num Crucem Chriſti portant, ejuſque veſtigiis inſiſtunt Viri Theatrales? Niſi nimium a via digrederer, Chryſoſtomi declamationem reſcriberem adverſus hanc Chriſtianorum, & Clauſtralium præjudicatam opinionem. Sed hæc in tranſcurſu delibaſſe ſufficiat.

X. Auctor *Theatri Italici* & ipſe corrigenda & ad honeſtam formam Theatra redigenda, non abolenda contendit. Quod ut evincant, mirifica, & lepidiſſima paradoxa a Gallico Scriptore mutuo accepta abſque fænore evulgavit. In *Præfat.* enim *ad Tom.* I. pag. XXII. *& ſeq.* hæc docet:

XI. „ Io ben ſo, che non piacerà *ad* „ *alcuni pii, e Religioſi uomini* queſta „ cura di migliorare ciò, ch' eſſi abolir „ vorrebbero. Troppo orror de' Teatri „ han eſſi conceputo nel leggere i San„ ti Padri, e alcuni Sacri Canoni an„ cora: nè vale riſponder loro, che „ dalla ſordidezza, e crudeltà di alcuni „ degli Spettacoli antichi prendean mo„ tivo; poſciachè queſti *Zelanti* ſu mol„ ti paſſi ſi fondano, i quali non come „ diſoneſte, o crudeli, ma generalmen„ te e aſſolutamente ſembrano condan„ nar le ſcene, e gli altri pubblici ſpet„ tacoli. Queſti paſſi, per non diſſimu„ lar nulla, ci ſono veramente, ma „ convien intenderne la ragione, e la „ forza. Biſogna ſapere, che anticamen„ te e gli Scenici, e gli altri più ſolen„ ni divertimenti *erano atti di Religio*„ *ne, che inchiudevano neceſſariamente* „ *Idolatria. Queſta verità è più che ad* „ *altri paleſe, e ſicura agli Antiquarj,* „ *cioè agl' inveſtigatori delle notizie più* „ *preciſe e certe delle priſche età.* „ Et paulo ante, nempe pag. 18. ſcribit, paucos dumtaxat Ethnicæ Superſtitionis myſteriis

ſteriis initiatos vim hujus vocis *Theatralis* percipere. „ Non ſi è veduto mai „ con eſſi mettere un popolo a ſuſſurro, „ e deſtar *furori* di applauſo di tanto in „ tanto, e' *far disfare ogni perſona di* „ *buon ſenſo in affetti*, (at quos in affectus? Et hoc ſanctitati Evangelicæ „ haud repugnat?) *come ſi è veduto* „ *con qualche Tragedia Italiana* (verbi „ grazia la MEROPE moderna.) *E* „ *come potrebbe mai conſeguirſi tanto con* „ *Opere da Teatro, nelle quali orma per* „ *lo più non ſia di Teatrale*. La forza „ di queſto TERMINE, SOL DA „ POCHI INIZIATI IN QUESTI „ MISTERI, E IN POCHI LUO- „ GHI S' INTENDE. "

XII. Hæc Myſteria ab integro fere ſeculo Gallis, a quibus ea hauſit Auctor noſter, plane reſerata erant. Quod, ut pateat, repetam, oportet, quod ſupra indicavi, nempe Sereniſſimum Principem DE CONTI anno 1669. Opuſculum ediſſe inſcriptum hoc titulo: *Traitè de la Comedie & des Spectacles ſelon la Tradition de l' Egliſe*. Continuo prodiit in Theatrorum patrocinium contra præfatum Tractatum *Diſſertatio* ab Anonymo edita. Dominus DE VOISIN Presbyter, & Doctor Theologus, & Regius Conſiliator Tomum in 4. edidit, qui præfert hunc titulum: *La Defenſe du traitè de Monſeigneur le Prince de Contì, touchant la Comedie, & les Spectacles. Ou la refunation d' un Livre intitulè Diſſertation ſur la condamnation des Theatres*.

XIII. Dominus de VOISIN in ipſa Præfatione ſpecimen *Diſſertationis* in favorem Theatri paucis perſtringit his verbis: „ Cet illuſtre Prince a fait voir „ evidemment par la Tradition perpe- „ tuelle de l' Egliſe, que les Comedies „ ont toujours ètè condamnèes & que „ leurs Acteurs ont ètè excommuniez, „ & notez d' infamie. *L' Auteur de la* „ *Diſſertation pretend tout le contraire*: „ *& toutes ſes preuves ne ſont fondèes* „ *que ſur des ſuppoſitions viſiblement* „ *fauſſes*. La premiere eſt que les Saints „ Peres n'ont condamnè les Comedies „ de leur tems, qu' à cauſe de l' Idola- „ trie dont elles ètoient ſoüillèes; d' où „ il tire cette conſequence que les Co- „ medies de nôtre tems etant *exemtes d' Idolatrie* ne peuvent être condamnèes. „ Cette ſuppoſition, dis-je; eſt viſible- „ ment fauſſe . . .

„ C' eſt donc inutilmente que l' Au- „ teur de la Diſſertation dit dans le pre- „ mier chapitre, que les Spetacles des „ Anciens ont fait partie de la Religion „ Payenne: dans le Second, que la re- „ preſentation des Comedies, & des „ Tragedies, ètoit un acte de Religion: „ & dans le Troiſieme, que les Anciens „ Peres de l' Egliſe defendirent aux Chre- „ tiens d'aſſiſter aux jeux du Theatre, parce- „ que c'ètoit participer à l'idolatrie. D' où „ il conclud dans les Quatrieme Chapi- „ tre que la repreſentation des Poemes „ Dramatiques ne peut être defendue „ par la raiſon des Anciens Peres de l' „ Egliſe &c.

XIV. Auctor *Theatri Italici* ſubdit *pag*. 26. *& ſeq*. „ Ma un' altra ſchiera „ d' autorità e ſacre, e profane ci vien „ in propoſito ſcagliata contra, dalle „ quali par venga a ricavarſi in tanto „ obbrobrio eſſere ſtata ſempre negli an- „ tichi tempi preſſo le oneſte perſone la „ Scena, che non ſolamente eſecrata da' „ Santi Padri, ma infamata ne rima- „ neſſe generalmente per le Leggi Civi- „ li. Al che non pertanto riſpondo, „ tutto queſto rumore *non aver per fon-* „ *damento, che un altro equivoco*. Due „ generi di rappreſentazioni ebbero gli „ Antichi in Teatro. Con l' uno ſi par- „ lava all' udito, con l' altro agli occhi. „ Secondo quello Commedie ſi recitava- „ no e Tragedie, e Atellane, ch' erano „ una giunta ſcherzevole, ma oneſta, „ quaſi Farſe, o intermezzi. Secondo „ queſto in tutto, o in parte ſi eſpri- „ mevano le coſe con geſti, poſiture, e „ movimenti del corpo, e con balli imi- „ tativi accompagnati da ſuono, e can- „ zoni; al che ſi diede nome di Mimi, „ e di Pantomimi, e d' arti giocoſe, e „ d' arti ſceniche, e d' Iſtrioni. Ora l' „ infamia, e i rimproveri ſul ſecondo „ genere caddero, e non ſul primo. *Ma* „ *perchè pochi ſono, che per acutezza d'* „ *ingegno, e per intima notizia delle co-* „ *ſe ſieno atti a ben diſtinguere il ſigni-* „ *ficato de' vocaboli ſteſſi ne' diverſi tem-* „ *pi, e ne' diverſi luoghi*, il ſentir con- „ dannare sì bruttamente Iſtrioni, Tea- „ tro, Scena, Spettacoli, fece credere „ le recite Teatrali aſſolutamente pro- „ ſcritte . . . . Quanto alle Leggi, ba-

„ ſta

„ ſta offervare, che di tutte quelle, ove „ dell' infamia agli operanti ne' Teatri „ impoſta ſi fa menzione, ſian ne' Di- „ geſti, ſian nel Codice di Teodoſio, o „ in quel di Giuſtiniano, nè pur una ſi „ trova, in cui Tragici ſi veggan no- „ minati, nè Comici, nè Attori di A- „ tellane; da che ſi fa chiaro, come „ queſti non ci venian compreſi: per- „ chè eſſendo meſtieri particolari, e di- „ verſi, non poteano in coſa sì odioſa „ ſenza eſſer nominati, eſſere inteſi. „ Vi ſi parla per lo più *de' Profeſſori d' arte Ludicra*; ma fra queſta tanto è „ lontano, che l' arte di recitare da' Le- „ giſlatori ſi computaſſe, quanto che de- „ ciſero i Giuriſconſulti alla Legge de- „ gli Atleti non computarciſi nè pure i „ Timelici.

XV. Non aliud ingenii acumen, nec ſelectionem eruditionem Auctor noſter, ad hoc quod attinet, præſefert, quam quæ eſt in refricandis vanis commentis a ſeculo fere editis. Audiamus Dominum *DE VOISIN*, qui in *Præf. pag.* xlix. ſic perſequitur: „ Secondement, l' Auteur „ de la Diſſertation ſuppoſe que les Au- „ ciens Romains n' ont jamais compris „ les Acteurs de Comedies, & de Tra- „ gedies, ſous le nom d' Hiſtrions & de „ Sceniques. D' où il infere dans le neu- „ vieme chapitre que les Acteurs des „ Poemes Dramatiques n' ètoient point „ infames parmi les Romains; mais ſeu- „ lement les Hiſtrions, & les Bateleurs. „ Et les cenſures, dit-il, dont l' Egliſe „ a frappè les Hiſtrions & les Sceni- „ ques, & l' infamie dont les loix Civi- „ les les ont notez, ne tombent point „ ſur les Acteurs de Comedies & de „ Tragedies. Mais cette ſuppoſition n' „ eſt qu' une pure *illuſion;* car il eſt „ conſtant par le temoignage des plus „ celebres Auteurs de l' Antiquitè, que „ les Romains ont compris les Acteurs „ de Comedies, & de Tragedies ſous le „ nom d' Hiſtrions & de Sceniques. Et „ par conſequent l' Egliſe en Excommu- „ niant les Hiſtrions, & les Sceniques „ generalement, & ſans aucune exce- „ ption, a auſſi Excommuniè les Co- „ mediens, & les Acteurs de Trage- „ dies: & les loix Civiles, en notant „ d' infamie les Hiſtrions & les Sceni- „ que generalement & ſans aucune ex- „ ception, ont auſſi declarè infames les „ Acteur de Comedies & de Tragedies: „ puiſqu' ils ètoient compris ſous le nom „ d' Hiſtrions & de Sceniques.

„ Et c' eſt en vain que l' Auteur de „ la diſertation fait un ſi long diſcours „ de l' impudence des jeux Sceniques „ dans le v. chapitre: Des Poemes „ Dramatiques repreſentez aux jeux Se- „ niques, dans le vi. De la diſtinction „ des Acteurs des Poemes Dramatiques, „ & des Hiſtrions & Bateleurs des jeux „ Sceniques dans le vii. Des erreurs des „ Moderne ſur ce ſujet dans le viii. „ Et de l' extreme impudence de jeux „ Sceniques & des Hiſtrions dans le x. „ car cette ne ſert de rien, & ne me- „ rite pas qu' on s' y arrête &c....

„ En troiſieme lieu l' Auteur de la „ Diſſertation ſuppoſe que *Ars ludicra* „ ne ſignifie autre choſe que *l' Art de* „ *buffoner*. D' où il infere que les loix „ civiles, en notant d' infamie ceux qui „ montent ſur le Theatre pour exercer „ *Artem ludicram*, n' impoſent cette „ peine qu' aux Bouffons, & non pas „ aux Comediens. Mais *c' eſt une igno-* „ *rance groſſiere* de ne pas ſcavoir que „ *Ars ludicra* ſignifie l' Art de repreſen- „ ter toutes ſortes de jeux, & particu- „ lierement les Comedies, comme on „ le peut apprendre par la ſeule lecture „ de Valere Maxime, & par l' inter- „ pretation de tous les Juriſconſul- „ tes &c.

XVI. Dominus DE VOISIN paucis univerſæ Diſſertationis ſpecimen dumtaxat perſtringit. Integro porro volumine indicata commenta, ſeu deliria ampliſſima eruditionis cum prophanæ, tum ſacræ copia propulſat; & in fumum disjicit: unde infert Diſſertatorem merum eſſe fabulatorem, delirum, univerſæ Antiquitatis & Paganicæ, & Chriſtianæ ignorantiſſimum, nec non SS. Patrum, Conciliorum, Sacrorum Canonum, & Legum Civilium depravatorem vaniſſimum. Legerit, nec ne, Cl. *Theatri Italici* Auctor hanc Gallicam Diſſertationem, nihil ad inſtitutum attinet. Illud compertum eſt, exploratumque, ipſiſſimam eſſe & Præfationis ad Theatrum Italicum, & Diſſertationis doctrinam, ut cuique utramque legenti planum fiet. Forſitan omnibus iis, qui profundis Antiquitatis *Myſteriis initiati* ſunt, eadem lux affulget. Sed hæc ad me nihil attinent.

nent. Illud ſatis mirari haud valeo, quod Cl. & eruditiſſimus Theatri Italici Auctor, tamquam arcanam doctrinam, & interpretationem ſelectiſſimam, Italis divendat erroneum commentum non modo a prædicto Diſſertatore decem Capitibus explicatum, ſed ipſis PP. Caſſaro, Segneri, ne dicam aliquibus laxioribus Caſuiſtis, compertum.

XVII. Ego ſupra *Cap.* 3. Patrum teſtimoniis adductis palam feci, & quidem luculentiſſime, manifeſtam chymæram eſſe ob idololatriam, ſecus ob impudicitiam improbata a Patribus fuiſſe Theatra. Non minus ineptum eſt commentum, & fabuloſum, leges unum, non aliud Theatrorum genus infamiæ damnare. Dominus *DE VOISIN* fuſo ſermone hoc ſomnium diſpellit *loc. cit.* Unum, & alterum teſtimonium in tranſcurſu promam. Auctor *Theatri Italici pag.* 29. ſcribit: „ Non avrebbe Cicerone, uo„ mo pieno d' oneſtà, e di decoro, col „ Commediante Roſcio, e col Trage„ diante Eſopo profeſſata paleſamente „ famigliarità ed amicizia, ſe arte ver„ gognoſa profeſſata aveſſero. " Legatur Ciceronis Oratio, & verum eſſe reperietur; quod *lib.* I. *de conſenſ. Evangeliſ. cap.* 33. S. Auguſtinus ſcribit: *Cicero cum Roſcium quemdam laudaret Hiſtrionem, ita peritum dixit, ut ſolus eſſet dignus, qui in Scenam deberet intrare; ita virum bonum, ut ſolus eſſet dignus, qui eo non deberet accedere*, Pergit Auctor *Theatri Italici* pag. XXX. „ Tra Greci „ poi non ſolamente a profeſſori non re„ cò infamia la ſcena, ma neppur ver„ gogna a chiunque ſi foſſe, come ſi ha „ ſingolarmente dal Proemio di Corne„ lio Nipote. " Cornelius Nepos hæc ait in Proœmio: *Nulla Lacedæmoni tam eſt nobilis vidua, quæ non ad ſcenam eat, mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia, Victorem Olympiæ citari, in ſcenam vero prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in iiſdem gentibus fuit turpitudini. Quæ OMNIA apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur.* In Not. 36. hæc ſubduntur: (Apud Nos) *ſcilicet Romanos. Illis OMNE Hiſtrionum genus infame fuit, atque expers honorum Civilium. Vide Auguſt. de C. D.* 2. 13. *cum Not. Vives, Coquei & L.* I. *&* 2. *de his qui not. infam.* Sed quid in re apertiſſima tempus fallimus?

XVIII. Etiam Auctor Gallus in citata Diſſertatione Græcorum honorem Hiſtrionibus tributum imperitiſſime obtrudit, ejuſdemque Antiquitatis ignorantiam acriter vellicat Dominus *DE VOISIN cap.* 9. vetuſtis documentis adductis, quorum aliqua curſim indicabo. Plutarchus *de Inſt. Lacon.* hæc ſcribit: *Comœdias, & Tragœdias non admittebant Lacones, ut neque ſerio, neque joco eos, qui legibus contradicerent, audirent.* At degenerante more, ut fit, admiſſi ludi fuere, interdicto mulieribus ad eos acceſſu, qui tandem, ut Cornelius Nepos refert, eis conceſſus fuit. Sed uni Civitati Græcos alios opponere licet. Neque enim de eo quod invexerit tempus, quo omnia corrumpuntur præclare inſtituta, diſputatur; ſed de eo quod Sapientes conſtituere. Plutarchus de glor. Athen. hæc refert: *De Drammatibus autem ita cenſuerunt Athenienſes, eſſe rem indecoram, & intolerabilem, ut lege cautum eſſe, ne quis Areopagita Comœdiam faceret.* Rurſus idem Plutarchus *in Apophteg. Lacon.* narrat Lacedæmones ipſos Mimos, & Hiſtriones, omneſque Comœdos infames reputaſſe. *Quum aliquando Callipides Tragœdiarum hiſtrio celebris .... primum occurriſſet Ageſilao, atque ſalutaſſet, deinde proterve in comitatum ſe ingeſſiſſet, atque oſtentaret, ſperans blande ſe ab Ageſilao compellatum iri, tandem diceret: Non agnoſcis me, Rex, neque inaudiſti quis ſim? Intuitus in eum, nonne, inquit, Tu Callipides es Mimus?* Quod interdum ad dignitates evectus aliquis Mimus fuerit, non tollit, quin Legislatores, & Sapientes Hiſtrionum, ſicut & Mimorum omnium artem, ut infamem, reprobaverint. Si plura aves, lege citatum DE VOISIN.

XIX. Hæc omnia alto obvolviſſem ſilentio, niſi prima Chriſtianæ ſanctitatis fundamenta impeterent. Duo ſunt potiſſima, & perniciosiſſima ſcelera, libidinis nempe, & avaritiæ, ob quæ maxima humani generis pars æternum periclitatur. Ambo hæc monſtra Auctor fovet, dum hic voluptatis negotium Theatrorum defenſione, & avaræ cupiditatis flammam, alibi uſuræ propugnatione accendere, & amplificare omni quæſita arte ſtudet. Et quod omnium pejus eſt, in utroque argumento SS. Patrum

rum doctrinam, & Eccleſiæ traditionem corrumpit, & ſubvertit. Inſitam quoque Divinæ Gratiæ efficacitatem adimere infelici conatu pertentavit. Et quod omnem ſuperat fidem, ſe, dum talia ſcribit, bellum Domini præliari, & Religionis Catholicæ cauſam adverſus Novatores agere ſibi dulciſſime blanditur.

XX. Et quoniam de Divina gratia ſermo incidit, veniam dabit Lector, ſi occaſione data, vel arrepta, breviſſima digreſſione hic illum detinebo, ut facti veritatem patefaciam, atque explicem. Ad illuſtrem hunc Auctorem die 1. Auguſti elapſo anno 1750. epiſtolam ſcripſi, qua ſignificavi, me non eſſe Auctorem libri inſcripti: *Difeſa delle Animavverſioni* &c. De hac Epiſtola, quam privatim ſcripſi, quæque, me prorſus repugnante publicis typis evulgata fuit, plura ſileo in editoris obſequium. Sat mihi eſt, nullum in eadem Epiſtola verbum extare, cujus me pœniteat. Singularem exiſtimationem, venerationem, & profundum obſequium, quod ibidem illi profeſſus ſum, iterum confirmo, addoque perſpicaciſſimum celeberrimi viri ingenium, ſcribendi elegantiam, in Re Nummaria, & Lapidaria interpretanda eruditionem, qua ipſe careo, me ſemper ſuſpexiſſe. Cur ergo publicatæ Epiſtolæ memini? Quod forte ille, & certe plures exiſtimarunt quidquam emolumenti in *Hiſtoriæ Theologicæ* prædictæ doctrinam erui inde poſſe obſequentem periocham ibidem ſcriptam. *Io l' altro Meſe ho pubblicato il Tomo 6. della Teologia Criſtiana, nel quale ſpiego il Siſtema di Lutero, di Calvino, e di Gianſenio ſulla libertà, e ſulla grazia, dove difendo dottrine cotanto contrarie a quelle delle* Animavverſioni, *e del detto ultimo libro intitolato* Difeſa delle &c. *quanta è contraria alle tenebre la luce, e al Paradiſo l' Inferno*. Quid hinc? Propterea-ne vel tantillum faveo *Hiſtoriæ Theologicæ*, quam Semipelagianiſmi fuligine tinctam vi juſti ratiocinii Theologici (ni fallor ipſe) conſtanter exiſtimo? Quod unam opinionem falſam putem, idcircone alteram judico: *Quorum opiniones* (inquit Cic. *lib.* 1. *de nat. Deor.*) *cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poteſt, ut earum nulla; alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit*. Ut itaque præjudicatas de præfata Epiſtola mea opiniones penitus disjiciam, denuo repeto, me utique doctrinam docuiſſe, non ſecus oppoſitam nonnullis ſententiis in opere *Animavverſioni*, ac lucem tenebris, & Paradiſum Inferno. Verum eadem ſinceritate fateor, hanc meam doctrinam longe infenſius cum *Hiſtoriæ Theologicæ* ſyſtemate pugnare. Obſequii gratia abſtineo a promenda cenſura, quam mente formavi in talem *Hiſtoriam*. Id ſolum candide aſſero, perdoctum *Animadverſionum* Auctorem revera in ſacra Theologia apprime verſatum, ſtrenue efficaciſſimeque *Hiſtoriæ Theologicæ* ſyſtema labefactare. Cum erudito Theologo Gratiam Divinam natura ſua efficacem propugno, quod eſt celeberrimæ controverſiæ caput, quamvis in nonnullis aliis ab eodem ſummopere, ſicuti in laudata Epiſtola indicavi, diſtem. Hæc per tranſcenam declarare placuit in veritatis favorem, quemadmodum ejuſdem veritatis cauſſa *Theatri Italici* mentionem feci. Si quæſtio meram ſpectaſſet eruditionem, intactam illam præteriiſſem. Verum quia Theatralis corruptela maleficium eſt, ut ex P. SEGNERI vidimus, omnium pernicioſiſſimum, quod hominum mentes dementat, & uſquequaque animas inficit, idcirco omni humano reſpectu abſciſſo, calamum acui, ut animas Chriſti ſanguine redemptas a tam immani faſcinio, quoad poſſem, averterem. Omnes itaque Chriſti fideles iterum atque iterum obteſtor, ne ſe in errorem, & in æternum præcipitium pertrahi ſinant a quibuſdam eruditulis, qui Sacrarum Litterarum, & Eccleſiaſticæ eruditionis ſublimiorem ſibi vindicantes comprehenſionem, legis Evangelicæ ſpiritum, non ſecus ac ſemetipſos ignorant. Extrema clades, quam ſeculo XVI. paſſa Eccleſia eſt, inde potiſſimum manavit, quod Grammatici, Poetæ, & politioris humanitatis cultores, vanitate inflati voluerint & ipſi Theologi eſſe, & videri. Ex quo factum eſt, ut veris etiam Theologis inſultare, ac detrahere auſi ſint; & ſe per omnia miſcentes, turpiſſimos in errores prolapſi fuerint. Humanum ingenium primæ culpæ tenebris circumfuſum anguſtis clauditur terminis. Quiſque in ſuo ſtadio currat, & propriam attingere metam contentus ſit: alioquin qui præſtitutos ſuæ

ſtationis limites tranſilire contendet, rem omnem amittet. Utinam tandem iſti reſipiſcerent, & a fovenda Theatrali voluptate, & fœnoris immunitate, a neganda arte magica, & Divinæ gratiæ efficacitate contra luculentiſſima Scripturarum teſtimonia, & aſſertiſſimam perennemque Eccleſiæ traditionem abſtinerent. Ceterum niſi ab oppugnanda Evangelica doctrina, cujus notitia carent, ſibi temperaverint, intelligant velim, non defuturos Dei viros, qui mundo, calumnia, libellis famoſis contemptis, Chriſti cauſſam invicto pectore ſuſtinebunt, illorumque errores viriliter profligabunt. A diverticulo in ſemitam regredior.

XXI. Inſiſtit Auctor *Theatri Italici* pag. 34. „ Non però gioverà mai tanto „ chi s' affaticherà per abolire i divertimenti Teatrali, che preſſo le più colte Nazioni ci furono, e ci ſaranno „ ſempre, quanto chi per correggerli. „ Aggiungaſi, che ſcuola inſenſibile, „ ma però efficace ſi può nella Scena „ introdurre, ſeminando in molte coſe „ il buon ſentimento, e varie notizie „ ſpargendo, e IL MEGLIO DELLA „ MORALE in coloro inſtillando, che „ nè vorrebbero, nè ſaprebbero imparar „ tanto da' Libri. "

XXII. Ut ab ultimis verbis orſa capiam, felicius ergo inter Scenas, Mimos, & Mimas defæcatior Moralis ſuccus inſtillatur in eorum animos, qui nollent, aut neſcirent ex Bibliorum, & ſimilium Librorum lectione perdiſcere? Belle, & venuſte! Sed cujus generis eſt hic Moralis Theatralis ſuccus melior? Audi. „ Non ſi è veduto mai con eſſi „ mettere un popolo a ſuſurro, e deſtar „ FURORI d' applauſo di tanto in tanto, e far disfare ogni perſona di buon „ ſenſo in affetti, come ſi è veduto in „ qualche Tragedia Italiana " (*la moderna Merope*).

XXIII. Audiſti? Purior Moralis ſuccus tum habetur, cum populus videns, & audiens repræſentari Cleopatram, & Sofoniſbam, Meropem, & Poetarum fabulas in rumorem, & plauſuum furorem erumpit, & quiſque vel prudentior affectuum alacritate deliqueſcit. Hæc ſunt recentium Theologorum, qui cum Calviniſtis, Bajaniſtis, & Janſeniſtis, ſecus eum propriis affectionibus ſtrenue belligerant, effata, & theoremata. Non minus lepidum & venuſtum eſt; quod idem auctor primo loco proponit. Plus proderit, qui Theatra corrigenda, & ſpectanda, quam qui abolenda ſuadet: Quoniam latior ſemper fuit, eritque perditionis æternæ via; & Mundus, & Dæmon numeroſiorem ſemper, quam Chriſti Schola, diſcipulorum habuere, habebuntque multitudinem. Et tamen etiam ad hoc quod attinet, egregie fallitur antiquarius. Nam Theatra plura diruta; contra, nec unum hactenus correctum vidimus. Siquidem Arcadius Imperator inſtante Chryſoſtomo, Theatra ſin in totum, ſaltem in partem de medio ſuſtulit. Sanctus Ludovicus Galliarum Rex in exilium Comœdos egit. Comœdos proſcripſere Catholici Reges Philippus II., & Philippus IV. Hiſtriones repræſentare Pariſiis ſpectacula vetitum eſt anno 1584., & 1588. Theatra demolitus eſt Cordubæ Venerabilis P. Poſſada miraculorum patrator celeberrimus. Theatra hiſce diebus in pia Xenodochia tranſmutavit præſtantiſſimus Archiepiſcopus Valentiæ ſancti Gelaſii Papæ, & ſanctioris antiquæ diſciplinæ æmulator, & aſſertor ferventiſſimus, ut cætera prætermittam exempla. Quid? quod ipſe ignis ſuperſtitionis Paganicæ vindex interdum Theatra combuſſit.

XXIV. Rogo nunc eruditiſſimum Antiquarium, ut vel unum in tam ampla ſeculorum ſerie exemplum promat Reformationis Theatrorum, quæ ſemper fuerunt, ut ait ipſe, eruntque. Ex tot Tragœdiis, quas ipſe in tria digeſſit volumina, vel unam ſeligat, quæ inter ſcenas recitata a viris, & feminis Hiſtrionicis cum ſuis exordiis, ſeu intermediis actibus digna ſit Chriſtiano homine. Sed legat *Theatri Italici* Auctor laudatum Dominum DE VOISIN, qui adverſus hanc reformationis chymæram ab Auctore Anonymo *Diſſertationis* citatæ jampridem excogitatam, & denuo in Italia ut novum, peregrinum, inauditumque inventum nobis propoſitam, ſolide ſcripſit citato Tomo, in quo *cap.* 12. *Refutatione* 5. cujus hic eſt titulus: *Illuſion de l' Auteur de la Diſſertation touchant la Reformation des Comedies, & des Tragedies*, pluribus a *pag.* 287. adductis rationibus & documentis hanc Reformationis Mimicæ illuſionem diſſipat.

pat. Allegat auctoritatem vel ipſius P. Antonii Eſcobar, qui *tr.* 5. *exam.* 5. *cap.* 4. *num.* 137. hæc ſcribit: *Peccantne Magiſtratus Comœdias permittentes? Aſſerit Mendoza ſect.* 29. §. 377. *quia ex hujus mali permiſſione non vitatur majus malum, ſed omnia vitia confoventur. Quam pie Philippus IV. vere Catholicus Comœdias ab Hiſpaniæ Regnis hoc anno 1646. ut communem peſtem Regio ablegavit edicto.* Deinde ſic perſequitur D. DE VOISIN pag. 290. „ Les ſentimens de ces „ grands Rois, & de leurs Magiſtrats „ etoient bien differens de ceux de l' Auteur de la Diſſertation, qui veut qu'on „ *reforme les Comedies, & qu' on conſerve un art qui peut plaire.* Ces Prin- „ ces au contraire etant perſuadez qu' il „ eſt impoſſibile de reformer les Comedies, ont crù estre obligez d' abolir un „ art qui ne peut plaire ſans deplaire à „ Dieu, & ſans corrompre les bonnes „ moeurs . . . .

„ Cela ſuffiroit pour faire connoitre à „ l' Auteur de la Diſſertation combien „ l' idèe de la Reforme des Comedies eſt „ chimerique; mais il en a tellement „ rempli ſon eſprit, qu' il s' eſt imaginè „ d' en avoir trouvè un excellent mo- „ dele, en ce que fit l' Empereur Au- „ guſte ſur le ſujet des ſpectacles des „ Athletes. "

XXV. Nimis eſſem longus, ſi documenta, quæ contra Theatralis Reformationis ſomnium ibidem promit Dominus DE VOISIN, tranſcribere vellem. Nec opus pluribus eſt, ut id evincamus, cum evidens tot ſeculorum experientia patefaciat, hanc reformationem non aliud eſſe, quam verſutum ſtratagema a Theatrorum defenſoribus excogitatum, quo fucum imperitis faciunt, & obſcœnitati Theatrorum præſidium quærunt. Negare ipſi, quamvis animoſiſſimi, minime audent, Theatra ut ſunt, fueruntque, ſemper hoſtiliter cum Religione Chriſtiana pugnare. Reformentur, ajunt, Theatra. At Comœdia ad legem Chriſti reformata, Comœdia ſane non eſſet, cum vitia, & infamia Hiſtrionum, & cetera quæ in Comœdia, & Tragœdia qualibet fiunt, componi cum Evangelio nequeant. Interim hanc Reformationis illuſionem imperitis ingerunt, ut corruptela Theatralis liberius graſſetur.

XXVI. Tandem ſciant Theatrorum Defenſores, nos dum Theatra exterminanda ſuademus; dum ab iiſdem ſpectandis Chriſtianos ſubducere conamur, magnum ſemper aſſecuturos fructum, animarum nempe noſtrarum ſalutem, quod noſtro functi officio ſimus, ut Deus nobis teſtatur per *Ezech. cap.* 33. Contra, ſi muti canes eſſemus, pereuntium animarum ſanguinem de manu noſtra requireret. Qui vero Theatra, quæ ſunt Paganicæ ſuperſtitionis reliquiæ, frequentanda, & ſcriptis & voce non prætermittunt, magnam utique animarum meſſem æterno igne comburendam colligent: at niſi illos pœniteat, æternas, & quidem tremendiſſimas ipſimet pœnas dabunt.

XXVII. Lubet in eorum, quæ dixi, confirmationem, pauca adiicere, quæ Theatrorum, ad Chriſtianæ legis normam, reformationem prorſus vanam, & commentitiam oſtendunt, ipſis adverſariis fatentibus. Nam Cl. Muratorius in ſuo opere inſcripto *Della perfetta poeſia Italiana, hæc tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *pag.* 60. de Tragœdia ſcribit. *Quì (nella Tragedia) più che altrove s' ha da metter in opera la grand' arte di ſvegliar gli affetti, nel che parmi, che Euripide ſia ſuperiore agli altri antichi tragici. Il voler nella tragedia ſolamente parlare all' ingegno, o ſia all' intelletto con bei ſentimenti, con ingegnoſi, e raddoppiati intrecci ſtanca l' uditore, e il fa talvolta dormire. Biſogna aſſalirgli il cuore, MUOVERE LE SUE PASSIONI, e allora potran le ſcene prometterſi una coſtante attenzione, un plauſo comune.*

XXVIII. Hæc doctrina, quam Poetæ omnes docent, luculentiſſime evincit correctionem, reformationemque Theatrorum, ad Evangelicæ legis præſcriptum, chimæram eſſe chimærarum. Ars concitandi affectus in Tragœdia potiſſimum ſuas exercere vires debet, inquit Cl. Auctor. Et hac in re Euripides antiquis Tragicis præſtitit. Poeta tragicus cor aggrediatur, ejuſdemque paſſiones permoveat neceſſarium eſt: & tum ſpectatores conſtanter attenti erunt, & in communem plauſum erumpent. Hæc autem non minus cum legis Chriſtianæ Sanctitate, quam lux cum tenebris, & cum Paradiſo Infernus pugnant. Si contra hanc cordis mollitiem, & affectionum concitationem a Tragœdia adimis, Tragœdiæ na-

turam deſtruxiſti. Quod ſi abeſſe præfata a Tragœdia nequeunt, quanto minus a comœdia? Ergo adverſariorum confeſſione reformatio Theatricæ voluptatis manifeſtum ſomnium eſt.

XXIX. Pergit Auctor ibidem pag. 66. *Quando però condanno gli amori nelle Tragedie, non intendo già di volerneli affatto sbanditi. Non ſono cotanto ſevero, nè sì contrario al GENIO DE' TEMPI: e ſe ſi vuole dirò eziandio, che non è da biaſimarſi affatto il coſtume di temperar la ſoverchia ſeverità delle Tragedie* coll' amenità degli amori: *ma ne vorrei bensì moderato l' uſo, o bramerei almeno, che la Tragedia* ſempre *non aveſſe biſogno di raggirarſi per teneri, o baſſi amori*, come avviene oggidì. *E perchè non poſſono rappreſentarſi gli Eroi, e le nobili perſone operanti per altre maniere, che per quelle di Cupido? Non ci ſono eglino tanti altri amori, quel della virtù, della gloria, del regnare, e ſomiglianti, che furono, e ſaran ſempre una feconda miniera di tragici argomenti? Perchè reſtrignerſi* così ſovente al ſolo amore del ſenſo? *Ma egli mi dice nel can. 3. della ſua poetica il Signor Boileau*. „ La ſenſibile „ dipintura di queſta paſſione è la via „ più ſicura per toccare il cuore della „ gente.

XXX. Ut ab ultimis verbis auſpicer, cur, inquit Cl. Auctor, frequenter Tragœdi in laſcivo amore ſeſe revolvunt? Quia, reſpondet *D. Boileau*, vivida hujuſce appetitionis pictura ſecurius emollit hominum corda. Hunc cupidinis exceſſum, qui frequenter declinat in phreneſim, improbat Auctor noſter: ceterum adeo ſeverus non eſt, ut has amorum delicias adimere prorſus Tragœdiis velit: quin & temporum genio ſe ſe accommodat, & nimiam Tragœdiarum ſeveritatem temperandam amorum amœnitate docet. Quid? Num *Rigoriſmus* ingredi ipſa Theatra audebit? Uſum dumtaxat hujuſce amœniſſimi amoris temperatum imperat, averetque, ne ſemper Tragœdia, in his teneris amoribus volutaretur, ut hodie evenit. An præter cupidinis ſemitam, aliæ non patent viæ, per quas Nobiles, heroeſque viri immigrare in ſcenam valent? An non occurrunt alii amores virtutis, gloriæ, regnandi, ambiendi, & ſimilium, quæ fuerunt, eruntque ſemper ſplendida Tragœdiarum argumenta? Ne multa. Tragœdis non ſemper in Veneris luto hærendum: ſed altius interdum aſſurgant, & per ſublimiores indignationis, vindictæ, ambitionis, & gloriæ vias diſcurrant. Hæc ſunt vaſta confinia, intra quæ vagari Tragœdiæ valent. Comœdiæ vero frequentius cupidinis, & veneris actitare negotium poſſunt. Hæ ſunt de Tragœdiis axiomata, quæ, quam ſint Evangelicæ legi infeſta, nemo eſt, qui non agnoſcat.

XXXI. Pauca reſcribam ex iis, quæ de Muſica Theatrali Cl. Auctor ibidem pag. 38. docet. *Non ſi può negare, che la Muſica Teatrale* de' noſtri tempi *non ſi ſia condotta ad una* ſmoderata effeminatezza, *onde ella più toſto è atta* a corrompere gli animi degli Uditori, *che a purgarli, e migliorarli, come dalla antica Muſica ſi faceva . . . Ogni uno ſa, e ſente, che movimenti ſi cagionino dentro di lui in udire valenti Muſici nel Teatro. Il canto loro ſempre iſpira una certa* mollezza, e dolcezza, *che ſegretamente ſempre più fa vile, e dedito a' baſſi amori il popolo, bevendo eſſo la languidezza affettata delle voci, e guſtando gli affetti più vili, conditi dalla melodia non ſana. Che direbbe mai il divino Platone ſe oggidì poteſſe udire la Muſica de' noſtri Teatri? Egli, che ne' libri della Repubblica tanto biaſimò quella, che a' ſuoi tempi ſpirava alquanto di mollezza, conſiderandola, come infinitamente pernicioſa a i buoni coſtumi de' Cittadini? Eppure tutta la* Muſica degli Antichi, benchè molle, non poteva mai paragonarſi a quella de' Moderni, *la quale per eſſer forſe, come io credo, lavorata con maggior contrappunto, che non fu l' antica*, da ogni lato ſpira effeminatezza, ed infetta i Teatri. *Da queſti non ſi partono giammai gli ſpettatori pieni di gravità, e di nobili affetti, ma ſolamente di* una femminil tenerezza, *indegna degli animi virili, e delle ſavie, e valoroſe perſone*.

XXXII. Contra Muſicam Theatricam Antiquorum tamquam morum corruptricem invecti acriter Scriptores ethnici Plato, Cicero, Plutarchus, Quintilianus, & alii plurimi ſunt. Cicero *lib. 2. de lege* inquit: *Aſſentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi ſonos; quorum dici vix poteſt, quanta ſit vis in utramque partem: namque incitat languentes*,

tes, & languefacit excitatos, & cum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit antiquum vocum ſervare modum: quarum mores lapſi ad mollitiem, pariter ſunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque depravati . . . Quamobrem ille quidem ſapientiſſimus Græciæ vir, longeque doctiſſimus valde hanc labem veretur . . . Graviter olim iſta vindicabat vetus illa Græcia, longe prævidens, quam ſenſim pernicies illapſa civium animis, malis ſtudiis, MALISQUE DOCTRINIS repente totas Civitates everteret. Malos mores malæ doctrinæ ſemper foverunt, propugnaruntque. Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 10. ſubdit. *Profitendum puto, non hanc a me præcipi Muſicam, quæ nunc in ſcenis effeminata & impudicis modis fracta, non ex parte minima, ſi quid in nobis virilis roboris manebat, excidit*. Graviora Plutarchus ſcribit, quæ brevitatis cauſſa prætereo. Chryſoſtomus ſui temporis Theatrorum Muſicam *Meretriciam* vocat, *& cantum fornicatorium*.

XXXIII. Cl. Muratorius fatetur, & ita res ſe habet, hodiernam Theatrorum Muſicam molliorem effeminatioremque antiqua eſſe. Et revera quandonam procaciſſimæ mulierculæ aut laſcivius comptæ, aut impudentius canoræ, aut motibus ad blandiendum ſeducendumque turpioribus prodierunt in Scenam? Quid ſi ad hanc meretriciam muſicam ſaltationes, choreas, & tripudia adjicias, in quibus Hiſtriones Mimarum manibus innexi, impudiciſſimis corporis flectionibus, & diverticulis eaſdem rotant, & circumagunt. Quandonam Mimi, & Mimæ tam ingenti aureorum ſumma ſuum fornicatorium cantum locarunt? Modo ſexcentis, modo octingentis aureis pro trium, aut quatuor hebdomadum cantu conducuntur evirati Comœdi, & viliſſimæ femellæ, quorum non paucæ ſcorta cum ſint, *virtuoſe* vulgo appellantur. Porro ſi Ethnici ſcriptores antiquam muſicam corruptelam, labem, perniciemque animarum compellant: quid de muſica hodierna omnium Doctorum teſtimonio molliore, turpiore, laſcivore, quid de Chriſtianis illis, qui Muſicam hanc Theatralem, ut licitam honeſtamque defendunt, dicendum?

XXXIV. Ut plura in pauca contraham, ediſſerant nobis qui Theatra reformanda corrigendaque ſuggeſſerunt, qua via, qua ratione fieri hæc reformatio queat? Immutanda Tragœdiarum, & Comœdiarum natura, ſeu materia eſſet, & ſupprimenda ea omnia, quæ amores, quæ gloriam humanæ indignationis, faſtus, ambitionis ignem, & mollitiei teneritudinem excitant. Expellendi omnino eſſent Hiſtriones, Mimi, & expudoratæ Mimæ, Saltatrices, & Cantatrices. Aliud denique Theatrorum genus inducendum cum ea quæ hodie obtinent, reformationem haudquaquam excipiant. Audiant Theatrorum reformatores quid de hac chimærica reformatione ſcribat GEORGIUS GRABOVVS Lutheranus Theologus in ſuo *JUDICIO de hodiernis Comœdiis*, ubi poſt deſcripta Theatrorum vitia & flagitia, hæc ſibi pag. 23. objicit. *Porro dixerit aliquis: ea omnia comœdiis abeſſe debent. Debent omnino ex præceptis Theologorum; ſed nondum, quod ſciam, abſuerunt, neque impoſterum, quantum prævideri poteſt, ſalvo earum ſtatu, aberunt. Sunt enim certo modo eſſentialia, imo anima comœdiarum. Sunt adjuncta, quæ mentis quidem ſeparatione abſtrahuntur: re tamen inſeparabiliter conjuncta manent. Sunt ex eorum genere, quorum alia perfacile, alia difficulter, alio raro, alia numquam ſine earum interitu abeſſe poterunt. Nam ſublatis illis illecebris deficient Spectatores: deficientibus Spectatoribus deficient commoda: deficientibus autem commodis deficient Auctores cum Actoribus. Hoc autem facto, accidentia cum ſubſtantia, abuſus cum uſu, adjuncta cum ſubjectis (miſerum) peribunt*.

XXXV. Ex iis, quæ hoc capite hactenus dicta ſunt colliges, Cl. Muratorium, & percelebrem Italici Theatri Auctorem pugnantia docere, & manifeſtis antilogiis ſemetipſos conficere. Fatentur, præſertim *Muratorius*, hodierna Theatra turpia eſſe, & impudicitiæ gymnaſia, ſpectatorum animos corrumpere, & bono publico pernicioſa. Agnoſcunt, & docent neceſſariam eſſe eorumdem reformationem. Ergo iſtorum teſtimonio, auctoritate, & confeſſione Theatra hodierna ſunt Chriſtianis illicita, & vetita. Ergo donec corrigantur, peccant Chriſtiani, qui Theatra iſta frequentant, ipſius *Muratorii*, & *Theatri Italici Auctoris* confeſſione.

XXXVI.

XXXVI. Non deerunt fortaſſe aliqui, qui mihi vitio daturi ſint, quod duos præſtantiſſimos Italiæ noſtræ Scriptores refellendos ſuſceperim, eorumque aberrationes, & antilogias patefecerim. Sed audiant iſtiuſmodi cenſores & meditentur, ea quæ Cl. Muratorius *cit. oper. tom.* 1. *cap.* 2. *pag.* 6. & 7. ſcribit. „ Non dovrà alcuno accuſarmi di preſunzione, „ perchè io citi al mio Tribunale; e „ condanni talvolta uomini già dal conſentimento univerſale conſecrati all' „ immortalità. Perciocchè queſte famoſe penne non congiunſero alla felicità „ de' loro ingegni anche il pregio d'eſſere impeccabili. Senza, che dirò col „ Cardinale Sforza Pallavicino, *gl' inſegnatori dell' Arti non deono menzionare le imperfezioni, ſe non d' Artefici ſegnalati, come più malagevoli ad eſſere conoſciute, e più pericoloſe ad eſſere imitate, per l' autorità di quel Nome, tra la cui luce, quelle macchiette ancora quaſi raggj riſplendono. La quale Autorità è di sì gran forza per indorare i difetti, che potè cavar di bocca ad un gran Filoſofo, che anzi chiamerebbe virtuoſa l' ubbriachezza, che vizioſo Catone. Nel rimanente non ſi può fare ad un uomo il più deſiderabil elogio, che biaſimarlo in poco, e lodarlo in molto.* " Huic ſapienti conſilio ſemper ego adhæſi. Summopere laudavi Scriptores, etiam inferioris, nedum altioris, ſubſellii, quorum maculas, & aberrationes detexi. At non propterea invidiæ ictus declinavi. Nihil tamen moratus ſum, nec morabor in poſterum injuſta hominum maledicta.

XXXVII. Aliud ſplendidiſſimum documentum contra indicatam cenſuram, & in mei ipſius defenſionem ſubminiſtrat celeberrimus Theatri Italici Auctor in opere nuper edito, quod hunc præfert titulum. *Conferma delle Riſpoſte date all' Anonimo impugnatore della Storia Teologica*, ubi in procœmio hæc *pag.* 1. & 2. ſcribit. „ Soggetti per pietà, e per dottrina, e per dignità ancora coſpicui „ mi hanno gravemente ripreſo, e mi „ hanno fatto ſcrupolo dell' aver riſpoſto „ alli due libri ec. con tutta brevità, „ con così poco ſtudio, e quaſi a corſa „ di penna. Mi hanno replicato con „ molta forza, che *non ſi tratta quì di qualche letteraria queſtione, e non ſi tratta di mio particolare intereſſe: ſi tratta di punti di Religione, di Dogmi Cattolici eſſenziali .... Perſuaſo, e vinto da così autorevoli rimoſtranze ... mi ſon poſto ad eſaminare da dovero ec.* "

XXXVIII. His rationum momentis & ego ipſe perſuaſus, victuſque, animo intrepido præcipua Religionis noſtræ capita, quæ mores ſpectant, propugnanda ſuſcepi adverſus Spectaculorum, Comœdiarum, & Tragœdiarum defenſores, qui Caſtitatis, humilitatis, modeſtiæ, & pudoris virtutibus inſidias, & ultimam intentant ruinam: qui libidinem, faſtum, luxum, ambitionem, ſuperbiam promovent, & in triumphum agunt, & Evangelicæ morum integritati generale bellum denuntiant. Si rei antiquariæ, & profanæ eruditionis controverſia fuiſſet, indictam prætériiſſem: Sed cum viderim magni nominis viros Chriſtianæ tamen Theologiæ non ſatis peritos Theatricam voluptatem, & infamem Hiſtrionum artem honeſtatis loco habere, pro vitiis Religioni noſtræ oppoſitis pugnare, adverſus eoſdem calamum armare, non obiter, ſed ex inſtituto deliberavi.

XXXIX. Quandoquidem ex indicatis vitiis, veluti ex peſtiferis fontibus venefici rivuli, ſcaturit impietas, Religionis, & Divinarum Scripturarum contemptio. Et ſane in recitato opere inſcripto *Conferma ec.* pro defenſione *Hiſtoriæ Theologicæ* edito, regula pro interpretandis Dei oraculis ſtatuitur, quæ ſi conſiſtat, actum conclamatumque de Scripturis Divinis eſt. Recenſet Auctor *pag.* 8. ſequens Divinum Oraculum ſibi ab Anonymo adverſario oppoſitum. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati:* a Mardocheo *Eſter c.* 13. & a Patriarcha Joſepho *Gen. c.* 50. pronuntiatum: Et hoc pacto interpretatur. *Ma il Patriarca Giuſeppe, e Mardocheo ſono Autori, le OPERE de' quali non abbiamo.* Quæ ſic latine verto. *Sed Patriarca Joſeph, & Mardocheus Auctores ſunt, quorum OPERA minime habemus.* Ejuſmodi verba hunc produnt ſenſum. Quid tu Anonyme talem nobis objcis textum? Quid inde colligere emolumenti tibi blandiris? Si nobis Opera Joſephi, & Mardochei præſto eſſent, germanum eruere ſenſum poſſemus: at cum eiſdem careamus, nihil certi ex præfata

inferri oraculo poteſt. Apage ergo Anonyme cum tuo Textu, nec illum obtrudere in poſterum audeas, donec Joſephi, & Mardochei autographa nobis perhibeas, unde verum ſincerumque deducere ſenſum valeamus. Hæc ſunt legitima & neceſſaria conſectaria, quæ ex data reſponſione ſponte manant. Quis eſt autem, qui non videat, hoc principio admiſſo, in fumum abire inumera Scripturarum oracula, immo univerſum utriuſque fœderis Teſtamentum nutare? Non ſuſcipitur dictum oraculum, ut a Spiritu Sancto dictatum, ſed ut ab hominibus ſcriptum? Si eruditiſſimus Antiquarius vetuſtum aliquem papiraceum codicem exponere debuiſſet, adhibere hoc ſuum reſponſum utcumque potuiſſet. At ſimili critices regula abuti in Divinarum Scripturarum interpretatione error eſt omnium graviſſimus, qui extremum infert Scripturis Sanctis detrimentum. Ad quem convellendum calcaria mihi vel repugnanti adjecit Italicorum Scriptorum Cenſor Eruditiſſimus, qui in ſuo *volum.* 3. *hiſt. litter. pag.* 76. venuſtiſſimum commentum hactenus inauditum, totidem omnino verbis tranſcribit, & ſuis lectoribus ſorbendum propinat. Excuſabit ſe forſitan, quod ſuum ſit, librorum præbere excerpta, ſecus errores refellere, vel etiam prætermittere. Verum ne, an falſum hoc, in tempore patebit. Nec lamentari Cenſor jure poterit, ſi alii, in quorum ipſe ſcripta ſevere inquirit, virgamque exercet cenſoriam, jure utantur defenſionis. Nec enim exiſtimandum eſt, Cenſorem iſtum ſupremum ſibi adſcribere jus velle univerſæ Italiæ Scriptores ad ſuum revocandi Tribunal: illoſque extollendi ad ſidera, & iſtos deprimendi ad ima, rodendi, & mordendi: ſimulque repugnare, ut injuria læſi, veritatis, & præſertim Chriſtianæ propugnanda jura, notaſque ſibi præter veritatem impactas repellendas ſuſcipiant. Sed in ſemitam nunc redeamus.

CAPUT XXII.

JACOBUS PIGNATELLI Sac. Theol. & J. U. Doctor, tom. 8. Conſult. 153. *hodierna Theatra turpia, & fœda eſſe: peccare mortaliter tum Auctores, tum Spectatores omni argumentorum genere demonſtrat. Iſtius Conſultationis Synopſis.*

I. HIC eſt laudatæ Conſultationis Titulus. *De fœditate Comœdiarum noſtri temporis, deque earum Actoribus, & inſpectoribus, ac hoc in malum remediis &c.*

II. Evincit primo vetita Chriſtianis Theatra Divini verbi auctoritate, inquiens *n.* 1. & *ſeqq.* „ Probatur id primo auctoritate Sacrarum Scripturarum". Et pluribus Divinis teſtimoniis adductis, ſubdit.

III. „ Secundo auctoritate ex Sacris „ Sanctionibus Summorum Pontificum, „ Conciliorum, & Legum Civilium". Canones promit S. Clementis, Concilii Carthaginenſis 3., Nannetenſis, Aquiſgranenſis, Agatenſis, Carthaginenſis, Arelatenſis, Mediolanenſis, & leges Imp. Juſt. Theod. & aliorum.

IV. Num. 23. „ Tertio auctoritate ex „ Sacris Doctoribus & antiquiſſimis Ec„ cleſiæ Patribus petita, qui Chriſtia„ nam Religionem, ac pietatem acerri„ me tutati ſunt". Patres, quorum teſtimonia allegat, ſunt ſequentes: Tertullianus, S. Hieronymus, S. Cyprianus, Lactantius, S. Cyrillus Hieroſolymitanus, S. Baſilius, S. Auguſtinus, Minutius Felix, Theophilus ad Autholycum, Iſaacus Presbyter, Salvianus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chryſoſtomus, Beda, S. Bernardus, S. Laurentius Juſtinianus. Poſt Patrum teſtimonia, auctoritates reſcribit cum Theologorum, tum benigniorum Caſuiſtarum.

V. Num 43. inquit „ Quarto aucto„ ritate principum Theologorum, qui do„ cent *mortali peccato* eſſe obnoxios & „ qui comœdias, ludoſque exhibent, „ *tum qui ſpectant*". Laudat autem S. Thomam, Cajetanum, S. Antoninum, Paludanum, Durandum, Sylveſtrum, Armillam, Viguerium, Tabienam, concluditque *n.* 52. *Hactenus omnes ex illu-*

illuſtriſſimo PP. Prædicatorum Ordine.

VI. N. 53. citat Alexandrum Alenſem, Angelum de Clavaſio, Gabrielem Biel. *Et hi ex Sacro Minorum Ordine*.

VII. Num. 56. allegat Thomam Sanchez, Reginaldum, Paulum Comitolum. *Hactenus*, ait, *Patres e Societate Jeſu*. Additque Megalium, & Lelium Lechium. Poſtea adjicit.

VIII. N. 61. „ Quinto auctoritate „ Pontificii, Cæſareique Juriſconſulto- „ rum ". Allegat vero Panormitanum. Covarruviam, Alexandrum, Archidiaconum. Deinde aſciſcit Patrocinium Ethnicorum.

IX. N. 66. „ Sexto auctoritate Gen- „ tilium, & a fide alienorum, qui ante „ Chriſtum naturali lumine Theatro- „ rum laſciviam horruerunt ". Citat vero Platonem, Ariſtotelem, Varronem, Tullium, Senecam, Julianum, Helianum, Valerium Maximum, Fortunatum, Statium, Svetonium, Cornelium Tacitum, Demetrium Phalerium. Horum omnium, tum Theologorum, tum Ethnicorum luculentiſſima reſcribit teſtimonia, quorum plurima ſupra ipſe exhibui.

X. N. 83. aut „ Septimo ex prodigiis, „ Diviniſque animadverſionibus, quibus „ merito a ſpectaculis deterreri debe- „ mus ". Deinde tremenda ſupplicia in Theatrorum ſpectatores lata a Deo ex Tertulliano, S. Gregorio Magno, Hiſtoria Tripartita, Bellovacenſi, Hartemio Carthuſiano, Cantipratano, Henrico Gran Germano, Menochio. Tandem ad rationum momenta accedit.

XI. N. 96. *Octavo ex rationum præcipuarum momentis, quibus oſtenditur* MORTALIS CRIMINIS *eſſe reos Comœdiarum* NOSTRI TEMPORIS *Actores, & Spectatores*. Ut vero in anteceſſum omne præcludat effugium, præmonet, neminem vel in controverſiam vocare, licitum eſſe honeſtis repræſentationibus, & jocis intereſſe. Deinde hæc ſtatuit.

XII. N. 97. *Tria tantum rationibus expendenda, ne aliquid huic noſtræ Parænetica Conſultationi deeſſe videatur. Primum: quæ dici debeant honeſta, quæ turpes, & an noſtri temporis Comœdiæ, quæ a venalibus hiſce Hiſtrionibus dantur, honeſta dicenda ſint? Secundum: An turpium Comœdiarum Actores mortaliter peccent? Tertium: An etiam Spectatores?*

XIII. An majori perſpicuitate, & diſtinctione proponi & dividi quæſtio poterat? Audi nunc ad ſingula luculenta reſponſa, quæ exhibet.

XIV. N. 98. „ *Primum*. Turpes Co- „ mœdiæ eæ ſunt, quæ fœdiſſimas ho- „ minum, mulierumve, coram exhibent „ actiones, puta oſcula, amplexus, ſal- „ tationeſque illas, laſcivaſque cantile- „ nas, quibus venus aut ſaltatur, aut „ cantatur, aut exprimitur. Turpes Co- „ mœdiæ eæ ſunt, in quibus agitur de „ amantium furtis, de Conjugum adul- „ teriis, de Meretricum, Lenonum, Puel- „ larum, Adoleſcentum clandeſtinis arti- „ bus, veneficiis, amoribus. *Utque di- „ ſtinctius loquar, turpes, fœdæque eæ „ ſunt, in quibus viri & feminæ de amo- „ ribus ludunt, agunt, colloquuntur. Cum „ ergo in noſtri temporis Comœdiis, quæ „ a venalibus hiſce meretriculis, & hi- „ ſtrionibus exhibentur, & viri, & mu- „ lieres in ſcenam prodeant, de amoribus „ hujuſmodi agant, & obſcœna collo- „ quantur, ſaltent, ludant, id etiam „ certiſſimum, atque evidens remanet, „ OMNES noſtri temporis Comœdias ob- „ ſcœnas eſſe, atque inhoneſtas, & tur- „ pes*.

XV. Num. 99. Hæc ſibi objicit, quæ ignorantiſſimi Theatrorum patroni muſſitare & blaterare conſueſcunt. „ Dices. „ Ideo non turpia, non inhoneſta, quia „ ficta. Verum an non turpes dicuntur „ imagines, ſi commiſtas cum maribus „ feminas repræſentent? Quis turpes il- „ las non appellet? Quis, ſi ſanus quiſ- „ que ſit (cum Chriſtiano loquor) qui „ protinus oculos non avertat? Et ta- „ men eæ etiam fictæ, immo & pictæ „ longe a vivo remotiores, quam comi- „ ca. Rurſus falleris, quiſquis es, ho- „ neſta ea appellans, quæ de turpibus „ agunt. Falleris, qui bona, ac minime „ reprehendenda ea dicis, quæ innume- „ ris malis viam faciunt, aut qua ratione „ bona, honeſtave, quæ (ut ille ait) „ ſimulatis criminibus inſtruunt ad vera „ fictis alliciunt, immo impellunt ad pe- „ jora? Si ab ſcenis obſcœna, ſi a Co- „ mœdiis impudiciſſima, quis honeſtas „ eas vocitet? Impuriſſimi rivi, niſi „ ſordidiſſimum fontem arguunt; qui eo „ per-

„ pernicioſior, quo pluribus obvius, quo „ communior, quo nocentior: & audebis dicere adulteria, quia in Teatro, quia ficta, ideo honeſta? Plane „ felix meretricula, quæ in Theatris reperis honeſtatem, quam in penetralibus amiſiſti. *Sanctiſſima ſcena, quæ honeſtos ſanctoſque efficis ſcurras, & hiſtriones. Unde hæc tibi proſcenio ſanctitas, quod turpiſſimos actus in angulis, honeſtos facis in publico? Audeo dicere, pejus hoc fingere, quam peccare.* „ Longe quippe criminoſius mala docere, „ quam agere. Utinam mœchus, utinam adulter, qui pulpita proteris. Solem „ fugeres mœchus, qui diem inficis Hiſtrio: tenebras optares adulter, qui „ populos facis adulteros: Solus deciperes cum ſola, non millenos deciperes. Sis leno Hiſtrio. Proſtitue te, o „ Puella, ne finge. Sis ipſum lupanar, „ quod ſimulas, o Theatre, fugerent te „ Matronæ, verebuntur pueri, horrebunt ſenes, nulli addiſcent, quæ mox „ facient".

XVI. Num. 100. Hoc pacto reſumit orationem Pignatelli, & pudore ſuffundit viros Theatrales, ſeu Theatrorum defenſores. „ Ego diſputationem hanc ſic „ definio. *Noſtri temporis comœdias neminem honeſtas appellantem audivi, niſi* AUCTORES TURPITUDINUM vel FAUTORES. Eos dumtaxat, qui ut fœdiſſima crimina majori immunitate exequantur, & iterent, ficto honeſtatis velo obtegunt, „ pravæ licentiæ nomine implicant, aut „ ſeculorum conſuetudine involvunt, „ ajuntque, *licere id, neque inhoneſtum, quia tot ſeculis factum, receptum a populis, permiſſum a Magiſtratibus.* „ At permittuntur lupanaria, eaque „ adire. Ergo honeſta? . . . . . Mala „ adulteria, perjuria, & tamen plurima ſub ſole. Repete ſeculorum myriades, & pejerantes reperies, & adulteros &c."

XVII. Expoſita claritate ſumma Theatrorum & Comœdiarum, quæ tempore noſtro vigent, fœditate, & turpitudine, vel in factis ſita, aut in verbis, geſtibus, & nutibus, accedit ad id, quod ſecundo loco propoſuit, evincendum. Fœditas, & turpitudo Comœdiarum, & Tragœdiarum, quæ hodie repræſentantur, negari niſi a fatuo nequit. Nam licet turpia verba non ſint, ut alias & ſæpe quidem dixi, turpia tamen facta narrantur, & geſtibus, nutibuſque exprimuntur, ut adulteria, amores reciproci, amplexus virorum & feminarum. Hæccine honeſta? Sed Jacobum Pignatelli audiamus.

XVIII. Num. 102. „ Alterum eſt, „ an MORTALITER PECCENT „ Hiſtriones noſtri temporis laſciviarum, „ & amorum ludos exhibentes. Ego ſane *nullum reperi inter innumeros fere Auctores, quos legi, qui id negaret, aut oppoſitum ſentiret*: ajuntque turpium „ comœdiarum Actores, imo Auctores, qui eas componunt, *Mortalis piaculi eſſe reos*: Rationum præcipuarum „ collectionem, & ſyllogen accipe. Primo, quia cauſſa ludi utuntur (ut ſupra oſtendimus) turpibus verbis, vel „ factis, quia mulieres in Theatrum inducunt, nempe libidinum fomites, quia „ de amoribus, ſtupris, adulteriis agunt, „ quæ laſciva omnia, & Chriſtianorum „ nomine indigna &c.

„ Rurſus *peccant mortaliter* Hiſtriones, „ quia turpibus verbis, vel factis ſe, & „ alios Chriſtiana cordis munditia privant, ſine qua nemo Deum videbit „ umquam, ut habetur *Matt.* 5. Ita quem „ mox citavimus *Paul. Comitolus*, & recte. Quæ enim cordis munditia iis, quibus immundæ aures, plena fabulis pectora, artibus, veneficiis, adagiis, ſcurrilitatibus, ſive prodeant laſciviſque carminibus capita? Qui dies totos in id „ inſumunt, noctesque totas, ſive ſe præparent, ſive domi, ſive in proſcenio. „ An hæc cælorum Regno apta mundities, puritas, quo nihil ingreditur coinquinatum? Dicent fortaſſe. *Rigidior es*, qui *hæc doces*. Neque enim tam „ minuta mundities a ſecularibus exquirenda. Verum ego non id a ſecularibus requiro, ſed a fidelibus, qui in Cælum intendunt, qui violenter Cælum „ rapere jubentur, jubentur autem omnes &c.

„ Tertio ſcelerate agunt Hiſtriones, „ quia bonos mores in Civitatibus & Rebuſpublicis evertunt, Chriſtianam in „ Deum charitatem exterminant: quia „ pueros virtutibus exuunt, ad inhoneſtos mores alliciunt, & erudiunt, ut „ amoribus dent operam, ut mulieres adament, ut parentibus haud obediant,

„ ut ſenes irrideant, & minime reverean„ tur, omneſque contemnant. *Peccant* „ *ergo mortaliter*, quia aptiſſima dæmo„ num inſtrumenta; quia egregii vitio„ rum artifices: quia homicidiorum, ri„ xarum, turpitudinum fomites: quia „ Matronarum, Virginum, adoleſcentu„ lorum, cogitationum omnium perver„ ſarum origines, & flabella: illis ad la„ ſcivarum rerum plauſus, voces, riſus: „ illis denique quot quot a ſpectatoribus „ illic crimina committuntur. Ipſorum „ quippe opera nulla in Theatro mode„ ſtia, nulla temperantia, nulla pudici„ tia, morum omnis effuſio, nulla Chri„ ſtiani hominis veſtigia, ſed laſcivien„ tium, ſed furentium, ſed beſtiarum, „ ſed ferarum. Spectatorum namque vo„ ces conſidera, facies intuere, oculos „ obſerva, verba expende, ſuſpiria intel„ lige, nutus inſpice, & mecum fatebe„ re, quot facinora. Manent binis, aut „ ternis menſibus hi in Urbibus ſingulis, „ interim quanta in Urbibus perturbatio? „ Quot rixæ plerumque ob eos conven„ tus? Quot vulnera, quot cædes, quæ „ ſaltem pericula? Summa in re fami„ liari negligentia, ſi Patres inſpicias? „ Ludorum aviditas etiam in opificibus, „ in agreſtibus, qui opere relicto quoti„ diano accurrunt, concurrunt famuli, „ relinquunt Matronæ domi filias, puel„ laſque tum pubeſcentes adducunt, ut „ diſcant, quæ audivere numquam, ut „ citius eas, quam ferret ætas, libidinum „ flamma corripiat.

„ Denique peccatum lethale illud eſt, „ quod vel inſignem Dei contemptum, „ vel grave alterius damnum, vel ma„ gnam ſui labem, vel corruptionem ha„ bet . . . . Verum hæc tria ex condi„ cto reccurrunt noſtri temporis hiſtrioni„ bus, ut recte noſtri temporis Doctores „ expendunt. Sui, proximorumque da„ mnum jam oſtendimus. Dei vero con„ temptum aſpice. Hiſtriones namque, „ cum omnia per lucrum faciant, & o„ mnia lucro metiantur, nil ob Dei ti„ morem prætereunt, dummodo lucrum „ accedat. Inde pulchriores mulieres con„ quirunt, inde eædem veſtibus adornan„ tur, inde ſtibio, & purpuriſſo pingun„ tur, verba in mollitiem, geſtus ad la„ ſciviam, nutus ad procacitatem, ſalta„ tiones, choreæ ad mutuam luxuriam „ componuntur; idque quia ſciunt his in„ cautam multitudinem allici. Omnes „ enim pecuniæ vias norunt, nullas o„ mittunt, ut adoleſcentes pelliciant, al„ liciant viros, Matronas oblectent, ju„ venes emolliant, ſenes reddant inſanos, „ ac ſic pecunias a ſingulis ſuffurentur, „ & extorqueant. At qui ſic lucrum quæ„ runt, qui his artibus pecunias parant, „ cum ingenti Dei contemptu id non fa„ cient? “

XIX. Num. 106. producit pœnas latas in Hiſtriones, quos ab Euchariſtia arcet Cyprianus, & Apoſtatis accenſet Concilium Cartaginienſe, iiſdem infamiæ notam leges inurunt, & plures ſummi Pontifices excommunicationis pœna illos plectunt. „ Et ſcenicos iſtos, inquit, hone„ ſtos dices? Tu innocentes pronuntia„ bis? Tu ab omni crimine abſolves? „ Tu Dei, tu hominum non fateberis „ contemptores, qui ab Eccleſia arcen„ tur, ni artem ſuam deſinant? Qui a „ communione Chriſti corporis ſegregan„ tur? Qui infames, perditi homines di„ cuntur? Qui cum Apoſtaticis numeran„ tur? Excommunicationi nemo obno„ xius, niſi prius lethali peccato irreti„ tus. Illa neminem ligat, niſi mortali „ crimine illigatum. Verum excommuni„ cationis pœna plectuntur Comici a Pon„ tificibus, plane quia mortaliter peccare „ Hiſtriones exiſtimarunt. Dicunt non „ eos eſſe Hiſtriones, qui a Pontificibus „ excommunicantur. At dicant ipſi qui „ ſint? Scio Hiſtriones damnari. Scio Ca„ nones nullos excipere. Scio Comicos, „ & Scenicos ab Eccleſia pelli, eos, in„ quam (ut ait *Gloſſa verbo Hiſtrionibus*) „ qui turpibus, & illicitis ludunt. *Scio* „ *ipſos nunc* turpibus & illicitis ludere. „ Tandem ad tertium quod propoſuit ca„ put, tranſit, nempe ad peccatum, „ quod Spectatores perpetrant, declaran„ dum, ſequentibus verbis. “

XX. Num. 108. Simplex, & abſoluta hæc propoſitio. *Inſpectores Comœdiarum, quæ a venalibus hiſce Hiſtrionibus fiunt, in quibus tum viri, tum mulieres in ſcenam prodeunt, & de amoribus, & laſcivis rebus colloquuntur &c. non peccare mortaliter, eſt propoſitio CHRISTIANO HOMINE INDIGNA, NEDUM THEOLOGO, Reipublicæ maxime pernicioſa, Patrum doctrinæ directe oppoſita, Theologorum omnium, & Scholaſticorum placitis minime conſentanea. Contra vero hæc: Comœ-*

mœdiarum noſtri temporis inſpectores MORTALI PECCATO *illigari*, *tum ratione ſcandali*, *tum ratione periculi*, *tum vi cooperationis; eſt propoſitio tutiſſima*, *ſummorum Pontificum reſponſis*, *Conciliorum*, *& Canonum oraculis egregie conſona*, *Patrum ſententiis*, *Scholaſticorum doctrinis omnino conveniens*, ET VERA.

„ Num. 109. Peccant ergo Comœdiarum noſtri temporis inſpectores *vi cooperationis*, quia nimirum adſtant voluntarie, & abſque neceſſitate Hiſtrionibus *mortaliter* peccantibus, iiſque arrident, plaudunt, favent, & ut plurimum fovent auctoritate, pecunia, *vel ſaltem præſentia*. Quod ipſis eſt cooperari. *Mortaliter vero peccantibus* cooperari, & in crimine quoquo pacto influere, *lethale eſt*. Quod dum adſtant Hiſtrionibus, iiſque favent, arrident, iiſdem cooperentur, in eorumdem crimen influant, manifeſtum ſit. Nihil enim magis loquenti cooperatur, *quam audiens*: Quique coram populo agit, a nemine magis adjuvatur, & quodammodo vires in dicendo accipit, *quam ab Auditoribus*, ſi ii præſertim plaudant, arrideant, nutibus faveant, aut ſaltem oculos intendant. Accipit, qui dicit auditoribus quodammodo verba, ſales, ſententias, quodque mirabilius eſt, etiam vires, & latera, atque, ut dicam, ingenium, ex ſolo adſtantium obtutu: at Hiſtriones in Theatro habent, nedum verborum exceptores, ſed etiam pecuniarum datores, atque adeo non tantum ab Auditorum aura, ſed etiam auro vires accipiunt, dum loquuntur, qui ſine auro nec prodirent.

„ Confirmatur a pari. Summi Pontifices, nedum in Duelliones, & Monomachos excommunicationis tela ipſo facto minantur, ſed etiam in eos, qui ex induſtria ſpectant ob eam rem; quia, illis inſpicientibus, Duelliones vix deſinerent. Quod manifeſtum ſit, Duellorum inſpectores tantum, quia inſpectores, mortaliter contra charitatem peccare; neque enim excommunicatio in eos jaceretur. Hiſtriones vero nec inciperent, nec in ſcenam prodirent, ſi eoſdem non ſpectator adires. Pari ergo ratione convinceris, ſive duelli ſpectator ſis, ſive Hiſtrionum: licet enim inſpectio utrobique non intrinſece mala, tamen quia utrique, tum Monomachi, tum Hiſtriones rem agunt intrinſece malam, hi præſertim ob exceſſum in ludo, ob Dei contemptum, ob turpes geſtus, & verba ad libidinem incitantia, quæ in ipſis nullo fine honeſtari poſſunt, cum dent aliis evidentem ruinæ cauſſam, ideo utrique inſpectione quodammodo cooperaris, *ac utrobique lethaliter peccas*.

„ Dices: adhuc agerent in ſcena, licet ſingularis ego non adeam; non ergo me adeunte, in ſcenam prodeunt, qui etiam, me abſente, prodirent. Verum id omnino reſpondere poſſent ſinguli Duellorum inſpectores: ſinguli tamen peccant. Præterea cur Hiſtriones etiam a ſingulis pecuniam extorquent, ſi non a ſingulis foventur? Cur neminem ingredi ſinunt, ni ſolvat, ſi a quolibet non ſuſtentantur? . . . Denique omnes admonemur, ut id omnes deteſtentur: Non omnes id facient, niſi ea, & tu execraberis. *Peccas, licet ſingularis adeas*. *Hoc namque eſt cum currente fure concurrere*, ut ait Pſaltes, & cum adulteris portionem ponere, & quod dixeram cooperaris dum adulteriorum Magiſtros ſuſtentas, dum meretriculas paſcis, dum eorum peccatis, ac ſceleribus individuus ades, & adis: cum fure concurris, dum Comœdos, *immo animarum comedones*, ac voratores tuo enutris argento, cibas ſanguine, ruina fulcis, ſuſtentas periculo &c.

„ Peccant præterea *mortaliter ratione ſcandali*. Scandalum enim eſt dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ, eſtque *mortale peccatum*, etiamſi gravis ruinæ alterius ſit cauſſa per accidens: tunc videlicet, cum contemnit quis ſalutem proximi, & pro ea conſervanda non prætermittit, quod ſibi libuerit: ita omnino, & expreſſis verbis S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 4. &c. “

Petes qui potiſſimum ſint, *qui aliis ſcandalum faciunt? Expediam breviter*. Omnes . . . . *Verum habet diſcrimen crimen*. Graviter peccant ſinguli, *qui concurſu ſuo etiam alios advocant*. Gravius *præcipui viri*, *ac ſenes*, *Patres familias*, quique auctoritate in Republica pollent, *qui ſi non adirent*, *plerique illas* (*comœdias*) *erubeſcerent*, *minuſque decorum putarent*, *quod contra accidit*, *ob ſolam no-*

bilium virorum, ac ſenum præſentiam. Graviſſime vero omnium peccarent Religioſi, & Clerici. Ita præſertim Cajet. in 2. 2. qu. 167. art. 2. *Menoch.* lib. 1. cent. 1. . . . . *Unde miror, Neotericum quemdam, alioquin doctum, oppoſitum docuiſſe, dum ait, neque id erubeſcendum Clericis, neque ſcandalum parere ſecularibus: at quam parum vere, pete id non a ſummis Pontificibus, non a Conciliorum Decretis, non a Patrum ſententiis, non a Scholaſticorum Doctrinis*, ſed ab ipſamet inſanienti in ſpectaculis multitudine, an Clericis id liceat, an id Religioſis viris honeſtum? *Clamabunt protinus quod ipſis Clericis diſplicebit. Surgent, qui de ſeculo ſunt in judicio: ferent in Clericos, in Religioſos viros ſententiam, a quibus didicere modeſtiam, verecundiam, honeſtatem &c.*

Tertio peccant ſpectatores ratione periculi, & proxime occaſionis cui ſe ingerunt. Proxima vero occaſio omnino eſt ſpectaculum, ſcena, orcheſtra, ubi amores, & choreæ celebrantur.

Quod ſi quæras. Quibus ſcena, & venales hæ comœdiæ proxima occaſio cenſenda eſt, a quibus ſub mortalis peccati *pœna, ratione periculi, vitari debeatur? Etiam reſpondeo.* Vitanda omnibus hæc occaſio. *Ratio præcipua: quia ubi plurimi, & ut plurimum corruunt*, ea afferenda proxima cuique occaſio, in qua potior multitudinis pars pluries offendit. Nec refert quod is non offendat. Peccat ergo mortaliter quilibet, *qui ei multitudini ſe admiſcet, quæ ut plurimum peccat, licet in illud idem interdum non incidat: diciturque illi occaſio proxima, dum ex iis, quibus ſe immiſcet, plurimi, & ut plurimum corruunt. Numquam enim tam ſecurus adſtabit quis, ut minime timere debeat, quando plures, & potior pars omnino labitur. Egregie id innuit Pſaltes cum primo beatum enunciat, qui non abiit in Concilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit: ac ſi e contrario diceret: Infelix omnino, & miſer, qui in quodcumque Concilium impiorum abjerit, & in quacumque cathedra peſtium ſederit, dicam planius cum Tertulliano, qui Theatra frequentaverit. Miſer vero, & infelix, hoc eſt* lethali crimine *adſtrictus ob ſolum impiorum conſortium? peccandi enim ſocietas, proxima peccandi occaſio.*

XXI. Recenſita doctrina adeo lucu-lenta, & inconcuſſa eſt, ut nullus verus Theologus revocare eam vel in controverſiam poſſit. Per accidens enim, ut ajunt, eſt quod quiſpiam interius non delectetur, & concupiſcentiæ ſtimulos non patiatur. Nam contingere quoque poteſt, ut quis in eodem lecto cum femina dormiat, quin vel cum eadem, vel intrinſecus peccet. Propterea ne qui ſponte hoc periculum ſubit, expers peccati mortalis eſt? Advertit etiam ipſe *Pignatelli num.* 119. nonnullos Caſuiſtas, qui docent poſſe ſponſos delectari de copula futura cum ſuis ſponſis, perridiculas invexiſſe etiam in hac materia diſtinctiunculas. Allegat Pignatelli pro hac falſa & laxa opinione Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 49. *num.* 14. Emmanuelem Sà *v. lud.* Reginaldum *lib.*22. *n.* 8. & Bonacinam. Auctores iſti ſcatent laxis & proſcriptis opinionibus. Concedunt Comœdias turpes eſſe, & obſcœnas, deinde vi præciſionis Metaphyſicæ docent poſſe Chriſtianum iiſdem intereſſe. Sed ipſe Pignatelli reſpondet, *Certe hi a modo loquendi ſanctorum Patrum, & veterum Scholaſticorum multum diſcedunt.* Subditque paulo poſt: *Verum quam duriuſculæ ſint hæ præciſiones & difficiles, & in praxi, quam vicinæ delicto, ſuam quiſque conſcientiam conveniat.* Non audet Pignatelli Auctores iſtos reprehendere, nec ipſe eoſdem objurgo; ſed illorum laſſam, falſam, Patribus, Theologis, & ipſi communi ſenſui adverſam doctrinam improbo & deteſtor. Pignatelli illam reiicit Tertulliani verbis. *Quam ſapiens argumentatrix ignorantia humana, præſertim cum aliquid hujuſmodi de gaudiis, & de fructibus hujus ſeculi metuit amittere.*

XXII. Num. 121. & 123. obiicit ſibi Pignatelli nonnulla, quæ pluries jam convulſa ſunt a Patribus, quorum reſponſa ſupra retuli. *Num.* 125. vulgare ſophiſma ſibi opponit his verbis. „ Obiiciunt 3. Si legi poſſunt comœdiæ, nec „ peccato mortali aſtringimur, etiam ſi „ turpes, ſi de amoribus viri, & feminæ colloquantur. Rurſus ſi fatentur fidei Quæſitores nullo modo contra bonos mores eas eſſe, ut in lucem prodeant, permittere, cur eaſdem in ſcena audire nefas? &c.

„ Plerique rationem hanc plurimi faciunt. Audivi doctos alioqui viros, etiam inſolubilem aſſerere. Sed imme-

„ rito

„ rito. Scire aves quid amplius ſcena habeat, ut quæ extra ſcenam mala vix, „ in ea ſtatim peſſima? Dicam ſtatim, „ Geſtus, Vultus, Voces. At quam fortia hæc, quam potentia in humanis „ actibus ipſe vides. Vidiſti hominis cadaver? . . . . At qualis ſi vivat . . . „ Plane idem, ſi lectionem, ſcripturamque cum ſcena conferas. In ſcena etiam voces ad voluptatem effuſæ, jucundæ ad lætitiam, ad modeſtiam demiſſæ, hæſitantes, ad metum flebiles, „ molliterque circumflexæ ad miſerationem, ad iracundiam auctæ, crebroque „ incidentes. In ſcena os, vultuſque in ira ardens, in gaudio hilaris, in adverſis „ adſtrictus, in probris petulans, in ſeriis „ compoſitus, remiſſus in ludicris, in arduis „ acer. In ſcena denique manus verborum comites, ſive ut melius dicam „ verbis equæ ſæpæ interpretes: quam „ ſapientes, implentes verba, eorumque impetum, & vim, ut recte quiſpiam illa dixerit, orationis telum ... „ Quid ſi ad hæc addas omnium membrorum fractionem ad laſciviam uſque „ pedum, ceterarum partium inceſſum. „ Denique ejuſdem ſcenæ pompæ, apparatum, veſtes, perſonas, ſaltationes, „ chordarum modulationes, choreas? Et „ inquies idem eſſe utrobique periculum, „ voluptatiſque diſcrimen, ſive legantur „ comœdiæ, ſive audiantur &c.

XXIII. Num. 130. „ Tandem objiciunt. Eſto lethale ſit crimen Theatra ingredi, comœdias ſpectare, ludis „ hiſce intereſſe: dum bona fide id „ omnes faciunt, minime ipſis lethale. „ Quare peccatorum potius omnium reus „ erit, qui eos admonet, quandoquidem „ admoniti facient adhuc.

„ Reſpondetur: ea ignorantia a culpa „ excuſat, quæ ut Teologi ajunt, omnino invincibilis eſt, inculpabilis, probabilis, juſta, & omnino involuntaria, „ & qua tota actus malitia ignoratur... „ At quis Comœdias ingreditur, qui ſaltem aliqualem malitiam illius actus „ non novit? Qui ſaltem non putet id „ veniale? Peccant ergo omnes mortaliter, ſi peccatum mortale eſt illas „ adire, cum ignorent ſe peccare mortaliter . . . Præterea jam ubique ea de „ re agitur, nemo de ea non diſputat, „ nemo non judicat. CONFESSARII „ *opinionibus pugnant. Si concedunt,* „ *laudantur; improbantur ſi negant. Sapientiæ titulus ab iis hoc uno emitur,* „ *ſi quis minime ſcrupoloſior videatur.* „ Non igitur juſta erit, neque innocens, neque probabilis ignorantia hæc, „ qua comœdiarum Inſpectores laborant, „ ſed vere, ut Scholaſtici loquuntur, affectata . . . . Peccant ergo comœdiarum noſtri temporis Inſpectores graviſſime, licet ignorare ſe ſimulent. „ Quo etiam planum remanet, maxime „ ad Dei gloriam, & animarum ſalutem „ conducere ſingulos quoque admonere, „ neque ullum id admonenti crimen, licet admoniti faciant adhuc, & gravius „ peccent; & egregie S. Ambroſius ait „ ait ſer. 83. *Ego interdum parcens vobis, tacere vellem, ſed malo contumeliæ cauſſas reddere, quam negligentiæ* „ *ſuſtinere judicium.*

Num. 138. „ Dices fortaſſe laſcivas „ comœdias, non graves, non Tragœdias vetari. Sed illa quoque priſca facinora exprimit (Tertullianus) Ut „ conſtat fieri poſſe, quod factum eſt „ &c.

Num. 139. „ Primo non Reipublicæ, „ non Principi licere talia ſpectacula inducere, non poſſe permittere. Hiſtrio „ infamis eſt, ad Eccleſiæ communionem non admittitur. Exemplum eſt „ apud Cyprianum &c.

Num. 140. „ Exemplo Romani Imperii permittere, immo quærere voluptates ſe poſſe ajunt. Verum apud „ eos primo moderatio Scenicorum fuit, „ deinde Scenæ, & Theatra ſæpe ſublata, & Hiſtriones in exilium pulſi. „ Nam otio, & vitiis inſueſcebant, „ cum, ut Varro 2. ~~de re Ruſt.~~ exprobrat, *Manus movere maluerunt in* „ *Theatro, ac circo, quam in ſegetibus,* „ *ac vinetis.* Non poſſe in Regno voluptatis conſiſtere virtutem, non poſſe „ inter tot irritamenta vitiorum, manere innocentiam experimento diſcebant, „ ideoque ſæpe damnarunt: & quæ bene abdicaverant, peſſime reſumebant. „ In tantam inſaniam res illa abiit, ut „ Ducum, & exercituum ſtipendia ludiones caperent; tanto pretio fomenta „ probrorum, labes morum emebantur. „ Tanta merces erat morum ſtupratoribus. Tantum, tam pernicioſum malum, uno verbo, una ſcheda tollere „ Princeps poteſt; ſi non facit, ſervari

„ ipſe

„ ipſe non poteſt. Quis enim Chriſtia-
„ nus tumultum ciebit? Deinde Princi-
„ pum & Civitatum iſtis deliciis ſubdi-
„ torum plurimi, atque adeo milites of-
„ fenduntur. Jam vero in præſidiis &
„ Caſtris patriæ propugnatores egent;
„ qui operam nullius pretii, operam
„ pernicioſam navant, in auro & pur-
„ pura vivunt, & illis qui honeſta ſe-
„ quuntur, inſultant. Quomodo vero
„ conſiſtere poteſt Reſpublica, in qua
„ Hiſtriones Ducibus æquantur? Opes
„ Roſcii, aliorumque cum admiratione
„ legimus, atque ex illis vanitatis pu-
„ blicæ inſaniam diſcimus.

„ Spartani in univerſum melius Hi-
„ ſtriones ſubmoverunt, quam illi, qui
„ legibus eos temperare conſtituerunt.
„ Nam etſi in publico abſtinere coge-
„ rentur interdum Principum mandatis,
„ multa tamen ab illis in publicum ſe-
„ ditioſe, fœda per domos tentata. Au-
„ guſtus quidem in Stephanionem juſtus,
„ & ſeverus, in Pyladem remiſſus, ſed
„ tandem conſtanter fortis, ſed in reli-
„ qua vita indulgens, & morum corru-
„ ptor. Nam & ipſe flagitioſiſſime vi-
„ xit, & uxor, filiæque ejus probro
„ fuerunt. Itaque omnino ſcenici ludio-
„ neſque e medio tollendi. Multo vero
„ magis externi, quales per Italiam paſ-
„ ſim vagantur. Sunt enim ob artem
„ ludicram infames, & magnas corru-
„ ptelas inducunt.

§. UNICUS.

Monitum ad Lectores, & præſertim Confeſſarios.

I. NUllus dubito, quin non pauci Theatrorum noſtri temporis fautores & vindices ad hanc Jacobi *Pignatelli* doctrinam gravi ſuffundi pudore debeant. Scriptor de Curia eſt, non Rigoriſta, non priſcus Eccleſiæ Pater, qui contra Theatra idololatriæ labe aſperſa declamet: non Antiprobabiliſta moroſus, & ſeverus, aut Tranſalpinus qui, ut P. Francuiinus ait, veniat de regione longinqua *fronte modeſta, oculis ſubmiſſis, vultu demiſſo*, ſed Auctor eſt, qui Romæ ſcripſit, qui Romæ Purpuratis viris a conſiliis fuit, Curiæ inſerviit. Porro hic Auctor, non obiter, ſed data opera, uberrima eruditionis copia & ineluctabili argumentorum efficacitate evincit, omnes Theatrorum inſpectores peccare mortaliter, tum ratione *cooperationis*, tum ratione *ſcandali*, tum denique ratione *occaſionis proximæ*, cui ſe exponunt. Addit hanc eſſe doctrinam SS. Patrum, cujuſcumque ſeculi Conciliorum, & Theologorum, immo & Caſuiſtarum fere omnium. Plurima laudatæ *conſultationis* prætermiſi, brevitatis ſtudio, ſed ea adduxi, quæ ſatis ſuperque ora illorum obſtruunt, quos honeſta ætatis noſtræ Theatra aſſerere non pudet. Colligere heinc evidentius poterunt & prima moralis Chriſtianæ principia, & ipſius, ad hoc quod attinet, Ethices paganicæ civilis eruditionis documenta erroneæ opinioni, quam hactenus propugnarunt, adverſari. Reſipiſcant ergo, ſuoſque deteſtentur errores: deſinant vanæ ſcientiæ fucis vulgo imperito imponere: curent, ut, quibus olim offendicula appoſuere, ſint impoſterum virtutis exemplum.

II. Quæ doloris, & lacrymarum argumenta eruere ex præfata *Conſultatione* non debent Confeſſarii illi, quorum pœnitentes hodie in Theatro, cras ad Altare: hodie inter Clericos, cras inter Mimas, & Mimos videntur? Quæ vis eloquentiæ exprimere funeſtiſſimum illud & ſupra quam dici poteſt tremendiſſimum ſcandalum valet, quod in Chriſti Eccleſia parit fœdus iſtud: frequentia nempe Theatrorum, & Sacramentorum. Legunt vel ipſi Curiales & ceteri in *Jacobo Pignatelli* Scripturæ Divinæ, SS. PP., Pontificum, Theologorum, atque adeo ipſius Eccleſiæ doctrinam, quæ graviſſimorum ſcelerum Mimos, Mimas, Theatrorum Spectatores ſontes, Sacramentis Divinis indignos declarat: Vident ex altera parte Confeſſarios, qui Sanctiſſima Sacramenta, & Hiſtrionibus, & Saltatricibus, & Comœdiarum inſpectoribus liberaliſſime diſpenſant. Inter hæc duo extrema conſtituti talia mutuo ſermocinantur: Patres, & Doctores non priſcæ ætatis modo, ſed cujuſcumque ſeculi, Concilia, & Theologi omnes, & communiter vel ipſi benigni Caſuiſtæ, uno, aut altero excepto, Theatrorum Inſpectores damnant, Eccleſia Pariſienſis eoſdem a Sacramentis arcet. Ex altera parte Confeſſarii ſin omnes, ſaltem plurimi, & qui redundantiori populorum affluen-

affluentia circumdati ſunt, non modo pœnitentes iſtos theatrales abſolvunt, Sacroſancto Euchariſtiæ pabulo reficiunt, verum etiam in eadem corruptela altius confirmant: Confeſſarios, & Theologos qui oppoſitum docent, derident, carpunt, & odioſiſſimis Rigoriſmi, & Janſeniſmi cenſuris inſectantur. Sane qui hæc oppoſita extrema, quæ alioquin obvia ſunt, & oculos perſtringunt, ſerio meditantur, ſummum patiuntur ſcandalum & imbecilliores in Religione vacillant. Et ſi dixero hunc eſſe unum fontium, unde impietas, quæ in dies latius vexillum explicat, manat, forte a vero non aberravero. *Confeſſarii* (inquit Pignatelli n. 131.) *opinionibus pugnant. Si concedunt, laudantur. Improbantur, ſi negant*. Oro, obteſtorque Sacros Dei Miniſtros, ut expendere ſerius hanc controverſiam velint. Dicant quem gravem Theologum, qui pro dignitate hanc exornaverit ſpartam, legerint docentem abſolvendos eſſe Mimos, Mimas, Hiſtriones, & temporis noſtri Comœdiarum Spectatores? Nec unum allegare valent. Prævaricatores ergo Divini Miniſterii, & Ovium Chriſti occiſores ſe perhibent illi, qui Chriſti Sacramenta impertiunt Chriſtianis Theatralibus. Nec opponant, paucos quoſdam Caſuiſtas docentes ſpectari, & audiri Comœdias turpes, & laſcivas abſque gravi culpa poſſe, quamvis mortaliter peccent Hiſtriones, quia præſcindere inſpectores a laſcivia poſſunt, & de jocis, facetiis, cantu, ceteriſque, quæ laſciva non ſunt, gaudere, & lætari: Quoniam quam ſit doctrina iſta, vel ipſi ethnicorum Philoſophiæ morum, & communi ſenſui adverſa, patet. Præterea tametſi Inſpectores iſti immunes a delectatione venerea eſſent, peccatum *cooperationis* declinare nequeunt. Rurſus, numquid exiguus iſte Caſuiſtarum manipulus vel minimum probabilitatis gradum adjicere pravæ corruptelæ poteſt contra communem Patrum, & Theologorum doctrinam? Numquid damnatus Probabiliſmi ſurculus in hac propoſitione: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quamvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*; & in altera: *Si liber ſit alicujus junioris &c.* ad praxim reducitur? Tandem iſtorum Caſuiſtarum ratio in metaphyſica præciſione ſita, vana, ridicula, & omnium laxitatum radix eſt, atque Chriſtiano Theologo indigna. Verum ut ſecurius, & validius deplorandum commentum profligem, in medium adducam ipſius *Jacobi Pignatelli* verba, qui *loc. cit. n.* 120. hæc ſcribit.

III. „ Idcirco id unum hoc loco conſulerem, ut Confeſſarii, quique animarum curam gerunt, ne hujuſmodi abſtractiones, aut præciſiones ſubindicent pœnitentibus, nec ejuſmodi viam laſciviis & obſcœnitatibus aperiant... Chriſtiano populo Confeſſarii nomen pro Numine eſt. Ejus eſt ſepem, aggeremque ædificare, non ſuffodere. *Et vocaberis ædificator ſepium Iſai.* 49. At quomodo ſepem ædificat, qui frequentare Theatra, ſtupra videre, adulteria diſcere, laſciviis oblectari, minime crimen eſſe dicit? Quo ſane pacto ſepem ædificat, qui docet minime inhoneſtum ea adire tantum, ſi ſcandalum periculumque caveatur? Qui neque id Clericis erubeſcendum? *Caveant ergo Confeſſarii*, docere id, eamque enuntiare ſententiam, quæ ut plurimum, & in pluribus fallit, quod raro contingit, ac vix. Certum namque eſt multitudinem capi, rapi popellum ad nugas has, excitari libidines, exardeſcere fomites inter laſciva, compoſitaque ad luxuriam colloquia Hiſtrionum, Amantium, Meretricularum. Habent hinc ludentium feminarum verba, hinc ſpectantium Matronarum, & Nobilium adoleſcentularum obtutus. Quid adoleſcentum, quid turba juvenum faciet, ut viros ſeneſque prætercam? Dei o Adminiſtri in ſententiis ediſſerendis, cum quid omnibus docentes pronuntiamus, non inſpicienda unius, vel alterius hominis natura eſt, ſed plurium, communiſque hominum conditio. Humanæ vero conditioni res eſt plena periculi. Audire obſcœna, & obſcœnis nullatenus moveri: turpia, nec coinquinari: laſciva, & contineri: ridere ad inhoneſta, & honeſtatem ſervare: intueri in feminarum vultus, & non conſpicere, eo præſertim tempore, cum plenæ amoribus aures, illecebris pectora, Nobilium puellarum, mulierumve ſimulacris oculi, aut ſaltem earum-

„ rumdem pro ſcena agentium meretri-
„ cularum? Tot in Theatris diſcrimi-
„ na, & nos abſolute enuntiabimus,
„ nil lethale eſſe ſpectaculis intervenire?
„ *Mendaceſque illas audebimus aperire*
„ *præciſiones* mulieribus, viriſque, qui
„ vix bonum a malo norunt? Neque
„ omnibus, neque uni, nec privatim,
„ nec publicæ id dicendum. Fit multo-
„ rum exemplum unius licentia. Abſti-
„ neat a Theatris, qui ſine peccato
„ adeſſe poteſt, ſi tamen poteſt, ut ab-
„ ſtineat, qui ſine peccato minime po-
„ teſt. Nemini in publico quid licet,
„ quod multis nocet.

IV. Itaque non modo Patres & Theologi, ſed omnes, qui a præjudicatis opinionibus alieni ſunt, hodiernam monſtroſiſſimam corruptelam deteſtantur. Qua igitur ratione Confeſſarii plures Sacramenta adminiſtrant iis, qui Theatrum & comœdias turpes obſcœnaſque frequentant? Negabunt ne hodiernas repræſentationes Theatricas obſcœnas eſſe, & turpes? Negabunt in hodiernis Theatris viros, & feminas exquiſitiſſima luxus, & pomparum arte comptas prodire in ſcenam, de mutuo amore ludere, ſaltare, & canere? Numquid hæc cum Chriſtiana profeſſione conjungi valent? Numquid pudica, caſta, modeſta? Quo ergo Auctore, quo fundamento ad Sacramenta admittunt Actores, & Inſpectores Theatrorum? Numquid tenuiſſima probabilitate a Sanchez, a Sa, a Bonacina repetita nixi? At Auctores iſti nullius prorſus auctoritatis in hac controverſia ſunt comparati ad Patres, ad Concilia, ad Theologos, qui communi conſenſu iſta damnant. Accedit, præfatos Caſuiſtas in hypotheſi loqui, nempe quod Inſpectores Comœdiarum turpium nec periculum patiantur, nec ſcandalo aliis ſint. Hæc autem hypotheſis communiter chimærica eſt, aut ſaltem perraro etiam in eorumdem ſententia reipſa locum habet.

V. Unde evidenter infertur, Confeſſarios illos, qui Actores & Inſpectores Comœdiarum ætatis noſtræ abſolvunt, omni eſſe ratione, & auctoritate deſtitutos, atque adeo Eccleſiaſticæ Diſciplinæ extremum afferre detrimentum, Dei Miniſterium prodere, & peccandi libertatem fovere. Ita clamant, & inclamant S. Thomas Villanovanus, Ven. Card. Bellarminus, & omnes poſtremæ ætatis celebriores Epiſcopi & Theologi. Sed omnium malorum extremum eſt, quod hoc tempore ea improbare non licet, quod a medio elapſo ſeculo P. Segneri, P. Camargo, P. Gonzalez, quid plura, *Jacobus Pignatelli* elata voce, & libero calamo diris devovebant. Laudantur enim, inquit Pignatelli, & a turba, & a Magnatibus, qui abſolvunt. Qui ligant, improbantur.

CAPUT XXIII.

Auctoritate BENEDICTI XIV. *Pontificis Regnantis, & Ven. Cardinalis* BELLARMINI, & *Cardinalis* LANFREDINI, *evincitur graviter illos peccare, qui hodierna Theatra frequentant.*

I. NUmquam nimis, quod nunquam ſatis. Satisfacere quæ hactenus adverſus Comœdiarum turpium ſpectatores adduxi, deberent. Verum quia numquam magis, inquit Tertullianus *ſapiens argumentatrix ignorantia humana*, quam *cum aliquid ejuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſeculi metuit amittere*: idcirco hoc ultimo loco veluti poſtrema in acie Decretoriam Sententiam promendam mihi reſervavi. Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans non modo ad Eccleſiæ Catholicæ, verum etiam ad Reipublicæ litterariæ ſplendorem, & ornamentum nobis a Divina Providentia datus, nullum fere ſive Theologicæ, ſive Canonicæ facultatis argumentum, præſertim quod morum, & Diſciplinæ reformationem ſpectat, non illuſtratum eruditione, & doctrina ſumma reliquit. Porro in variis ſuis operibus, nedum in uno, obſcœnas profligavit Comœdias. In volumine de Synodo *lib.* 7. *cap.* 61. *n.* 12. *pag.* 528. 1. *edit.* hæc docet. *Nimis porro laxa, ne dicam aperte erronea, & ſcandaloſa eſt doctrina, quam tradit Lucius Ferraris... ubi etſi fateatur, non eſſe Clericis permittendum Comicos agere, ſeu Comœdiarum Actores eſſe, attamen a gravi culpa eoſdem abſolvit comœdias ſpectantes, quantumvis turpes, atque obſcœnas, dummodo ex illarum auditione nullum ſibi imminere prævideant probabile periculum lapſus &c.* .... *Quccirca etiam* MOL-

LIO-

LIORIS ethicæ ſectatores ejuſmodi Comœdias damnant, & nedum Clericos, SED LAICOS QUOQUE EAS INSPICIENTES VIX UNQUAM GRAVEM CULPAM EVADERE DOCENT cum D. Thoma in 4. Diſt. 16. q. 4. a. 2. quæſtiunc. 2. ad 2.

Supervacaneum autem reputamus pluribus proſequi hoc ceteroquin GRAVISSIMUM ARGUMENTUM, quoniam jam illud copioſe pertractavimus in Noſtra Notific. 37., & Notific. 76., ubi plura in Comœdiarum, & chorearum deteſtationem ex probatis Auctoribus excerpta accumulavimus &c.

II. Comœdias hodiernas turpes, & obſcœnas eſſe evidentiſſime demonſtratum eſt, nec revocari in controverſiam poteſt. Doctiſſimus autem Pontifex harum Comœdiarum inſpectores VIX UNQUAM GRAVEM CULPAM EVADERE docet. Additque id fateri *etiam molliores ethices ſectatores communi calculo*. Supervacaneum reputat Pontifex Summus pluribus proſequi hoc ceteroquin *graviſſimum argumentum*, quoniam illud copioſe pertractavit in ſuis *Notific.* 37. & 76. Plura ego *tom.* 4. *in Decal. lib.* 8. *Diſſ.* 2. *c.* 3. ex citatis *Notificationibus* decerpſi, ut tanti Pontificis Suffragio chorearum pravitatem exterminarem. Quamobrem multa nunc alia ejuſdem Pontificis teſtimonia prætereo, ut quoad poſſum brevitati conſulam; & quia quæ adduxi peremptoria ſunt, nullique ſubjacent tergiverſationi, aut circuitioni. Poſt doctiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. luculentiſſimam ſententiam ſuperfluunt alia documenta. Nihiloſecius ut veritas magis refulgeat, pauca alia adjicere lubet.

III. Ven. Cardinalis Bellarminus *Conc.* 19. *in quadr.* de choreis hæc habet. *De choreis tantum dicam unum verbum, atque ideo potiſſimum, quod intelligam, nonnullis non videri hoc verum malum, & ſciam Lovanii eſſe publicas ſcholas, ubi docetur ars tripudiorum. Sed ego profecto ſi ADULTERIUM, ſi FORNICATIO eſt malum, videre non poſſum quomodo viros cum feminis tripudiare non ſit malum, cum ad hoc illud maxime provocet. Audi S. Job:* Pepigi fœdus &c. *Et tu ibis & ſaltabis cum virgine, & ſaltando ad libidinem te concitabis, & nihil periculi imminebit? Cur ergo ſapiens monet:* cum Saltatrice &c. *Quid? Sancti viri B. Antonius, B. Hilarion, B. Hieronymus in ſolitudine habitabant, & vix ſe a ſpiritu fornicationis, a deſideriis, & pravis cogitationibus defendebant. Et tu . . . . ibis & redibis, cantabis, ſaltabis cum puellis, & nihil mali ſuſpicabor? Sed nolo credatis mihi. Audiamus quid veteres Scriptores &c.* Sanctorum Patrum teſtimonia congerit ibidem. Si doctiſſimus BELLARMINUS tam evidenter malum reputat choreas adoleſcentum cum puellis, ac judicat malum eſſe adulterium, & fornicationem: quid, amabo, de Comœdiis & Theatris ætatis noſtræ diceret, in quibus, non choreæ modo adoleſcentum cum procaciſſimis Saltatricibus peraguntur, ſed molliſſima muſica, ſuaviſſimus cantus, ſcenarum majeſtas, & innumera alia oblectamenta & præſtigia turmatim ad venerem inflamandam conſpirant? An Dei zelo ſuccenſus non inclamaret? Si adulterium malum eſt, ut revera eſt: flagitioſa ſint oportet etiam ejuſmodi obſcœna Theatra, & comœdiæ, quæ ad fornicationem & adulterium quam maxime provocant, quæ atrociſſimum bellum humilitati, pudori, pœnitentiæ, ceteriſque virtutibus acerrime intentant.

IV. Cardinalis Lanfredinus Epiſcopus Auximenſis doctrina, morum integritate, Apoſtolico zelo, & Epiſcopali fortitudine præſtantiſſimus, cum intellexiſſet, in propinqua Civitate Comœdiam repræſentari, verens, ne theatricæ voluptatis peſtis latius manaret, ſuumque invaderet gregem, eumdem ferventiſſimo ſermone adverſus tantum periculum animavit, atque, ut ſibi caveret, adhortatus eſt Epiſtola Paſtorali, quæ in *Collectione* orationum Synodalium &c. an. 1740. typis edita, ſecundum locum obtinet, & italica lingua ſcripta eſt. Pauca ex eadem latine reddita tranſcribam.

„ Extrema (inquit pag. 35.) afflictio-
„ ne rumorem belli, non a poteſtate
„ Mahumetana, ſed a Dæmonis furore
„ contra animas Sacro lavacro tinctas
„ excitari audivimus. Bellum iſtud eo
„ eſt formidabilius, quo minorem terro-
„ ris ſpeciem præfert: eo periculoſius,
„ quo ſecuriorem exhibet aſpectum. Au-
„ dite ergo, Chariſſimi, vocem Patris,
„ & Paſtoris veſtri, aut verius lacry-
„ mas, quibus vos admonet, orat, ob-

„ teſtatur, ut vigiles ſitis. Periculum „ non diſtat. (Piſauri Comœdia agebatur). Periculum grande eſt, atque „ valde eſſe perniciosſum poteſt. In fuga ſit ſecuritas veſtra: Pag. 37. & „ 38. Filii dilectiſſimi, unde ſperare „ tantorum hoſtium victoriam? Num a „ viribus veſtris? Neutiquam. Clamat „ enim Paulus 1. Cor. 10. *Qui exiſtimat ſe ſtare, videat, ne cadat*. Num „ a Deo? At cum vitari periculum fuga poſſit, ſi voſmetipſos ſponte in illud conjiciatis, juxta SS. Auguſtinum, „ & Thomam Deum tentatis. Deum „ autem tentare peccatum eſt Religioni „ oppoſitum. Dicet fortaſſe quiſpiam, „ honeſta hæc eſſe ſolatia. Oh Deum! „ Utinam ita eſſet. Audite, S. Paulus „ vetat, ne mulieres doceant in Eccleſia, ob illud periculum, quod auditoribus imminet, ut Anſelmus interpretatur. Porro ſi femina Chriſtiana nequit e publico ſuggeſtu in Eccleſia „ Divinum amorem prædicare: numquid permiſſum eidem erit, ut e Proſcenio Theatrali amoris profani illicia „ depingat: ut cantet, ſaltet inter harmonicos, ſuaviſſimoſque concentus, „ inter vanitatis, luxus & faſtus apparatus, in conſpectu juvenum, qui harum Infernalium Sirenarum illecebris „ magis animum intendunt, quam forte „ Evangeliorum expoſitioni in Eccleſia? Honeſta ſolatia iſthæc? Non „ talia illa judicant Patres, Theologi, „ & Sacri Scriptores. “ Hæc eſt omnium Epiſcoporum, quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, doctrina, hæ adhortationes ad populum Chriſtianum.

CAPUT XXIV.

Penes ipſum humanæ rationis Tribunal falſum eſt, quod Pſeudopolitici obtrudunt; Theatra nempe bonum publicum promovere & advenarum acceſſum, & divitias in Civitates pertrahere.

I. QUid, inquiunt Pſeudopolitici homines, civilis Regiminis omnino ignarus Monachus contra Theatra declamitat? Quid publicam felicitatem turbat, & civium conſcientias torquet, advenarum ad Civitatem noſtram affluentiam, & pecuniarum accumulationem impedire hac ſua ſcriptione pertentat? Centena, & centena ſcutorum millia Comœdiarum, & Theatrorum occaſione circuunt, & cujuſcumque conditionis homines lucrantur. Quam ſint ſimiles Diſſertationes tranquillitati, paci, & lætitiæ innocenti civium infeſtæ, nemo eſt, qui non videat.

II. Hoc in capite ſileant Patres, ſileant Theologi, ſileat Evangelium ipſum, cujus mandata, & baptiſmalis profeſſio, non modo Civili regimini, & communi tranquillitati, & gaudio non officiunt, ſed mirum in modum hæc omnia promovent. Nihilominus ſileant hæc, & ad unicum artis politicæ Tribunal cauſſam meam revoco, & ex hoc Tribunali ſolo revinco ætatis noſtræ Theatra bono publico eſſe infeſta, mores corrumpere, & ſcientiæ Politicæ omnino repugnare.

III. Inter plurima quibus *Felicitas Publica* conſtat, ſunt imprimis divitiarum copiæ, pecuniarum, auri, argentique abundantia. Eo igitur ſpectare primum vota, ſtudia, & vigiliæ Rectorum Civitatis debent, ut vias inveniant, & aperiant, per quas ingredi Civitates & æraria, aurum, argentumque debeant. Poſtmodum & rationem excogitare, qua metalla hæc natura ſua ſterilia, fæcunda, & lucroſa fiant: Recte, & bene. Quænam porro vis & ratio pecuniæ fæcundandæ amplificandæque? Agricultura, negotiatio, civium & omnium inferiorum induſtria, robur, & fortitudo laborum patiens, & incommodorum: artium cum mechanicarum, tum liberalium cultus aſſiduus, ut Lampridius in *Alexandrum Severum* animadvertit. *Mechanica opera plurima Romæ inſtituit: Negotiatoribuſque ut Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit*.

IV. Manus nunc cum Pſeudopoliticis oppoſitoribus conſeramus. Comœdiarum, & Theatrorum illecebræ & oblectamenta homines effeminant, illoſque politulos, molles, delicatos, torpidos otioque diffluentes: ad artem bellicam, ad civilia miniſteria, ad mercaturam, ad labores ineptiſſimos efficiunt. Quod detrimentum Marcus Varro *lib. 2. de re ruſt.* magnopere Romano populo Theatrorum oblectamentis emollito exprobrat. *Manus movere maluerunt in Theatro, ac Circo, quam in ſegetibus, ac vinetis*. Hæc oblecta-

men-

menta artium & litterarum cultum, qui diurnas, nocturnaſque vigilias poſtulat, aut impediunt, aut diminuunt, aut penitus extinguunt, Miniſteria & privata & publica perturbant. Qui comœdiis aſſiſtunt, & Matronis inſerviunt, (hæc duo conjuncta eſſe ſolent), ſi dignitates, aut miniſteria, ex quorum recta adminiſtratione ſummopere felicitas publica pendet, exercent, cauſſarum ſtudium, negotiorum examen, malorum remedia negligunt, libros blatis & tineis devorandos ſinunt, & tempus graviſſimis controverſiis dirimendis deſtinatum, miſerrime prodigunt, & ad gradus dignitateſque obtinendas muliercularum favore aſcendere ſtudent.

V. Mimi, & Mimæ aureis penſionibus conducuntur, Civiumque crumenas expilant, & alio deferunt pecunias Civitatis. Cantatrices, & Saltatrices veluti Sirenes inſidioſiſſimæ, & vafferrimæ ingenuos nobileſque ſæpe adoleſcentes ita faſcinant, & dementant, ut illarum amore capti familias evertant, Parenteſque extremo mœrore conficiant. Exempla in dies ob oculos obverſantur. At circuunt pecuniæ, inſiſtunt noſtri pſeudopolitici, Comœdiarum occaſione. Circuunt ſcilicet, ſed ad perniciem, & ſummam Civium penuriam, & Principatus detrimentum. Aurum argentumque, quæ eſſe lucroſa, & uberrimos parere fructus poſſent, in mercatura, in colendis agris, in promovendis artibus, (non dico in ſublevandis pauperibus, in maritandis puellis) dilapidantur in ditandis eviratis eunuchis, ſaltatricibus, Comœdis, & Pſaltriis, quæ Civitates circumeuntes locant operas ſuas, & pecunias corrodunt, & ſecum alio deferunt. Ille pecuniarum circuitus utilis & lucroſus eſt Civitatibus, & Principatui, qui induſtria creſcit, qui fructus, & emolumenta parit, non qui aut alio pergit, aut ſteriliter in flagitiorum turpi nundinatione marceſcit, & putreſcit. Conſiderant hi pſeudopolitici & falſi œconomi introitum minimum pecuniarum, quas colligunt Theatrorum conductores, & Tabernarii: at ignorant exitum & ingentia illa detrimenta, quæ Reipublicæ inferunt Theatrales corruptelæ perniciosiſſimæ.

VI. Pecuniæ, quæ commercio, negotiationi, agriculturæ, artibuſque applicantur, ſuos fructus edunt; Principatui tributa, & vectigalia ſolvunt. Ingentes illæ aureorum Summæ, quas ex locatis operibus Mimi, & Mimæ, Saltatrices, & Pſaltriæ colligunt, pendunt ne Principatui tributum? Quid in publicum ærarium mittunt Comœdi? Immo, quæ non ſurripiunt, tum Comici, & Comicæ, atque Comœdiarum ſpectatores? Curſim hæc furta recenſeamus. Et primo omnes Mimi, & Mimæ plantæ ſunt in vinea Principatus prorſus ſteriles, quia nihil lucelli pariunt: ſunt veneficæ, quia alios viros diſtrahunt a labore, & a ſuis artibus exercendis: atque adeo non modo illi & illæ nihil conferunt, ſed vectigalia ab aliis ſolvenda diminuunt. Quot Cives & privata, & publica debita ſolvere prætermittunt, ut pecunias ſuas Hiſtrionibus, ſeu Theatrorum conductoribus pro ſpectandis comœdiis tribuant. Quid plura? Nunquam luxus, faſtus, pompæ audacius triumphant, quam Theatrorum tempore. Quiſque in hoc pomparum campo ceteris præſtare, & eminere conatur. Sericos pannos ab exteris nationibus certatim conquirunt: peregrinas veſtium formas a tranſalpinis accipiunt, & univerſa indumenta magna ex parte ab exteris nationibus huc veniunt. Illi ipſi pſeudopolitici, qui effutiunt communi bono utilia eſſe Theatra, induti, ornati, & fucati ſunt exteris mercibus. Heinc languent artes noſtræ, quarum artificia faſtidunt noſtri pſeudopolitici, fameque pereunt artifices, & operarii innumeri. Quid ad hæc Theatrorum defendores? Negare ne audent Theatra magnopere & privato, & publico bono perniciosa, & detrimentoſa eſſe, atque politici Regiminis Sanctionibus contraria?

VII. Optandus, &, ut Alexander Severus ait, Vectigalium diminutione alliciendus advenarum mercatorum acceſſus, ſed ad emendas merces, ad colendas artes, mercaturamque augendam. Si ea ingenti penſione conducerentur Sapientiores artium, ſive mechanicarum ſive liberalium Magiſtri, qua conducuntur Mimi, & Mimæ, continuo florerent Civitates, & publica æraria auro redundarent.

VIII. Hactenus intimis rationum momentis ridicula commenta profligavi. Nunc ad auctoritatem adverſarios ipſos provoco. Leges civiles, quæ Comicos

 infa-

infames declarant ſunt ne Principatui exitioſæ? Imperator Theodoſius, qui *l. Dominico* condidit detrimentoſus ne Principatui fuit, cum præſcripſit: *Omni Theatrorum Circenſium voluptate per univerſas urbes earumdem populis denegata, totæ Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.* Sed Chriſtianus fuit Theodoſius. Deſignent ergo pſeudopolitici noſtri ex omnibus Ethnicis Philoſophis artis politicæ peritiſſimis Magiſtris unum, qui ad augendum ſive privatum ſive publicum bonum Theatra inſtituenda, Hiſtriones, & Mimas conducendas, ludoſque exercendos docuerit? Legant Platonem, Ariſtotelem, Solonem, Tullium, Tacitum, Senecam, Plutarchum: Num iſtorum volumina, quæ omnium manibus teruntur, & in quibus Theatra Hiſtrioneſque damnantur, publico bono infeſta ſunt? Firmum itaque manet, exploratumque, ne dum Chriſtianæ prudentiæ, verum etiam artis civilis & politiæ legibus Theatra hodierna damnari.

CAPUT XXV.

Quam graviter peccent viri graves, & Eccleſiaſtici, qui hodiernis Theatris interſunt.

I. Viri graves, tametſi laici, gravius ceteris peccant Theatra frequentantes, quia inferioribus & juvenibus maximum præbent ſcandalum. Audientes enim hi plurimos provectos Chriſtianos, bene etiam extrinſecus moratos, qui ſe Theatris aſſiſtere ajunt, quin ullis concutiantur tentationibus, animos ſumunt ad Theatra frequentanda. Quod gratis admittere velim. At non animadvertunt, proprium exemplum maximum ingerere juvenibus, & puellis offendiculum. Quoniam iſti argumentantur: Viri graves optimis ornati moribus Theatris interſunt, eorumque lætantur ſolatio: ergo potiori jure nobis juvenibus, quibus peculiari quodam jure recreationes, & ſolatia debentur, Theatrorum frequentia licita erit. Quis autem dixerit, niſi omnino fatuus, adoleſcentum, & puellarum caſtitatem tutam in hodiernis Theatris conſiſtere? Juvenes ad rei amatoriæ & Veneris palæſtram ab ipſis parentibus adducuntur? Quis ut oportet tantum repræſentare ſcelus valet? Viri iſti graves, & parentes ipſi, quorum eſt Evangelicam morum integritatem addoleſcentes perdocere, iniquitatem illis prædicant, & leproſi parentes leproſos generant filios, & mutuo propriam texunt damnationem.

II. Ut ad Eccleſiaſticos ſermo convertatur, ſequenti diſſertatione Clauſtralium Theatra improbabo. Pauca in præſentia delibare contra Clericos, Presbyteros, Prælatoſque Theatris aſſiſtentes ſufficiat, & miſſis tot ſacrorum Canonum pœnis in ejuſmodi Sacerdotes latis, paucis dumtaxat perſtringam Sacerdotalis Dignitatis prærogativas. Si Chriſtiani omnes in baptiſmatis profeſſione Mundi, & Diaboli pompis renuntiant, Sacerdotes peculiari ſe vinculo Deo obſtringunt, cum Sacerdotio initiantur. Sacerdotes ſunt veluti Catholici Orbis aſtra, quæ laicorum diſſipare tenebras debent. Fidelium oblationibus vivunt, ut interceſſores ſuis precibus, & ſacrificiis apud Deum ſint. Ab ipſis ſolatiis, locis, & lætitiis, quæ mundanos viros non dedecent, abſtinere Sacerdotes coguntur. Paucis S. Paulus Sacerdotum, & Epiſcoporum mores, primis ad Romanos verbis deſcribit. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.* Primo igitur Eccleſiaſtici omnes ſunt jure peculiari Servi Jeſu Chriſti, & Jeſu Chriſti obſequio toto addicti, ut omni cura, & ſolicitudine rerum terrenarum ſpoliati, unice Deo famulentur in animarum lucro. Non ſibi modo, ſed populi Chriſtiani etiam ſaluti deſudare ſinguli pro talentorum diverſitate debent: alii docendo, alii exemplo bonorum operum præeundo, alii corrigendo, & increpando. Qui proprie ſervus eſt, totus Domini ſui eſt: & quidquid habet, & poteſt, Domino ſuo habet, & poteſt. Ejuſmodi fuere Apoſtoli: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matt. 19. & S. Paulus intonat 2. Timot. 2. *Labora ſicut bonus Miles Chriſti Jeſu. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Sacerdotes Domini ſelecta militia Chriſti ſunt, ad præliandum bellum Domini. Simplices Sacerdotes ſunt veluti peditatus, Archibresbyteri, Tribuni, Epiſcopi, Cardinales ſunt Duces, & Imperatores ſpiritualis exercitus ſub uno Chriſti capite inviſi-

viſibili, & Romano Pontifice viſibili: ſi iſti pavidi ſunt, & timidi, ſi carnis, mundi, & dæmonis aggreſſus, & ſpectra vereantur, actum de exercitu eſt. Quid ſi Duces iſti, Chiliarci, & Imperatores Chriſtianæ militiæ perfida rebellione a Chriſto deſciſcerent, & fœdere cum mundo, carne, & Diabolo inito, populo ad Mundi, & Diaboli caſtra, qualia eſſe ſpectacula Theatralia ſupra ex P. SEGNERI, ne dum ex Patribus oſtenſum eſt, exemplo præirent; Quid ſi ipſi Duces in Theatrorum pulpitis inter Matronas, & Matronulas reſiderent, ſeſeque præberent univerſo populo viſendos? Profecto iſti Diabolo, non Deo militarent, execrabilis perfidiæ fontes, populum ſibi commiſſum immaniſſimi pravi exempli laniena contrucidare dicendi forent. Quid ſi patrimonium Chriſti ſeu Eccleſiaſticos reditus, in Hiſtrionibus & pſaltriis, in luxu & pompa prodigerent? Quid ſi eo funeſtiſſimæ cæcitatis prolapſi eſſent, ut & Theatris aſſidere, & comœdias ſpectare, & drammata poetica loco Evangelii lectitare, proprii Miniſterii munia negligere, quin grave aliquod ſcelus perpetrent, propugnare minime illos puderet?

III. Profecto omnes Eccleſiaſtici, Presbyteri, Prælati, Epiſcopi, ut ſupra; Comœdias ſpectantes non unum, ſed plura graviſſima ſcelera patrare Scripturæ Sanctæ, Patres, Concilia, & ipſa naturæ vox evincunt. Peccant, quod voto Caſtitatis obſtricti periculis illius violandæ ſe exponunt: Quandoquidem virtus hæc delicatiſſima ſine peculiari Dei gratia non conſiſtit intaminata. Nunquid Deus gratiam ſuam infundet iis, qui ſponte pericula ſubeunt: qui ſuo populo offendicula objiciunt: qui Sacerdotii gradum & ſacram dignitatem proſtituunt? Dum ajunt ſe inter theatralia præſtigia nullam experiri Carnis rebellionem, tum undique ulcerati, & plagoſi cicatrices non ſentiunt. Peccant graviſſime, quod Chriſtianis incredibile ſcandalum præbent, quod Chriſti Eccleſiam diffamant, quod Hæreticos in ſua pertinacia confirment. Quæ probra non evomunt in Catholicam Eccleſiam Tranſalpini Heterodoxi, cum vident hac nocte Sacerdotes in Theatro Diaboli pompis operam dare, & die craſtina ad Altare Dei Filium immolare? Quid illorum ad Matrem regreſſum remoratur, niſi Eccleſiarum Duces, & Rectores illi, qui operibus teſtantur, ſe nihil penſi habere Religionem, quam profitentur?

IV. Hæc autem graviſſima ſcandala, inde in primis proficiſcuntur, quod iſti in ſacram Chriſti militiam ingreſſi ſunt, Deo minime vocante. Primum quippe fundamentum ſtatus Eccleſiaſtici eſt Divina vocatio, ut ſubdit S. Paulus. *Vocatus Apoſtolus*, ideſt a Deo ad Apoſtolatum vocatus. Qui in hunc ſe, Deo non vocante, intrudunt ſtatum, gratia vocationis carent, atque adeo inſignia præferunt ſacra, ſed ſtatus ſanctitate deſtituti ſunt. Quare jure S. Bernardus *ſer.* 35. *in Cant.* clamat: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, Hiſtrionicus habitus, regius apparatus . . . . Inde cythara, & lyra, & tibia, inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud: inde dolia pigmentaria: inde referta marſupia . . . . olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece Martyrum, amarior in conflictu Hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum.*

V. Luculentius ſcandalum iſtud apparet, ſi ad communem Chriſtianorum vocem animum intendamus: Clamant Chriſtiani, Peccatum eſt Comœdias ſpectare? Non ne Sacerdotes ipſi, & majores, & inferiores illuc confluunt, & quidem patenter? Si ipſi Dei Miniſtri religioni ſibi minime vertunt, Comœdias ſpectare, quid Concionatores contra Theatra invehuntur? Quid Theologi conſcientias noſtras turbant? Sacerdotes quotidie Sacris operantur: & tamen Theatra frequentant. Alterutrum ergo: Aut quotidianis Sacrilegiis ſe polluunt: aut Sacrificiis abſtinent ut intereſſe Theatris queant. Hæc ſunt Chriſtianorum ratiocinia: & hæ ſunt cauſſæ, cur nec Theologi, nec Concionatores reformare Chriſtianorum mores valent.

VI. Quid de temporis jactura dicam, omnibus pernicioſa, ſed Sacerdotibus pernicioſiſſima? Legunt iſtorum non pauci Poetarum drammata, & legendi Scripturas ſanctas, Patrum opera, Concilio-

rum Canones, tempus deeſt. Eſt tamen tertium munus eorum, qui ad Sacerdotium vocati ſunt, eſt, inquit Paulus; Evanglii prædicatio. *Segregatus in Evangelium Dei.* Epiſcopi ſunt in ſtatu perfectionis. Hanc refulgent perfectione, qui quatuor horas impendunt in Comœdiarum aſpectu? Quid de iis dicam, qui ſuorum munium procurationem, qui ſtudium neceſſarium ad lites dirimendas, ad illam comparandam ſcientiam, quæ proprii ſtatus perfectionem decet, neceſſarium negligunt; qui non modo ad prædicandum Evangelium ceteris inepti ſunt, ſed Evangelii Spiritum, quo mores ſuos componant, & moderentur, prorſus ignorant? Et ſane, ſi vel extremis labiis Evangelium Chriſti deguſtaſſent, aut a Theatris abſtinerent, aut ſaltem ſe peccare confiterentur, dum illa frequentant. Sed eo cæcitatis prolapſi non pauci ſunt, ut obſtinate pernegent, ſe quidquam contra proprium ſtatum agere, dum ejuſmodi ſpectaculis operam navant. Et quod eſt ſupra quam dici valet portentoſum, judicium prounciant, quin ſeria & matura diſcuſſione cauſſam recognoverint. Inter leges delinquitur, inquit S. Cyprianus *Epiſ. ad Donat.*, inter jura peccatur, & qui ſedent crimina vendicaturi, crimina & ſcelera pro virtute, & honeſtate divendunt. Lugendi iſti ſunt, non convincendi. Mundanis viris, ut experientia didici, facillime veritas ſuadetur, quamvis appetitionibus humanis irretiti, a veritate aberrent. Eccleſiaſticorum quiſque Theologus eſt: & quamvis ignorantiſſima, quæ efflictim amant, honeſta & ſancta eſſe pugnaciſſime contendunt. Audiamus hac de re Cardinalem Cajetanum in 2. 2. q. 167. art. 2. ad 2. ubi hæc docet. „ Quoniam „ communiter, qui interſunt hujuſmodi „ ſpectaculis delectationis cauſſa adſunt, „ ideo ſi indecentia ſunt, quæ repræſentantur non excuſantur a peccato vi„dentes, dato quod in veritate ſola eos „ repræſentatio delectaret. *Et ratio eſt:* „ *quia ſaltem dant exteriori actu operam* „ *rei illicitæ, ſcilicet delectabili præſentiæ de indecentibus.* Præſentia ſi„quidem illa exterior ſuapte natura „ communiter fit ad delectandum ani„mum, non de ſola repræſentatione, „ ſed de repræſentatis, ut patet: *Præter hæc autem gravius peccant viri gra„ves, ratione ſcandali, & mali exempli.* „ *Graviſſime autem Clerici, Religioſi, Sacerdotes, aut Pontifices, in hoc delin„quetent.* “

VII. Acute & ſolide doctiſſimus Cajetanus diſtinguit repræſentationem a materia repræſentata. Plures effutiunt, ſe de ſola repræſentatione delectari, ſeu de vivida illa geſticulatione. *Dato*, inquit Cajetanus, *quod in veritate ſola eos repræſentatio delectaret; non excuſantur a peccato videntes.* Cur? *Quia ſaltem dant exteriori actu operam rei illicitæ.* Mimi quippe, & Mimæ eo artificia, & ſtudia ſua collineant, ut in ſpectatorum animos delectationem inſtillent de illa, quam repræſentant, materia. *Præſentia ſiquidem illam exterior ſuapte natura communiter fit ad delectandum animum, non de ſola repræſentatione, ſed de repræſentatis.* Res autem repræſentate ab Hiſtrionibus ſemper, aut ſua natura ſunt indecentes, & turpes, aut immixtæ rebus obſcœnis, nempe tricis amatoriis. Eo unice conſpirant Comœdi, ut appetitiones humani cordis demulceant, permoveant, illiciant, & in objecta repræſentata ſtimulent, & irritent. A gravi ne culpa excuſari iſti valent? Porro huic gravi culpæ dant ſua externa præſentia operam ſpectatores, inquit Cajetanus, & nos ſupra evidenter patefecimus.

VIII. Hæc omnia adeo manifeſta ſunt, ut ne revocari quidem in controverſiam poſſint. Et tamen hoc ipſo tempore vidimus Paſtoralem Epiſtolam amariſſimis lugendam lacrymis, qua Eccleſiaſticis cujuſdam Territorii facultas impertitur adeundi, & ſpectandi Theatrales repræſentationes. A Chriſtianiſmo condito tam monſtruoſum ſcriptum non prodiit. Sola publica retractatio tantum abolere malum valet. Hæc ſunt corruptiſſimi ſeculi noſtri fenomena.

IX. Tandem ut aliquo ſuffundantur pudore, tranſcribere huc volo, quæ impius Imperator Julianus Apoſtata ſervanda Paganiſmi Sacerdotibus præſcripſit. Ut Ethnicam ſuperſtitionem amplificaret Ethnicis Sacerdotibus juſſit, ut Chriſtianæ Religionis Sacerdotum modeſtiam, gravitatem morum, iſtorumque incontaminatæ vitæ integritatem æmularentur, vel ſaltem ementientes fingerent. Hac via, inquiebat vafferrimus Apoſtata, felicius falſorum Numinum cultum propa-

gal-

gabunt. Hæc enim inter alia ſcribit, ut refert Sozomenus *Hiſt. Eccl.* lib. 5. cap. 16. Arſacio ſupremo Deorum Sacerdoti. *Quot quot per Galatiam ſunt Sacerdotes vel terrendo, vel perſuadendo diligentes, & honeſtos reddas, vel a Miniſterio Sacerdotali removeas, ſi Deos una cum uxoribus, liberis, ac famulis non obſervaverint &c. Deinde Sacerdotes hortare, ut NEQUE AD THEATRUM accedant, neque in Tabernis bibant, nec artificio, & operi alicui turpi ac probroſo præſint, & qui in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito, qui autem reſiſtunt expellito.* Hæc altius animo imprimant & Presbyteri & Prælati, & Epiſcopi & Abbates. Hæc ab impio Apoſtata prolata, ſe ipſis profundius animum penetrant, quam a me exaggerata. Heinc conſtat, quam fuerint a ſpectandis Theatris alieni priſcæ ætatis & Chriſtiani, & præſertim Sacerdotes. Niſi hæc documenta moveant, quid allegare efficacius poſſumus?

CAPUT XXVI.

Aliquine occurrere eventus queunt, in quibus licitum interdum huic, aut illi Chriſtiano ſit adire Theatra?

I. MAriti, ne uxores conturbent, & uxores, ut maritis pareant, Theatra frequentant. Miniſter publicus, ut Principem comitetur, Theatris aſſiſtit. Peccaturoſne iſtos enunciabis? Viginti & amplius annorum intervallo quæſtiunculam hanc alta mente revolvi. Illinc obvia erat argumentatio. Licitum eſt in occaſione proxima morari, neceſſitate urgente, ut patet in filiis familias: Quid ni ergo, & Theatra ſpectare? Hinc ratiocinii iſtius falſitas ſponte menti patebat. Si ſermo eſſet de ſolo periculo prolabendi in aliquam delectationem propriam, paritas adducta fucum facere aliquem poſſet: At in caſu noſtro diſputatur non tam de peccato proprio, in quod prolabi quiſque valet, quam de ſcandalo, & de danda opera rei illicitæ Hiſtrionum. Ars Theatralis hodierna, quam Mimi, & Mimæ exercent, omnibus ſpectatis, in genere moris natura ſua infamis, & exitioſa eſt. Stipendiis alere, & præſentia propria fovere iſtiuſmodi artis profeſſores ſcelus eſt, non minus grave, quam ſit illud Hiſtrionum. Theatrum concilium vanitatis eſt, in quo plura committi flagitia nemo ibit inficias. Intereſſe autem concilio peccatorum numquam licet. Sicut enim vetitum & Divina, & Eccleſiaſtica lege eſt Duellum, in quo occiduntur corpora, ſpectare, & propria præſentia confirmare, potiori jure interdictum eſt adeſſe Duello, in quo contrucidantur Animæ. Accedit: vix occurrere neceſſitatem adeo gravem, quæ urgeat adire Theatra. Nam ſi mariti & uxores ſint revera Chriſtiani, facile ſibi mutuo perſuadebunt non expedire Comœdiarum aſpectum: ſi contra Chriſtiani nomen dumtaxat præferant, ceſſat diſputatio omnis. Idem de publico Miniſtro dicendum. Inſiſtis, plura conſequi, murmurationes, admirationes, & abſurda, ſi hic, aut ille adire theatra renueret. Reſpondeo univerſum Evangelium clamare te ſervum Chriſti eſſe non poſſe, ſi hominibus & mundo placere, aves. Clamant quatuor Evangelia a capite ad calcem, Paradiſum ingredi te minime poſſe, niſi ad Chriſtum Magiſtrum & Ducem tuum deriſum, colaphis cæſum, ſputis illitum, odio habitum, contumeliis laceſſitum, contemptum, crucifixum, mores tuos conformes, & ſimilia pati ſis paratus. Qui duobus Dominis inſervire, & Evangelium cum Mundo aſſociare contendit, chimæram chimærarum conflat. Hæc ſunt rationum momenta, quæ illicitum evincunt præfatum Comœdiarum aſpectum. An vero contingere perrarus caſus queat, in quo cauſſa evitandi diſſidia, jurgia, majora ſcandala, ſchiſmata, accedere quis puſſit ad Comœdiam, ibique ceu alter Alipius clauſis oculis, & auribus conſidere, penitus ignoro, & judicium meum ſuſpendo. Carpant, qui volunt, imbecillitatem, & inſipientiam meam. Me auctore, & ſponſore, nemo Theatra frequentabit. Verum ne mihi quipiam conſuetam Rigoriſmi chimæram appingant, audiant continuatorem Turnellii, qui *tract. de Decol. cap. 3. de 6. Præcept. pag.* 524. *edit. Venet.* hæc ſcribit.

„ CONCLUSIO IV. *Spectaculorum, & Comœdiarum frequentia periculoſa eſt caſtitati, & multis modis animæ noxia. Unde vix abſque peccato intereſſe ſpectaculis & Comœdiis Chriſtianus poteſt.* Ita „ Natalis Alexander, cujus reſolutio pro „ ſecunda parte pene laxior videtur. “

Poſtquam omni argumentorum genere im-

improbavit Comœdiarum, & Tragœdiarum frequentionem, contra ſecundam partem recitatæ propoſitionis Natalis ab Alexandro inquit pag. 124. *Sed an non poterit vir eruditus ut de fabula judicet aſſiſtere primæ ejus repræſentationi, ex qua certus ſit, ſe male affectum non iri? An nefas fuerit honeſtæ mulieri tragœdiam aliquando ſanctam audire? . . .*

Re ſapientiorum judicio permiſſa, haud credo a noxa immunes eſſe, qui VEL SEMEL Comœdiæ volentes interfuerint. 1. Quia eorum nemo, quidquid dicant, aut cogitent, immobilis eſt animi, *ut ſupra ajebat Tertullianus: moveri ergo & ſatis proxime poſſunt, idque in loco, ubi gratiam Dei præſtolari fidenter non poſſunt. 2. Quia comœdorum actioni, quæ GRAVE EST PECCATUM, indubie cooperantur: tolle enim ſpectatores, ſuſtuleris & actores. 3. Quia, qui comœdiam frequentant proborum, quos eidem intereſſe vident, exemplo ſeſe confirmant: [& illud obiicere ſolent ſive iis, a quibus moventur, ut ab exercitio deſiſtant, ſive iis, quos ad illud trahere volunt pene invitos.*

Quapropter cenſeo negandam abſolutionem. 1. Actoribus, qui ſcenicos ludos exhibent. 2 Auctoribus, qui fabulas componunt in Theatro recitandas. 3. Artificibus qui ad Theatrum proxime ſpectantia concinnant, niſi hi omnes ſufficienter moniti reſpiſcere velint, & prædictis nuntium remittere perpetuum. Idem & a fortiori de ſcenis Gallice OPERA *dicendum. Ita an. 1694. reſolverunt Doctores Sorbonici numero ſex.* Illi, qui Turnelianum opus] de gratia verſatili recudi vellent, ut ſyſtema S. Auguſtini doctrinæ oppoſitum latius manaret: Morum Præceptiones, quas Turnelii continuator edidit, ut recuderentur, curare deberent. Sic enim corrupta ethice pulſa, ſanior doctrina refloreſceret.

CAPUT XXVII.

Doctrina LUTHERANORUM adverſus hodierna Theatra exponitur, ut legant, & confundantur, ſi qui ſunt Catholicorum, qui Comœdias, Tragœdiaſque ætatis noſtræ purgare a flagitio non erubeſcunt.

I. NUdius tertius Eminentiſſimi Cardinalis PASSIONEI ampliſſimam Bibliothecam adii, cui ſive ſelectiores, multipliceſque editiones, ſive præſtantiores, rarioreſque Auctores ſpectes, fruſtra penes quempiam privatum rei litterariæ cultorem alium in univerſa Europa, nedum in Italia noſtra parem inquires. Cum ibidem, Auctores de Theatris agentes expiſcarer, occurrit obviam doctiſſimus Purpuratus eruditione increbibili, & memoria ſane prodigioſa, vel in ipſa ſeptagenaria ætate ornatus, ſtans pede in uno, omnes iſtius generis ſcriptores narravit, propria manu ex pluteis extractos dedit, & quod omnem ſuperat fidem, vel ipſa minutiora opuſcula inter ſua numeroſiſſima miſcellanea abſcondita, nullo conſulto indice, nulla præmiſſa inveſtigatione, intrepida manu extraxit, porrexitque. Quod enim ad majorem Bibliothecæ, vaſtiſſimæque eruditionis ſuæ ſplendorem, & ornamentum accedit, illud eſt, quod libros ſuos omnibus litteratis viris domum etiam deferendos, nedum ibidem legendos, urbaniſſime communicet. Quod idcirco indicavi obiter, tum ut veritati litarem, tum ut exemplum tanti viri ceteris imitandum præberem. Inter alia porro hoc de argumento volumina ab eodem mihi oſtenſa, ſequens opuſculum Miſcellaneorum tom. XXII. in octavo inſertum, mutuo mihi dedit.

II. *Georgii GRABOVVS Gymn. Francf. Rect. JUDICIUM DE HODIERNIS COMŒDIIS, aliiſque Theatricis ſpectaculis ex ſanctiſſimorum Patrum, nec non probatiſſimorum Theologorum noſtræ Eccleſiæ præjudiciis conſcriptum, & a Lipſienſi ampliſſima Theologica facultate comprobatum. Francofurti MDCLXXXIX.*

III. Lutheranus iſte Doctor, non ſuam peculiarem, ſed univerſæ Proteſtantium ſectæ doctrinam adverſus hodiernas Comœdias exhibet. Hoc quippe pacto inquit pag. 3. „ Falſo creditur, „ quod Comœdiarum vanitates *noſtra* „ comprobet *Eccleſia*, & male imputa„ tur ejus doctrinæ, quæ vel Docto„ rum, vel Auctorum, culpa. Quæren„ ti enim, quid de Comœdiis ſtatuat, „ in promptu eſt, *illam* hodiernas at„ que vulgares adeo non approbare, ut „ potius Auctores cum Actoribus aber„ rationis, &, quod gravius, prævarica„ tionis *ſuo jure* damnet. Utrique enim „ peccant *graviſſime*.

IV. Hoc brevi præmiſſo exordio, celebriores ſuæ ſectæ Theologos allegat,

eorumque teſtimonia reſcribit. Unum ego ex multis, quæ adducit, exhibeo. Nominatiſſimus Brochmandus (inquit pag. 4. apud eumdem Grabowus) 1. *Notum eſt, finem ludorum iſtorum ſcenicorum eſſe virtutes, & vitia ad vivum exhibere. Certus autem ſum, non poſſe, nec debere quemquam inter Chriſtianos vitia iſta, quæ in ludis ſcenicis depinguntur, nominare ſine deteſtatione; tantum abeſt, ut liceat ulli perſonam induere, in qua viva ſcelerum effigies reluceat. Urgeantur hæc ſcripturarum dicta. Epheſ. 5. impuritas ne quidem nominetur inter vos. 1. Theſſal. 5. v. 22. ab omni ſpecie mali abſtinete. 2. Notum eſt non poſſe Comœdias exhiberi cum applauſu populi, quin futilium hominum ſpurci, vani, ridiculi ſermones toti Theatro ad vivum repræſententur. Quod, ut Chriſtianus homo faciat, non permittit Dei Spiritus. Notæ enim ſunt hæ admonitiones Apoſtolicæ Eph. 5. v. 4. nec nominetur inter vos obſcœnitas, & ſtultiloquium, & ſcurrilitas, quæ non conveniunt, ſed gratiarum actio. Col. 3. v. 8. Deponite* αἰσχρολογίαν *ab ore veſtro. 3. Notum eſt requirere ſcenicos hoſce ludos, ut viri induant habitum muliebrem. At ne id fiat, ſevere prohibet Dominus his verbis: Deut. 22. v. 5.* Vir non induat habitum muliebrem: Nam abominationi eſt JEHOVÆ, qui facit iſta. 4. *Notum eſt concurrere ad iſtos ludos plures, qui vitioſi ſunt, quam quos recti ſtudium inflammet. Unde grande periculum eſt, ne plures ſcenica vitiorum repræſentatione corrumpantur magis, quam emendentur. Inimica enim tenacius hærent. Et hic jure urgeri poteſt illud Apoſtoli 1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. 5. Nullibi Spiritus Dei præſcribit ethnicum hunc modum emendandi vitioſos mores, ſed ſcripturarum ſacrarum aſſertiones ſunt.* Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine. *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos: Scriptura utilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in juſtitia, ut perfectus ſit Dei homo ad omne opus bonum perfecte inſtructus.* Hactenus Brochmandus *tom. II. Inſtit. Theologic. artic. de lege cap. 13. quæſtion. 6.*

V. Pauca animadvertas, velim. 1. Optime eruditus hic Lutheranus docet, ipſam Scripturam ſanctam damnare hodiernas Comœdias, quæ turpiloquio, & ſcurrilitate non vacant. 2. Penes Lutheranos putidiſſimam corruptelam feminarum prodeuntium in ſcenam non ſerpere: atque adeo damnari alteram corruptelam Hiſtrionum, qui muliebrem veſtem induunt. 3. Rejicit ſomnium illorum, ſeu verius delirium, qui Comœdiarum magiſterio emendari mores contendunt, cum ethnicum hunc modum revocandi homines a vitiis ſuis, Scriptura ſancta non indicet. Hac hironia vellicat Theatrorum defenſores.

VI. Pergit vero *Grabovus pag.* 7. ſuis verbis refellere Correctores Comœdiarum. *Quis enim quæſo Comœdias ad illorum præſcriptum ſollicite, & accurate unquam inſtituit? Quis multas ab omnibus ſupra recenſitis incommodis vacuas uſpiam ſpectavit? Quis audivit ullam ſine otioſo verbo (de quo tamen in noviſſimo die reddenda erit ratio) aut quod majus, ſine ſcurrilitate, quæ non minus a Comœdiis, quam a Chriſtianis longiſſime abſit, oportet? Quis non reperit multa in illis abſurda, multa alieniſſima ab ea veritate, ſimplicitate, ſanctitate, & gravitate, quæ Chriſtianis olim, & adhuc in ſpirituali Regno Chriſti dominatur? Quis perſæpe non vidit virilem ſexum, jam uxoris, jam virginis perſonam muliebri veſtimento ſuſtinuiſſe* contra Dei expreſſum interdictum? . . . *Quibus de cauſis omnes Chriſtiani ſcenicis ſpectaculis adeo non delectentur, contra deteſtentur ea, & ne interſint quidem, multo minus præſint, ut ſe participes non faciant alienorum peccatorum, ad exemplum tam veterum Chriſtianorum,* quam piorum Theologorum noſtræ Eccleſiæ. Nam *ſcribit Doctor Meiſnerus*, nos ipſi illicitas, & abuſu conſtitutas Comœdias ſerio improbamus, & deteſtamur.

Pag. 10. *Propterea nemo* ſanus *eos* nimii *Patrum* rigoris *accuſabit: ſed omnes potius boni exoptabunt, ut illorum ſpiritum ad hoc ævi perpetua retinuiſſet poſteritas. Hoc enim facto nos profecto in Theatra æque vehementer invehemur, atque Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique, tam Græcæ, quam Latinæ Eccleſiæ ſuis temporibus.* Quippe hodierna, maxime autem Britanica, ſcenæ ſpectacula

nihil (*Graviſſimi D. Dannha Weri judicio*) ab ethnicis differunt. *Plena enim ſunt offendiculis, plena otioſis verbis, plena ſtultis quæſtionibus, plena ludicris, & pravis colloquiis, plena ſtolidis Mimorum geſticulationibus, & ruſticorum vociferationibus, plena illiberalibus, petulantibus, atque obſcœnis jocandi generibus, plena inhoneſtis, improbiſque voluptatibus, plena voluntariis vitiis, ac peccatis, quorum* ſuaſor, auctor, & adjutor eſt Diabolus. *Imo pleniora multo* quam ethnicorum. *Interſperſa namque ea voluptatum condimenta ſunt, quæ apud illos inviſa, atque inaudita fuere, quorum nomen Romano Foro ignotum* : interſcenia *puto* (vulgo intermedia) *tanta vanitate, ſcurrilitate, ac futilitate, ut dubitem, ac major excogitari poſſit. Quas ob cauſas nullum eſt dubium, quin ea tanto magis averſetur DEUS, quanto majori labore, ſtudio, & cupiditate præſentantur, ſpectantur, approbantur, laudantur, commendantur, frequentantur.*

VII. In medium promit Lutheranus ſcriptor, ut ea, quæ dixit confirmet, teſtimonia Salviani, Chryſoſtomi, Auguſtini, Tertulliani, quæ ego brevitatis ſtudio prætermitto. Deinde pag. 19. ſic orationem reſumit.

VIII. „ Neque hic quicquam valet „ auctoritas eorum, qui Comœdias ad „ popularem auram accommodatas mordicus defendunt. Etenim multitudo „ errantium errori patrocinium nullum „ facit. *Errare autem illos partim voluptatis pravitate, nemo ex mediocriter eruditis non animadvertit, nemo ex illuminatis non videt.* Laudant in Comœdiis, quæ *noſtra* vituperat *Eccleſia*, „ & amant quæ Spiritus S. in ſacro Codice deteſtatur. Cave autem dicas id „ noſtros ad unum omnes Theologos facere. Multi ſiquidem egregii viri *tolerant, quod tollere nullo modo poſſunt.* „ Multi furentem illam impietatem, „ qua de agitur, verbis improbant, cum „ re prohibere non liceat. Quidam de „ impudenti illa audacia copioſe ſcripſerunt, alii libere adhuc loquuntur, plurimi pio, ac juſto dolore queruntur, „ ſed *mordaciſſimorum canum* (N. B.) „ metu, tacent, finemque exoptant, „ magis quam expectant. Non pauci „ falſa perſuaſione, alii aliorum mendaci informatione, aut magna vi longæ „ conſuetudinis, cæcutiunt, quibus veritatis lumen poſtea tanto jucundius exiſtit, quanto clarius illorum mentibus „ præpanditur.

„ Verum eſto! *perſiſtat major pars in errore ſuo; nihilo tamen ſecius infracta manet veritas.* Hæc enim dependet „ neque a judicio hominum, neque ab „ illorum Theologorum auctoritate, *qui in Eccleſia quidem vivunt (ſi modo vivunt) aſt de Eccleſia non ſunt.*

IX. Sed aures arrigant Comœdiarum & Tragœdiarum Correctores, qui Theatra natura ſua haud illicita contendunt, ſed indifferentia; abuſu vero, & Comicorum pravitate fieri inhoneſta, & mala. Unde inferunt auferendum eſſe Comœdiarum abuſum, ſervandum vero uſum Theatrorum. Audiant homines iſti Lutheranum hominem animumque, in ea, quæ reſcripturus ſum, ſerio intendant, & tandem aliquando ſapiant. Sic autem continuat ſuam orationem *Grabovus pag.* 21.

X. „ Scio equidem pleroſque inter „ uſum & abuſum diſtinguere: ſed quis „ poteſt aſſerere, quod comœdiarum uſus „ in Scriptura ſacra uſpiam laudatus? „ Quis non affirmabit potius, quod ab „ Eccleſiæ Chriſtianæ Patribus inter Diaboli opera numeratus? *Quid, quod Sacræ cœnæ uſu ſcenicos Actores Eccleſia illa vere Catholica prohibuit?* Quis „ trutinatis omnibus non poteſt non fateri, ſemper obfuiſſe magis, quam „ profuiſſe publicis privatiſque rebus, ſine cauſſa autem reclamatur: *Tollatur abuſus?* Hic namque ita inſitus, atque inveteratus, ut penitus hoc rerum „ ſtatu extirpari nequeat. Nam ſi abuti „ eſt (eſt autem) re aliqua, vel male, vel ad ſuum finem non recte uti, „ abuſus ſine dubio eſt, ſacram Scripturam in ludicras Comœdias convertere. Abuſus eſt, tempus Poetarum nugis, Ethnicorum fabulis, aut aliis veris quidem hiſtoriis, ſed inutilibus, „ nomineque Chriſtiano indigniſſimis „ conterere. Abuſus, veritatem mendaciis contaminare, ſacra profanis conſpurcare, honeſtam materiam ſcurrilitate, facetiis, aliiſque turpiſſimis rebus commaculare. Abuſus eſt, irreligioſos ludos magnis ſumptibus apparare, & apparatos effuſa malitia ſacris „ n locis, ne dicam in religioſis tem-

„ plis

„ pliſs agere. Abuſus eſt, omne ingenium atque ſtudium, non ad Dei gloriam, ſed ad ſuam laudem (N. B.) vel acquirendam, vel augendam conferre. Abuſus denique eſt, vel ſordida egeſtate, vel inſatiabili pecuniæ aviditate officium ſuum habere quæſtui, hoc eſt turpiſſimum lucrum, neſcio quo titulo, cupidiſſime quærere.

„ *Porro dixerit aliquis : ea omnia comœdiis abeſſe debent. Debent omnino ex præceptis Theologorum, ſed nondum, quod ſciam, abſuerunt, neque impoſterum, quantum prævideri poteſt, ſalvo earum ſtatu, aberunt.* Sunt enim certo modo eſſentialia, imo anima comœdiarum. Sunt adjuncta, quæ mentis 'quidem ſeparatione abſtrahuntur : *re tamen inſeparabiliter conjuncta* manent. Sunt ex eorum genere, quorum alia perfacile, alia difficulter, alia raro, alia numquam, ſine earum interitu abeſſe poterunt. *Nam ſublatis illis illecebris, deficient ſpectatores, deficientibus ſpectatoribus deficient commoda : deficientibus autem commodis deficient Auctores cum Actoribus.* Hoc autem facto, accidentia cum ſubſtantia, abuſus cum uſu, adjuncta cum ſubjectis (miſerum) peribunt. Quod nonnulli ex perſpicaciſſimis ethnicis proſpexerunt. Idcirco maximis quidem, ſed indignis laudibus comœdias extulerunt. Nam ſcribit Cicero lib. 4. Tuſc. Quæſt. *O præclaram emendatricem vitæ Poeticam, quæ amorem flatii, & levitatis Auctorem in Concilio Deorum collocandum putet. De Comœdia loquor. Quæ, ſi hæc flagitia non probaremus, nulla eſſet omnino.* Idem illud noſtra ætate quidam, Chriſtiani ſcilicet, tamquam ex ſpecula proſpectant. Hinc Andabatarum more pugnant, atque Templi Epheſini Majeſtatem Demetrius ſuis ſociis vociferantibus. *Magna Diana Epheſiorum !* Quod profecto minime facerent, ſi comœdias, non dico, illuminatis, ſed tantum eruditis, ſimplicibuſque oculis intuerentur.

„ Nam, ſi Deo non diſpliceant, nec Chriſtiano populo indignæ ſint, Comœdiis abſint profani Actores, abſit irreligioſum argumentum, abſit omnis ἀτιμία in dictis, & factis, abſit vana & inanis oſtentatio, abſit fictus & ſimulatus vultus, abſit propriæ laudis captatio, abſit omnis vana oblectatio, abſit hodiernarum Comœdiarum cauſſa, nec non primarius finis, crumenarum emunctio. Contra ea (non nomine, ſed re) Chriſtiani ſint Auctores, Chriſtiani Actores, Chriſtiana materia, Chriſtianus modus, Chriſtianus finis, Chriſtiana adjuncta, Chriſtianus denique FRUCTUS. Siquidem actionis bonitas non ex ſolo fine æſtimanda, verum etiam ex principio, ſubjecto, objecto, aliiſque requiſitis, quæ teſtibus Philoſophis, omnia bene ſe habent . . . . An vero ſperandum & expectandum, his præſertim temporibus, quibus omnia, vel irrevocabili errore, vel irremedicabili malitia in pejus ruunt, fore aliquando, ut ex ſententia Theologorum noſtrorum, ſublata omni vanitate agantur, tuo, *Chriſtiane Lector*, judicio committitur. Quantum mihi cernere datur, verum manet illud Chriſtiani Poetæ

Tanta molis erit Chriſtianos edere ludos,
Ut nemo prorſus tollere poſſit eam.

„ Neque admodum magna deliberatione atque conſultatione opus erit. Non enim drammata Chriſto neceſſaria ſunt : Quandoquidem omnia ejus Regna ſine ullo Comœdiarum Actore adminiſtrari queunt. Non ſanctiſſimæ Chriſti Eccleſiæ, quoniam illis ſeculis maxime floruit, quibus nullus in ea Theatricis Spectaeulis locus fuit. “

XI. Quæ ſequuntur, ſerio meditentur Collegiorum Rectores, Diſcipulorum Magiſtri. Pergit itaque *Grabovvs pag.* 28. „ Quæ autem de Comœdiarum fine afferuntur, illa aperte contra communem experientiam ſunt. Quippe inter omnes conſtat, quod comœdiarum ſcopus non ſit Dei gloria, aut morum correctio, & emendatio, multo minus, quæ de earum commodis glorioſe prædicantur. Poteſt enim longe meliori ratione, quam ſcenicis Artibus *Diſcipulorum intellectus informa i, voluntas confirmari, & memoria confirmari.* Poteſt ſtudioſa juventus ſine ullo periculo in Hiſtoriarum, aliarum-

„ que antiquiſſimarum rerum notitiam
„ perduci, multo breviore via, gratiore
„ voluptate, & majori fructu. Poteſt
„ vocis correctio, poteſt actionis digni-
„ tas, cum dicendi libertate, crebris de-
„ clamationibus, vel quibus Gymnaſiis
„ nihil convenientius eſt, oratoriis acti-
„ bus, ſine Comœdiarum moleſto ſum-
„ ptuoſo, ac periculoſo apparatu feliciſ-
„ ſime acquiri. Poteſt animorum rela-
„ xatio, & debet quoque tutius, cre-
„ brius, ac melius fieri. *Miſeri enim*
„ *Præceptores ſunt, qui nulla alia re,*
„ *quam Comœdiarum inanitate, diſcipu-*
„ *los recreare norunt. Miſeri diſcipuli,*
„ *quorum animus non prius, quam an-*
„ *nuis ſpectaculis reficitur. Miſera que-*
„ *que morum correctio, quam ejus generis*
„ *ſcenici ludi conciliant.* Hi enim plus
„ vanitatis, atque futilitatis, quam ve-
„ ritatis, & utilitatis habent . . . Pleri-
„ que corrumpuntur magis, quam corri-
„ gantur, dum indulgentiores, immode-
„ ſtiores, inſolentiores, nequiores fiunt.
„ Hujus rei teſtis eſt quotidiana expe-
„ rientia, nec probatiſſimus ille Theo-
„ logus, qui referente D. Harrmanno de
„ Comœdiis ita differit &c. “

XII. Reſcripta prolixa declamatione
alterius Lutherani Theologi Teuthonico
idiomate exarata rurſus ſic inſurgit *Gra-*
bovus pag. 35. „ Indignum enim Chri-
„ ſtianis eſt, non renatos in ſcenam
„ producere, ut renatos doceant, ut
„ non renatis ſpectaculo, & deridiculo
„ ſint. Indignum, vana utilitatis ſpecie
„ Scripturam ſacram in ludos, & jocos
„ convertere. Indignum, cæcorum eth-
„ nicorum Comœdias in Chriſtianorum
„ ſcholis repræſentare. Indignum, rena-
„ tis diſcipulis virtutes ethnicas ad imi-
„ tandum proponere. Indignum, capta-
„ re plauſus, & commovere cachinnos.
„ Indignum, ſordidi lucri gratia annuos
„ ludos inſtituere. Indignum, ex alio-
„ rum, ut ſolent, incommodis ſuum
„ comparare commodum. Quod ſi enim
„ hæc res (ut pervulgata utar formu-
„ la) de pane lucrando non eſſet, ne-
„ mo certe illorum in ſolius DEI glo-
„ riam tantum moleſtiæ ſuſciperet, ne-
„ mo in ſalutem proximi tantam pecu-
„ niæ ſummam impenderet. Indignum,
„ Dei nomen profanare, & Sanctorum
„ facta in ludicras actiones convertere.
„ Indignum, quorum nomina ſine dete-
„ ſtatione appellare nefas eſt, Deorum,
„ Dearumque dicta & facta ad vanam
„ ſpectatorum oblectationem proferre,
„ & præſentare. Indignum eſt, Satanæ
„ oculos, & aures aperire; cum profe-
„ cto ſatis mali ſit per unam feneſtram
„ intrare, & occupare animas. Indi-
„ gnum, publice proponere, quæ a ſce-
„ leratiſſimis hominibus turpiſſime per-
„ petrata, ut furta, adulteria, ſtupra,
„ & id genus alia &c.

„ Nihil autem juvat vulgarem diuti-
„ namque conſuetudinem prætexere.
„ Multa ſiquidem jam inde a principio
„ reformationis in Eccleſia fuerunt, &
„ ad noſtram memoriam pervenerunt,
„ quæ Fidei noſtræ minime conveniunt.
„ Quo circa non videndum, quidnam
„ factum antea, aut adhuc fiat: ſed
„ quid jure, ac merito fieri debeat. At
„ dicis: Chriſtiani ſunt, qui Comœdiis
„ præſunt, Chriſtiani, qui interſunt,
„ Chriſtiani, qui ex circumſedentibus &
„ circumſtantibus adſunt. Utinam vere
„ diceres! Tantum autem abeſt, ſi eos
„ diligenter examinaveris, *ut ſint veri,*
„ ut plurimi ne videri queant . . . . . .
„ Quamdiu autem ſolo nomine ſunt,
„ tamdiu neque illorum Comœdiæ per
„ omnia Chriſtianæ eſſe, neque Chri-
„ ſto, & Chriſtianis digne exhiberi, ſpe-
„ ctarive queunt. Sed manent impieta-
„ tis Theatra, intemperantiæ gymnaſia,
„ malorum irritamenta, impudentiæ ſpe-
„ ctacula, Religionis ludibria, nec non
„ lubricæ juventutis offendicula . . . . .
„ Hoc denique volunt, hoc intendunt
„ piiſſimorum Patrum vota, conſilia,
„ monita, & præcepta. Nam ait Am-
„ broſius &c. Lactantius &c. Salvianus
„ &c. Tertullianus &c. Auguſtinus &c.“

XIII. Omnium iſtorum Patrum docu-
menta valde prolixa tranſcribit, quæ cum
ſuperius dederim, miſſa facio. Conclu-
dit vero pag. 52. „ Quid ergo nobis
„ Chriſtianis faciendum, tu ipſe, circum-
„ ſpecte Lector, judices velim. Agitur
„ DEI gloria, & Chriſtianæ Eccleſiæ
„ ſalus. Quantum mihi divinare licet,
„ nos tuo arbitratu comœdiis vel appa-
„ ratiſſimis tanto infeſtiores ſimus, quan-
„ to magis a Diabolo ſuam traxere ori-
„ ginem, & quanto pleniores jam Dia-
„ boli operibus, quam fuerunt umquam:
„ tantoque promptiores ad delendum ea-
„ rum nomen, quanto Chriſtianis indi-

„ gnio-

„ gniores, quantoque minus hocce magno, diuturno ac deſperato Eccleſiæ morbo vel exoptandæ, vel expectandæ, quæ omnibus ſuis numeris Chriſtianæ . . . . Noſtrum itaque eſt, qui vera Eccleſiæ noſtræ membra eſſe volumus, Comœdias iſtas veluti opera tenebrarum fugere. Noſtrum eſt, qui Chriſto nomina dedimus (dedimus autem omnes in Baptiſmo) avertere oculos ne videant Comœdiarum vanitates. *Nam in via Dei qui eſt* (ſunt verba Ambroſii) *vanitates non aſpicit. Via perfecta Chriſtus eſt. Qui igitur in Chriſto eſt, quomodo poteſt vanitates aſpicere, cum Chriſtus omnes vanitates hujus mundi in carne ſua crucifixerit? Avertamus igitur oculos a vanitatibus, ne quod oculus viderit, animus concupiſcat.* Homil. 16. in pſal. 118. Noſtrum eſt, Comœdias illas tanto magis deteſtari, quanto nos deteriores reddunt, quantoque majus damnum relinquunt. *Nam* (utor verbis Salviani lib. 6. de Gubern. DEI pag. 197.).... *Nonnulla etiam maxima ſcelera incolumi honeſtate referentis, & nominari, & argui poſſunt, ut homicidium, latrocinium, adulterium, ſacrilegium, ceteraque in hunc modum. Solæ Theatrorum impuritates ſunt, quæ honeſte non poſſunt vel accuſari, ita nova in coarguenda harum turpitudinum probroſitate res evenit arguenti, ut cum abſque dubio honeſtus ſit, qui accuſare ea velit, honeſtate tamen integra ea loqui, & accuſare non poſſit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non videntes. Siquidem etſi blaſphemum quempiam audias, ſacrilegio non pollueris, quia mente diſſentis. Etſi intervenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ ſpectaculorum impuritates ſunt, quæ unum admodum faciunt, & agentium & conſpicientium crimen. Nam dum ſpectantes hæc comprobant, ac libenter vident, omnes ea viſu, atque auditu, atque aſſenſu agunt, ut vere in eos Apoſtolicum illud peculiariter cadat: quia digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Breviter: noſtrum eſt, ea omnia facere quæ Spiritus Sanctus in ſacris litteris præcipit, Eccleſiæ Patres quondam ſuaſerunt, & noſtri Theologi recte monuerunt in ſolius DEI Gloriam, nec non Eccleſiæ ſalutem. “

§. UNICUS.

Conſectarium ſerio meditandum.

I. HÆc manu tremula, oculis madidis, animo & totius corporis artubus contremiſcens reſcripſi, & inter ſcribendum ſæpe numero mecum inter ſuſpiria & gemitus colloquebar: qua ſermonis gravitate, qua ratiocinii ſoliditate, qua eruditionis copia, qua pietatis ſpecie, qua inſinuationis vi Hæreticus Lutheranus hodiernas comœdias inſectatur, deteſtatur, labefactat? Ad Scripturarum, & Sanctiſſimorum Patrum, & communis ſenſus, & ſanæ mentis Tribunal cauſſam revocat, ut eam efficacius confirmet, & luculentius demonſtret. Quid ſi Lutheranus iſte (mihi objiciebam) Catholicos illos, quos purgare a crimine Theatra hodierna non pudet, qui Scripturarum oracula, & Patrum teſtimonia eludere non dubitant, hoc pacto adoriretur? Vos Catholici, ut fidei dogmata, de quibus nos inter, & vos diſſidia fervent, eo in ſenſu, quo vos illa interpretamini, credenda evincatis, perennem Sanctiſſimorum Patrum doctrinam opponitis, totiſque lateribus inclamatis: Patrum Traditionem: Patrum Traditionem. Nos autem Proteſtantes a vobis percunctamur: Num Patres conſenſu adeo unanimi, & ampliore argumentorum copia aliquod fidei dogma a Luthero noſtro in diſcrimen adductum confirmaverint, & validiore eloquentiæ efficacitate munierint: num ardentiore impetu irruerint, & tot fervoris tela jaculaverint in eos, qui ejuſmodi fidei dogmata inficiabantur: ac in eos, qui honeſtam propugnabant Theatrorum frequentiam? Ediſſerite. Admittenda ne eſt in Fidei articulis, ſecus in morum præceptis, Patrum doctrina? Eamne cavillari in iſtis, ſecus in illis permiſſum eſt? Reſponſum perſpicuum exhibeant Theatrorum Patroni.

II. Dum hæc mecum ſeria meditatione revolvebam, hæc menti occurrebant. Morum diſſolutio, Diſciplinæ relaxatio, Corruptelarum pravitates uſquequaque graſſantes, Eccleſiaſticorum plurium faſtus, ambitio, tripudia, ſimoniacæ nundi-

nationes, ſupina ignorantia, ſcandala publica in cauſſa fuerint, cur Lutherani, atque Calviniani ab Eccleſia noſtra Catholica ſeceſſerint. Quid ſi eadem nunc vitia graſſarentur tum in populo, tum in Clero? Quid ſi eadem in Clero ignorantia, eadem voluptatis & deliciarum ſitis, idem præter propter faſtus, & luxus? Quid ſi laxiores nunc opiniones & doctrinæ pernicioſiores ſerperent? Quid ſi Moralis Evangelica immanis Rigoriſmi teterrima nota inureretur, ejuſque intrepidi defenſores tamquam Rigoriſtæ, & Janſeniſtæ traducerentur? Quid ſi per cuniculos, per fas & nefas, Magnatum indignationes, & perſecutiones in eoſdem concitarentur? Quid ſi nec libertas nunc pateret plena, Theatrorum corruptelam improbandi? Quid ſi nunc ad Sacramenta Chriſti Mimi, & Mimæ, eorumque auditores, & ſpectatores admitterentur? Quid ſi Theologi ipſi conſulti, num licita ſit Viris Eccleſiaſticis Comœdiarum frequentia, etiam tum, cum peculiari Epiſcoporum edicto vetitum illis ſit, reſponderent: Pergat, pergat Dominatio veſtra, omni, etiam venialis, & leviculæ culpæ ſcrupulo poſito, quia Edicta Epiſcopalia pœnalia ſunt? Nam ire ad ſpectacula, quid mali eſt?

III. *Si* ætatis noſtræ flagitia, cum ſceleribus conferantur ſeculi decimi ſexti; quo Lutherani, & Calviniani deſcivere a Romana Eccleſia, id forte diſcriminis apparebit, quod illa craſſiora, horrendiora, impudentiora: noſtra vero delicatiora, exquiſitiore arte fucata, & veluti artificiis eruditiora evaſerunt. Si doctrinæ æquiparentur, doctior eſt & eruditior ætas noſtra. Verum doctrinæ non paucorum quæ ſpiritum Evangelicum ſpectant numquam laxiores? ſcelera tum liberius prodibant larva poſita: phalerata nunc, incruſtata, calamiſtrata, & honeſtatis fuco illita immanius ſæviunt, & impotentius Chriſti vineam depopulantur. Numquam tanta Sacramentorum profanatio, & ſacrilega adminiſtratio. Numquam adverſus ſinceram germanamque Chriſtianæ Moralis doctrinam tanta perſecutio. Primis Eccleſiæ ſeculis, ut dictum alias, & dicendum ſæpius eſt, Fides, nunc morum præcepta perſecutioni, eo truculentiori ſubjacent, quo majorem præferunt pietatis ſpeciem. Si omnes hæreſes a pravis Catholicorum moribus ſuam arceſſunt originem, Catholicorum quoque pravitate, & offendiculis adoleſcunt, firmantur, amplificantur.

IV. Ineptiſſime Lutherani, Calviniani, ceterique ejuſdem furfuris homines, ex corruptelis, quæ in Catholica Eccleſia ſerpebant, & latius graſſabantur, adulterandorum fidei dogmatum anſam arripuere. Numquam enim, vel ipſis primæ ætatis ſeculis, Chriſti vinea abſque tribulis & zizaniis fuit, eritque. Sint plurium Catholicorum, pluriumque Eccleſiaſticorum depravati mores, propterea ne minus vera, minus firma Fidei dogmata, an minus ſancta morum præcepta, quæ Romana Catholica Eccleſia docet, proponit, defendit? Nonne ipſi ſanctiſſimi Patres, quorum nobis Proteſtantes doctrinam objiciunt, ſuorum temporum vitioſos Catholicos reprehendebant, & increpabant? Nos quoque in præſentia Eccleſiæ noſtræ graviſſima mala lacrymantes, & gemebundi fatemur. Adverſus tot Catholicorum, & Eccleſiaſticorum corruptiſſimos mores vocis ſonitum emittimus, inclamamus, & ſeneſcentis Matris vulnera ſanare pro virili ſtudemus.

V. Illud vero ex ſuperiori capite conſectarium ſponte fluit, reformandos Catholicorum mores, exterminandas plurium Caſuiſtarum laxiſſimas opinationes, reprimendam illorum incredibilem, & Eccleſiæ Catholicæ pernicioſiſſimam audaciam, qui laxitatem fovent, qui corruptelas manifeſtiſſimas honeſtatis fuco incruſtant, qui ſanioris moralis aſſertores infamare, perſequi, & in odium, invidiamque traducere, ſagaciſſime adnituntur. Niſi tantorum malorum torrenti aggeres adjiciantur, funeſtam criſim, & quemdam ſuppliciorum cataclyſmum, mihi videre videor non adeo longe imminentem. A morum iniquitate ad hæreſes, ab hæreſibus ad impietatem tranſitus ſemper contingit. Imbecilles vident & increduli ſectarum diſſidia, errorumque portenta. Vident depravatos Catholicorum mores, diſſidentes opiniones, & laxiores prævalere in dies: audiunt molliorum doctrinarum vindices ſilentium & pacem ſubdole promoventes, ut, nemine contradicente, laxitatis veneficium benignitatis velo obtectum liberius procedat. Inter tot fluctus & tempeſtates conſtituti inferunt, nihil, nihil ſtabile, ſed omnia

mnia vana eſſe, & arbitraria humanarum mentium commenta. Ergo nihil credendum, ſed pro cujuſque genio, & moribus vivendum. En! unde impietatis, quæ continenter creſcit, & amplificatur, monſtrum ſua capit exordia. Percurrantur omnia Eccleſiæ ſecula: nullum profecto occurret, in quo liberius, latiuſque, ac in noſtro Incredulitas, Epicureiſmus, Indifferentiſmus, & Atheiſmus manaverint. Quodnam extremo morbo remedium? Illi, qui præſunt, quibus duriſſimum, & tremendiſſimum judicium fiet, recogitent, meditentur. Ad majores noſtros, eorumque geſta, molimina, conatus, labores, tormenta, ſanguinis effuſionem, anguſtias, quibus Eccleſiam Dei aut purgarunt a vitiis, aut a fundamentis excitarunt, animum intendant. Divino ſplendidiſſimoque lumine illuſtrati illi fuere: eorumdem ergo via unice vera, ſolaque ad portum ducit. *Indolentia* illa, quam prudentia Carnalis ſuggerit, omnium malorum funeſtiſſima eſt, Deo & Eccleſiæ infeſtiſſima. Primum omnium ergo Spiritus fortitudinis excitandus eſt, Dei armatura arripienda, Zelus Evangelicus ſuccendendus. Quid? Hoſtes infenſiſſimi tamquam Leones rugientes circuunt, ut Chriſti gregem devorent, ut vineam Domini Sabahot devaſtent, ut Religionis noſtræ fundamenta ſubmoveant, & Chriſti Regnum penitus diruant exterminentque; & Chriſtianæ militiæ Duces, & Imperatores a Deo conſtituti bellum vident, & arma non capiunt? ut commiſſas ſibi oves, ut propriæ ſalutis negotium, Religionis decus, Dei gloriam, Chriſti Regnum defendant, atque propugnent? Abſit, ut tantam indolentiam reformidemus futuram.

CAPUT XXVIII.

Aliud ſophiſma repellitur: Confeſſarii abſolvunt Mimos, Mimas, Saltatrices, Cantatrices, & Comœdiarum ſpectatores: Quid ergo mali eſt in Theatrorum frequentia?

I. SI Confeſſarii ſint, qui Chriſti Sacramenta adminiſtrent Hiſtrionibus, & feminis Mimis, quæ profeſſionem excercent in Theatris ſaltandi, laſciviendi, canendi, recitandi fabulas poetarum, & repræſentandi amores Cleopatræ, Semiramidis, Sofonisbæ, & ſimilium heroinarum, ſuorumque heorum, & iſtorum ſpectatoribus & approbatoribus, amariſſimis lacrymis tanta defluenda perverſio eſt atque ſacrilega profanatio. Similes non reperiri in Eccleſia Catholica Confeſſarios credere expedit. At ſi forent, Chriſti Myſteria proderent, Margaritas porcis diſtribuerent, & proprii Miniſterii prævaricatores indigniſſimi & ſe, & pœnitentes ſuos præcipites æternum darent.

II. Verum ineptiſſime obtruditur quorumdam, ſi qui revera ſunt, Confeſſariorum prævaricatio. Quandoquidem, non quid agant nonnulli Miniſtri inepti & imperiti, ſed quid Eccleſia ſancta præſcribat, ſpectandum eſt. Patrum, præſertim Cypriani, Chryſoſtomi, Salviani, & Conciliorum, & Eccleſiæ Canones, qui ejuſmodi peccatores arcendos a Sacramentis decernunt, ſuperius adduxi. Cyprianus Epiſcopus *ad Encratium* Divinæ Majeſtatis ſplendorem offuſcari, Evangelicam infringi diſciplinam & honorem Eccleſiæ fœdari teſtatur, dum Hiſtrionibus, eorumque ſpectatoribus Sacramenta adminiſtrantur. Cypriani Chryſoſtomus, & Chryſoſtomi doctrinam confirmat Auguſtinus *de fid. & bon. oper. c.* 18. cujus verba, quoniam ſupra reſcripta, ſicut illa Cypriani, & Chryſoſtomi, non ſunt, ob oculos traduco. *In doctrina bona*, inquit, *& bonus poteſt eſſe, qui audit, & facit, & malus, qui audit & non facit: in doctrina vero mala, & qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus eſt, & qui obtemperat, pejor eſt. Illud ſane mirabile eſt, quod Fratres, qui aliter ſapiunt, cum debeant ab iſta, vel nova, vel vetere, pernicioſa tamen opinione diſcedere; ipſi inſuper dicunt novam eſſe doctrinam, qua nequiſſimi homines in ſuis flagitiis ſe perſeveraturos in propatulo profitentes non admittuntur ad baptiſmum: quaſi, neſcio ubi, peregrinentur, quando meretrices & HISTRIONES, niſi ſolutis, aut diſruptis talibus vinculis, ad Chriſtiana Sacramenta non permittuntur accedere: qui utique ſecundum illorum ſententiam OMNES admitterentur niſi antiquum & robuſtum morem ſancta Eccleſia retineret, ex illa ſcilicet liquidiſſima veritate venientem*. Quoniam qui talia agunt Regnum Dei *non poſſidebunt*: *& niſi egerint ab his mortuis operibus pœnitentiam, accedere ad baptiſmum non ſinun-*

nuntur : *ſi autem ſubrepſerint, niſi, vel poſtea mutati egerint, ſalvi eſſe non poſſunt*. Hanc ſanctiſſimi Parentis Auguſtini doctrinam ſerio, altiuſque meditentur lectores, & defenſores nonnullorum laxioris ethices Caſuiſtarum, qui more illorum, quos improbat ſanctus Doctor, ſanam doctrinam, qua a Sacramentis arcentur Hiſtriones, & Theatra frequentantes, criminantur, ut novam, rigidam Janſeniſticam. *Dicunt novam eſſe doctrinam, qua nequiſſimi homines non admittuntur ad baptiſmum*. Sicuti a mundo condito, poſt lapſum Adæ, ſemper fuerunt, eruntque peccatores: ita ſemper fuerunt, eruntque Magiſtri conſuentes pulvillos ſub omni cubito. Ita clamant Scripturæ ſanctæ. *Surgent Pſeudo-Chriſti*, inquit Matthæus 24. *In vobis erunt Magiſtri mendaces*, ſubdit Petrus *Epiſ.* 2. *c.* 2. Abſolvunt Confeſſarii non pauci amaſiunculos, & amaſiunculas, quæ viciſſim, luſtris, nedum annis, amore reciproco ludunt: abſolvunt fœneratores, abſolvunt ingentem pecuniarum ſummam ludis fortuitis exponentes: & quos non abſolvunt? Quid inde? Verum ne videamur ſolis antiquis Patribus damnare & ignorantiam & praxim illorum Confeſſariorum, qui abſolvunt Comicos, Comicas, Cantatrices, & Saltatrices, quin artem ejurent, lubet & recentium tum Theologorum, tum Sanctorum auctoritate tantum errorem profligare. Et ne ſim longus, reſcribam, quæ docet P. Hieronymus Florentinus *loc. cit. pag.* 327. ubi hæc habet. *Omnes Theologi tractantes ſupradictos textus nihil omnino de venalitate conſiderant & conveniunt, hujuſmodi perſonis deneganda eſſe Sacramenta; ea ſola ratione, quia ipſi recitantes comœdias notabiliter obſcœnas peccant mortaliter*. Jam evidenter demonſtratum eſt, & a nemine ſanæ mentis negari poteſt, comœdias eſſe notabiliter, immo graviſſime obſcœnas, quas Mimi, & Mimæ ut amaſiæ, & amaſii repræſentant ad ſpectatores demulcendos.

III. Aures tamen arrigant Confeſſarii omnes, audiantque ſanctum Archiepiſcopum Carolum Borromæum in *inſtruc. Confeſſ.* ita detonantem: *Confeſſariorum culpa & inertia factum videmus, ut in pleriſque artibus, & profeſſionibus, innumeræ corruptelæ, & graviſſima delicta paſſim vigeant*.

IV. Audiant S. Thomam Villanovanum *Fer. 6. poſt.* 3. *Dom. Quadr.* altius inclamantem: *Quid Eccleſiam Dei hodie perdit, niſi Confeſſariorum blandiens adulatio, deliniens demulcenſque aſſentatio... Vermen conſcientiæ extinguunt, ſtimulum peccati auferunt, & ſuos pœnitentes ad inferna demittunt .... Heu miſeri animarum, non curatores, ſed interfectores, non conſultores, ſed deceptores, quid reſpondebitis Domino pro grege, quem veſtris blanditiis decepiſtis, veſtris conſiliis jugulaſtis?*

V. Audiant iterum Confeſſarii Concilium Telonenſe anno 1704. celebratum, cujus prolixum teſtimonium ſupra *cap.* 4. *num.* 10. integrum reſcripſi, & nunc pauca in mentem revoco: *Cœtus Chriſtianorum corpus Myſticum dicitur, cujus Chriſtus caput eſt, & Spiritus Sanctus anima; Igitur, qui defendit Comœdiarum occupationem dignam eſſe Chriſtiana profeſſione, conſequenter docet, Chriſtum in eiſdem ſibi complacere, ſanctumque Spiritum ad exercitia hæc Chriſtianos dirigere: quod blaſphemiam ſapit. Porro, D. Paulo teſte conſcii & conſentientes, & multo magis, qui cooperantur, non ſecus, ac criminum Auctores, plectuntur. Propterea nos omnibus CONFESSARIIS mandamus, ut ABSOLUTIONEM DENEGENT iis, qui poſt correctionem nollent a Comœdiarum, Theatrorumque frequentia abſtinere*. Hæc diſciplina unice, ut mihi videtur, vera, denegandi Abſolutionem illis, qui a frequentandis Theatris a me deſcriptis non abſtinent, viget, Deo miſerente, in univerſa celeberrima Eccleſia Pariſienſi, ut teſtatur Natalis ab Alexandro *Epiſ.* 31. Revocanda ob oculos iterum ſunt Chryſoſtomi verba ex *hom.* 3. de David, & Saule. *Et quid hic, inquiunt, adeo magni ſceleris commiſſum eſt, ut ab iſtis ſacris cancellis arcendi ſint? Immo quod delictum hoc gravius quæris iſtorum, qui cum ſe ipſos plane adulterio contaminarint, impudenter, ac rabientium more canum ad ſacram menſam irruunt. Quod ſi avetis adulterii modum cognoſcere, non mea verba vobis referam, ſed illius, qui de tota hominis vita judicaturus eſt*. Qui viderit, *inquit*, mulierem ad concupiſcendam illam, jam mœchatur eam in corde ſuo Matth. 5. *Quod ſi mulier ſponte, ac forte in foro obvia, & neglectius culta ſæpenumero curioſius intuentem cæpit ipſo*

ipſo vultus aſpectu: iſti qui non ſimpliciter, neque fortuito, ſed ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi deſidentes diem in facies abjectarum feminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere, quod eas non viderint ad concupiſcendum?

VI. Oro ego, obteſtorque Confeſſarios omnes, ut ſacroſancta Jeſu Chriſti Evangelia humili animo legant, & meditentur: & continuo intelligent, cum Evangelicæ legis ſpiritu hodierna Theatra ſummopere pugnare. Mature expendant Chriſtianam profeſſionem: *Abrenuntio Satanæ & omnibus pompis ejus*. Conſulant Patres omnes, qui cum S. Cyrillo Hieroſolymitano *Catecheſ. Myſtagog.* docent. *Prima pompa Diaboli eſt: in Theatris ſpectacula, in hypodromo curſus equorum, & venationes, & reliqua omnis ejuſmodi vanitas, a qua poſtulat liberari ſanctus ille Dei.* Averte (*inquit*) oculos meos, ne videant vanitatem. *Non ergo ſis curioſus in frequentia ſpectaculorum, ubi conſpicias Mimorum petulantias* (nunc addere, & Mimarum) *omni contumelia refertas, & virorum effœminatorum choreas ſecteris.* Plurima de Confeſſariis alibi dicta ſunt.

CAPUT XXIX.

Thomæ Tamburini, Germani Buſembaum, Leonardi Colendal, Sanchez, Filliucii, Tomæ Hurtado, aliorumque opiniones, refelluntur.

I. SAtis minime eſt veritatem manifeſtaſſe, niſi ſimul errores, quibus eamdem implicare, & obſcurare non pauci ſolent, refellantur. Vix eſt aliquod Evangelicæ moralis præceptum, quod, præſertim a duobus circiter ſeculis, Caſuiſtarum aliqui detorquere, & accommodare humanis appetitionibus non attentaverint. Siquidem, cum reformare ad Evangelicam normam hominum mores haudquaquam potuerint, attemperare hominum moribus Evangelicam legem ſatagerunt non pauci rei moralis tractatores, ut ſæpe admonet Auguſtinus. Itaque, non animo Caſuiſtis detrahendi, quod abſit a me ſcelus tantum, ſed Chriſtiano zelo ſervandi lectores meos ab erroris, & ſeductionis periculo, ex plurimis paucas laxiſſimas, opinationes in medium promam, ut cavere hinc quiſque ſibi valeat. P. Thomas Tamburinus *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 7. §. 4. *num.* 18. hæc docet: *Non licet REGULARITER Hiſtrionibus repræſentare valde turpia, ex quibus moraliter ſcitur multos peccaturos: dixi REGULARITER: ſi enim tanta eſt hiſtrionis neceſſitas, ut eo lucro indigeret ad victum, vel quid ſimile, non recuſarem, ſemel, aut iterum licere (ſed ſine periculo morali ſuæ delectationis, quod cavere maxime in Hiſtrione turpium, proh quam difficile eſt) DONEC alia vivendi ratio diligenter conquirenti non aperiatur.* Regulariter Hiſtriones artis ſuæ lucro indigent, ſicut ceteri artifices, ad vitam, *vel quid ſimile*. Ergo repræſentare *valde turpia* licite valent, licet moraliter ſciant hinc *multos peccaturos*. Quoties hæc valde turpia, repræſentare queunt, unde moraliter ſciunt, multos peccaturos? Semel, & iterum. Quid, ſi poſt unam & alteram repræſentationem adhuc egerent artis ſuæ lucro? Quid tot moleſtis interrogationibus mentem torques? Repræſentare hæc valde turpia, ex quibus moraliter ſciunt, multos peccaturos, poſſunt, *donec alia vivendi ratio diligenter conquirenti aperiatur*. Teſtantur Confeſſario Hiſtriones, ſe, poſt diligentem inquiſitionem, aliam vivendi rationem reperire nequaquam poſſe. Ergo exercere artem valde turpem queunt, quoties indigent ejuſdem lucro ad vitam, *vel quid ſimile*, id eſt ad congruum ornatum, & commoda opportuna? Flagitiorum ergo mercede alere vitam Hiſtrionibus licet? Si dixerimus horricula, immo horrenda hæc eſſe laxitatis monſtra, jure ne accuſare nonnulli mollioris Ethices defenſores more ſuo poterunt, quod celeberrimo, ut ipſi ajunt, Tamburino detrahamus? Dicent me truncatum, & adulteratum produxiſſe Tamburini teſtimonium. Millies teſtatus ſum in operibus meis me promptum ad retractationem eſſe, ſi vel in apice erravi. Patefaciant ergo truncatos textus, & continuo Palinodiam cantabo, & quidem libentiſſime, quia ad id religione obſtringor.

II. Hermannus Buſembaum *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 2. *dub.* 1. 2. 8. hæc ſcribit. *Verba turpia, lectio obſcœnorum, ſpectatio comœdiarum TURPIUM, cantiones inhoneſtæ, geſtus, litteræ, dona amatoria, ſi tantum fiant ex curioſitate, vel vano ſo-*

latio, *non ſunt mortalia*. Chriſtiana Ethices hæc, an Pagana? An in Terentio, in Marco Tullio, in Plutarcho, in Seneca tam propudioſa occurrunt? Subdit tamen: *Secus tamen, ſi fiant vel animo inhoneſto, ſive venereo, vel cum periculo ruinæ ſpiritualis ſui, vel aliorum. Sanchez de matr. l. 9. d. 46. a nu. 3. Filliucius t. 30. c. 10. q. 13.* Diſtinctiuncula hæceſt laqueus imperitorum. Si cum periculo fiant ruinæ ſpiritualis ſui, vel aliorum? In dubitationem vocatur, *an lectio obſcœnorum, & ſpectatio comœdiarum turpium, & cantationes inhoneſtæ &c.* periculum ſui & aliorum inducant? *Si fiant animo inhoneſto, vel cum periculo &c.*? obſcœna ergo, & turpia honeſto animo repræſentari & ſpectari queunt? fieri ex *vano ſolatio*? Pervenuſte! Quid prodit Τὸ *vanum ſolatium* in lectione obſcœdnorum in viſione Comœdiarum turpium, in Cantationibus inhoneſtis? His diſtiuncularum fucis lues venerea obtegitur? Laxius confirmat *ibidem n. 3. & 4.* hanc ſuam opinionem P. Buſembaum. Et tametſi non de comœdia loquatur, clarius tamen exponit, & fortius ea roborat, quæ de comœdiarum inſpectione docuit, inquiens. *Oſcula, amplexus, compreſſiones manuum, & ſimilia non obſcœna, ſi fiant tantum officii, aut amoris patrii, aut amoris honeſti, vel benevolentiæ augendæ cauſſa, etiamſi delectatio venerea ſuboriatur (modo in eam non conſentiatur) non ſunt peccata. Leſſius num. 56. Filliucius n. 171.*

Si vero iſta fiant ex aliqua veniali vanitate, joco, curioſitate, levitate, petulantia, IMMO ETIAM SENSUALITATE, SIVE AFFECTU SENSUALI ac naturali (dummodo non cum delectatione venerea, nec ejus cauſſa, & ſi præter intentionem ſuboriatur, ea repulſa, ac tunc abſtinendo) venialem culpam non excedunt ut v. Filiucius, hic Leſſius num. 62. Sanchez loc. cit. Diana p. 4. t. 4. R. 36. Contrarium tamen eſt tutius. Peregregie, & ſapienter. Tutius ergo eſt ab his abſtinere? Sed *Tutioriſmum* cane pejus, & angue execrantur communiter homines. Unde quæſo arceſſita eſt diſtinctio iſthæc *affectus ſenſualis, & affectus venerei?* Unde acceptæ ſunt trutinæ iſtæ ponderandi, & ſecernendi culpam venialem a mortali, præſertim in materia adeo lubrica, & lutulenta? *oſcula, amplexus compreſſiones manuum, & ſimilia non obſcœna*, ſi fiant ex aliqua vanitate, curioſitate, petulantia, *immo etiam ſenſualitate, ſive affectu ſenſuali*, venialem culpam non excedunt, ut docent Filliucius, Leſſius, Sanchez, & Diana? Vin molliora & blandiora? ſed verius, graviuſque dicamus. Docerine ab homine Chriſtiano in hac bituminea materia laxiora & ſcandali pleniora poſſunt? Sane, niſi me meus fallat amor, horrorem præfata ingerunt, & lacrimas potius exprimunt, quam ad confutationem longiorem urgeant.

III. P. Thomas Sanchez *l. 9. de Mat. diſ. 46. num. 40.* „ Ex his infertur primo, quamvis comœdiis intereſſe non ſit mortale, ubi nec res turpes repræſentantur, nec modus repræſentandi eſt turpis, VEL SI HÆC CONCURRANT, *audiuntur ob ſolam curioſitatem*, abſque periculo probabili lapſus in aliquod peccatum mortale. At quando turpia repræſentantur, vel modus eſt turpis, audiunturque ob delectationem ex ipſis turpibus rebus inſurgentes modo expoſito nu. 38., aut cum probabili ruinæ periculo eſſe lethale. Quod ex ibi dictis conſtat. Quod ſi roges, an ſaltem Clerici in ſacris conſtituti, peccent mortaliter, ſi illis interſint ob illam ſolam curioſitatem? Reſpondeo, non peccare lethaliter ceſſante ſcandalo, quod hodie ceſſare credo, cum frequentiſſimum ſit, Clericos illis intereſſe. “

IV. P. Lucius Ferraris in Biblioth. Canonico juridica *tom. 2. V. Cleric. a. 4. nu. 17.* „ Verum ſi comœdiæ audiantur ob ſolam vanam curioſitatem, abſque probabili periculo lapſus, etiamſi res turpes repræſententur, & modus repræſentandi ſit turpis, probabilius eſt non eſſe peccatum mortale, ceſſante ſcandalo, quod modo videtur ceſſare, *quia frequentiſſimum eſt Clericis comœdiis intereſſe.* “

V. *Nimis porro* (inquit Pontifex ſummus BENEDICTUS XIV. lib. 7. de ſynod. cap. 61.) *laxa, ne dicam aperte erronea, & ſcandaloſa eſt doctrina, quam tradit Lucius Ferraris &c.* An hæc doctrina ſit illa ipſa, quam docet P. Sanchez, tu Lector judex eſto. Ceſſat ſcandalum, inquiunt, *quia frequentiſſimum eſt Clericis Comœdiis intereſſe.* Næ iſta robuſta ratio! Finge frequentiſſimum eſſe

Clericos fornicari. Ergo ceſſat ſcandalum? Scandalum inſitum eſt publicæ actioni turpi, & eidem aſſentiri propria præſentia. Inſitum eidem eſt periculum lapſus. Ergo futiles & pernicioſæ ſunt ejuſmodi præciſiones, & diſtinctiunculæ Caſuiſticæ præſertim in re venerea.

VI. P. Leonardus Colendal *in caſuum indice* adjecto *ad tom. 2. P. Claudii La-Croix verb. comœdia turpis pag. 16.* hæc habet. *Spectare comœdias turpes tantum ex curioſitate, vel levitate, PROBABILITER non eſt mortale: ſecus tamen, ſi fiant animo inhoneſto, ſive venereo, vel cum periculo ruinæ ſpiritualis l. 2. a num. 237. l. 3. pag. 1. num. 887.* P. La-Croix *cit. lib. 3. pag. 1. num.* 887. in medium producit doctrinam ſui Magiſtri Buſembaum, quam ſupra reſcripſi: nec eam refellit. Contra vero *cit. lib. 2. a nu.* 237. ſpectatores comœdiarum turpium damnat peccati mortalis: quia, ut ſuperius dixi, Theologia La-Croixiana eſt veluti Elenchus opinionum contrariarum, laxarum, & non laxarum, & quamquam interdum P. La-Croix dicat hanc eſſe altera probabiliorem, eamque amplectendam aſſeat: nihilominus, vi principiorum Probabiliſmi, quæ fuſo calamo exponit lib. 1. cuilibet licitum eſt amplecti opinionem minus probabilem; & ne repetere adverſarii mei conſuetam fabulam valeant, videlicet, me invidiam conflare La-Croixio, aliiſque Caſuiſtis, iiſdemque affingere mutilatos textus, audiant percelebrem P. EUSEBIUM AMORT qui *tom.* 1. Theologiæ ſcolaſticæ pagin. 165. hæc ſcribit.

VII. *Catalogus opinionum probabilium circa generalia morum principia ex P. La-Croix*. Et poſt indicatos alios laxarum opinionum catalogos, hæc *de P. La-Croix* ſcribit. *Novum ex P. La-Croix excerpſi ſpecimen ex ejus Theologiæ Moralis libro primo, & ſecundo circa generalia morum pincipia. Id ſuffecerit pro ſcopo præſenti ad oſtendendum ad quantas laxitates viam latiſſimam Probabiliſmus aperiat. Patebit enim ex hoc ſolo catalogo, tandem licitum fore, ſequi ferme omnes eas ſententias, quas hic Auctor in ſua Theologia Moralis, ſeu, ut quidam vocat,* HISTORIA OPINIONUM PROBABILIUM, *recenſet, tamquam probabiles, aut certe tanquam opiniones adoptatas ab auctoribus, quos ipſe in aliis locis allegat tamquam Auctores graves, idoneos ad formandum prudens judicium. Verum quidem eſt quod P. LA-CROIX ad ejuſmodi, quas recenſet, ſententias interdum addat oppoſitam ſententiam eſſe probabiliorem, aut talem, quam recenſet, opinionem ſibi non videri probabilem, vel eam alteri cuidam Auctori non videri probabilem. Sed quid proſunt in praxi ad præſcindendas innumeras laxitates ejuſmodi Clauſulæ, annotationes, ac limitationes, cum in principiis generalibus re ipſa jam indulta fuerit licentia ſequendi ſententias, etiam dubie probabiles, aut etiam tenuiter probabiles, dummodo vere Theologice probabiles ſint, aut ſententias etiam unius gravis Auctoris, dummodo rationes ab aliis Auctoribus non ſint ita enervatæ, ut nulla amplius remaneat probabilitas, ne quidem tenuis at ſaltem dubia. Hæc qui indifferenti animo attente ponderaverit, profecto advertet laxitatibus, & corruptelis in mundo nullum poſſe littus poni, niſi dicatur, quemlibet pro ſuo captu obligari ad conſiderandum directe opinionum veritatem, aut falſitatem &c.* Integrum hunc catalogum alibi dabo.

VIII. P. Thomas Hurtado *tom. 1. Var. tract. 1. cap. 5. reſol. 8. num. 65.* hæc ſcribit. *Infertur 3. quid dicendum ſit de Hiſtrionibus vulgo Comœdiantes, qui ſint in occaſione proxima peccandi, vel ipſi ſunt occaſio peccandi, an ſint abſolvendi, niſi artem hiſtrionicam relinquant. Negant Hurtado* (Alter) *ſed nihilominus S. Thomas 2. 2. quæſt. 168. art. 3. ad 3. expreſſe fatetur contrarium.* Manifeſtam calumniam Angelico Doctori impactam ſupra, & alibi penitus profligavi. Idcirco ne actum agam, pergo reſcribere laxiſſimam doctrinam P. Hurtado, qui ſic proſequitur ibi nu. 70. *Quare ars hiſtrionica ſecundum ſe non eſt illicita, ſicut nec Tabellionatus, & aliæ ſimiles, in quibus difficile quis evadit peccatum, & tamen non tenetur eam dimittere, antequam abſolvatur: ſed ſi habeant propoſitum non peccandi, & dolorem de præteritis, poſſunt ſeptuagies abſolvi. Quod enim Hiſtriones ex cohabitatione cum mulieribus ſint fere SEMPER IN OCCASIONE CONCUBINATUS, ET ADULTERIORUM, FORNICATIONUMVE: cum mulieres iſtæ fere ſemper ſint malæ, & inordinatæ vitæ, nihil obſtat, quamvis* (quo minus) *poſſint abſolvi, ſi dum ad Confeſſionem*

Sacramentalem accedunt, *habeant illa quatuor*, *quæ ſupra Navarrus*, *&* *alii requirunt*. *Cum enim Hiſtrionatus ſecundum ſe ars ſit non mala*, *immo per ſe civiliter honeſta*, *&* *licita*, *non tenetur quis eam dimittere* PROPTER OCCASIONEM PECCANDI, *quam in illa habet*, *cum ex incommodo notabili*, *quod ex ipſa dimiſſione ſequitur*, *fiat occaſio involuntaria &c.*

Num. 73. *Quæ omnia*, *ſi adverteret P. Hurtado* (*alter*) *non tam ſevere damnaret tam Hiſtriones*, *quam fere univerſam Rempublicam Hiſpanam concurrentem ad eorum Comœdias*, *&* *repræſentationes*, *quæ etſi* AMOROSÆ SINT, ET INGENIOSÆ, *referunt aliorum facta*, *ſive in* ADULTERIIS, *ſive in duellis*, *ſive in aliis materiis peccatorum*, *hæc ſolummodo fiunt relative*, *&* *hiſtorialiter*. *Quare* (ſubdit tom. 2. tract. 8. 1. 7. ſec. 1. pag. 126.) *Theologi prudentis eſt conſcientias fidelium* QUIETARE, *&* *motiva tradere*, *quibus eam viſionem exerceant ſine detrimento animæ*.

IX. Hæc ſunt nonnullorum Caſuiſtarum Theoremata, huc iſtorum vota conſpirant. *Theologi prudentis eſt conſcientias fidelium quietare*, *& motiva tradere*, *quibus eam viſionem* (ſpectaculorum) *exerceant ſine detrimento animæ*: Perturbantur ergo fidelium conſcientiæ in Theatris ſpectandis. Et ideo prudentis Theologi eſt, eas *quietare*. At quo antidoto, qua medicina *quietare* illas novi prudenteſque Theologi valent? Ecce; Debent *motiva* tradere, quibus ſpectare Hiſtriones, Mimas, & Saltatrices, in occaſione concubinatus perſiſtentes, & adulteria, aliaque obſcœna referentes *hiſtorialiter*, ſine detrimento animæ valeant. At moderni iſti, benignique Theogi efficerene queunt, ut quod peccatum eſt, peccatum non ſit? Scilicet, inquiunt: Unus Diana, ait Caramuel, ſexcenta peccata abſtulit ſuis benignis opinionibus. Habetne etiam arcanum remedium, quo impediatur, ne impotens concupiſcentia accendatur, & delectetur in obſcœnorum viſione: ne ex tot præſtigiis & oblectamentis titilletur? Sed quid ultra deridenda propino immania commenta, quæ lacrymas & luctum exprimunt, quæque horrorem ingerunt graviſſimum?

X. Miſſis itaque opinionibus iſti, earumque Auctoribus, quos omnes ſuſpicio, & veneror, eoſque recto, pioque animo ſcripſiſſe non dubito, mea intereſt fidelibus Chriſti oracula Scripturarum recordari, ut ſuo cavere periculo queant. Evangeliſtæ Matth. cap. 24. hæc prædicit: *Surgent Pſeudo Chriſti* . . . . *&* *dabunt ſigna* . . . . *ita ut inducantur in errorem*, *ſi fieri poſſit*, *etiam electi*. Princeps Apoſtolorum Petrus *Epheſ.* 2. *cap.* 2. clamat *In vobis erunt Magiſtri mendaces*, *qui introducent ſectas perditionis* . . . . *Et multi ſequentur eorum luxurias*; *per quos via veritatis blaſphemabitur*. Luxuriæ, quas deteſtandas hic S. Petrus proponit, non ſenſus tantum, ſed mentis quoque intelliguntur, juxta phraſim Eccleſiaſticam Alexandri VII. *Summam illam luxurantium ingeniorum licentiam*.

§. UNICUS.

Libelli inſcripti: In lode dell' arte Comica diſcorſo del Signor Dottor &c. *inaudita*, *&* *incredibilia commenta refelluntur*. *Eloquentiſſimi* ARISTIDIS *oratoris Pagani* oratione de comœdiis non agendis, *audax quorumdam Chriſtianorum ignorantia retunditur*.

I. CUM manum e tabula ſubduxeram, & opus iſtud ſub prælo deſudabat, ad manus pervenit meas laudatus libellus, duobus circiter foliis conſtans, & eleganti ſtylo italico exaratus in comicæ artis commendationem. Auctoris nomen ſileo, obſequii gratia, & ejuſdem in arte Medica peritiam, ceteraſque dotes, quibus claret, colo, & ſuſpicio. Sermonis dumtaxat errores Chriſtianæ profeſſioni pernicioſiſſimos refellendos ſuſcipio, iis miſſis, qui veræ ſolidæque eruditioni adverſantur, ne plus juſto ab inſtituto diſcedam. Anceps paululum hæſi, prætcrire ne, an refutare libellum hunc deberem: ſed hæſitationem depoſui continuo, ac cogitare cœpi, præfatum ſermonem ſcitulorum, & muliercularum, atque matronularum manibus teri, aptumque eſſe ad imperitorum animos faſcinandos, & ad univerſam Italiam infamandam, ſi, nemine reclamante, immunis a cenſura excurreret.

II. Hæc itaque ſcribit Auctor pag. 18. *Nè*, *come oſſerva il dottiſſimo Signor Marcheſe Maffei*, *alcuna legge ſi ritrova*, *che noti d' infamia quei*, *che recitavano Commedie*, *o Tragedie*: *ed in fatti S. Tom-*

maſo

maſo dice , che l' offizio dell' arte degli Iſtrioni , cioè preſo in queſto ſenſo di Comedianti , è ordinato per ſollevar l'animo degli uomini , che coloro che l' eſercitano dentro i debiti modi , non ſono mai in iſtato alcuno di peccato .

III. Hos duos errores valde craſſos jam ſupra labefactavimus , legibus , quæ infamiæ notam Hiſtrionibus , ſive Comœdis, & Tragœdis inurunt , adductis, & doctrinam S. Thomæ a vanis imperitorum commentis aſſeruimus . Quare non eſt, quod diutius in convellendis putidis fabellis immoremur.

IV. Pergit ibidem Auctor hæc ſcripturire . *E ſe in Francia per un RIGORISMO ECCEDENTE , per aver MAL' INTESE certe leggi , ſi pretende di non dare l' Eccleſiaſtica Sepoltura agli Attori delle Commedie ; l' invitta , e glorioſa Nazione Brittanica , non ha avuto difficoltà di far ſeppellire ſolennemente in Londra nella Cattedrale di Weſtminſter , Chieſa dove ſi coronano , e dove ſi ſeppelliſcono i loro Re, la valoroſa , e ricchiſſima , non meno , che BELLA loro Attrice Madamigella d' Oldfield , rendendole in morte per poco i medeſimi onori , che poc' anzi renduti aveano all' immortale loro Filoſofo Nevvton .*

V. Quot verba , tot deliria, totque blaſphemiæ , & temeritatis indicia. Quis unquam in animum ſibi induxiſſet , ut crederet, Italum, & Catholicum hominem non omnino inſanum , potuiſſe talia ſcribillare , niſi eadem publicis typis conſignata legeret? Quid? Homo Medicus in ſacram Eccleſiæ Gallicanæ Diſciplinam virgam ſuam cenſoriam extendere non reformidat, eumque non pudet ? Univerſa Eccleſia Gallicana leges ab utroque Foro , & ſacro , & civili latas adverſus Hiſtriones ignorat? In nimii Rigoriſmi extremum prolapſa eſt . Quid quæſo , artis comicæ laudator , produnt voces iſtæ : *Rigoriſmus , & laxiſmus*? Sed horrendiora ſub examen veniant . Ab Eccleſia Gallicana ad Londinenſem Synagogam cauſſam appellat Catholicus homo , homo inquam? Viliſſimam mulierum *Oldfield* ſtrenuam , ditiſſimam , æque ac venuſtam , principemque feminam vocitat, Regioque ſepulcro donatam repræſentat vir Chriſtianus? Honores tributos huic meretriculæ narrat quoque *Voltaire* epiſt. 23.

VI. Subdit pag. 23. *Anzi quello , che ci dovrebbe maggiormente ſtimolare a coltivare l' arte comica , e ad onorare i Comedianti* (Derelinquat ergo ille artem medicam , & comicam excolat) *è , che la principal porta di queſta Città , ed una buona parte della Città noſtra , che è fuoci di eſſa Porta , prende il nome di S. GENESIO glorioſo Martire di Gesù Criſto , il quale era Iſtrione , o Comediante , che dir vogliamo , e che in Teatro confeſſando pubblicamente con grandezza d' animo la vera fede di Gesù Criſto , volle morire ; onde per Protettore delle perſone da Teatro , come uno della loro arte , è ſtato preſo .*

VII. Hoc unum ad criminis complementum deerat , ut poſt impactam Eccleſiæ Gallicanæ ſævi rigoriſmi calumniam , illamque Anglicanæ Synagogæ poſtpoſitam , in Sanctos quoque Martyres cum Deo regnantes blaſphemias evomeret. *S. Geneſius* Paganicæ ſuperſtitionis caligine obcæcatus Hiſtrionem egit. At Chriſti fidem profeſſus infamem artem execratus eſt , & flagitia in eadem patrata Martyrio expiavit . Et in præſens Hiſtrionum , & artis comicæ defenſor aſſeritur Sanctus Martyr? Eccleſiam Chriſti perſequutus eſt ſanctiſſimus Apoſtolus Paulus . Ergo perſequentibus Chriſtum Paulus præſidium impertiet ? Ergo furum & graſſatorum , ut proſpero ſucceſſu furentur , patronus erit Sanctus Latro ad Chriſti latus Crucifixus ? Tam horrenda impietatis monſtra typis publicis , & nemine reclamante , in Italia evulgantur ?

VIII. Finem ſermonis his verbis imponit pag. 24. *Ma in fine a voi rivolto , valoroſa Fanciulla Signora Antonia Cavallucci , giacchè in grazia voſtra , piucchè per altra coſa , queſto mio debole , o qualunque ſiaſi ſermone in commendazione dell' arte Comica ho compoſto , dico , che molto obligo debbe avere a Voi la Città noſtra , perchè colla voſtra gentilezza , e grazia avete quaſi per un mezz' anno ſulle Scene rallegrati oneſtamente gli animi de' noſtri Cittadini , moſtrandovi in ciò degna figliuola di Bartolomeo Cavallucci , che in Roma un altro Roſcio de' noſtri tempi ſu Teatri era riputato , e che avete di quà col Canto , non ſolamente ſulle ſcene , ma anche per moltiſſimiſſime Accademie di Nobili Cittadini di queſta Città fatto conoſcere*

ſcere il valor voſtro, un belliſſimo Prologo in iſpecie cantando in lode di queſte noſtre Dame: e benchè per tutte queſte voſtre glorioſe fatiche abbiate avute molte maldicenze, e perſecuzioni dall' invidia de' malevoli eccitatevi; premio ora ſolito a concederſi per la durezza dei tempi alle perſone di merito, e di abilità, con tutto ciò della ſola virtù voſtra dovete eſſer contenta, ricordandovi, che premio non piccolo ſarà l' eſſere ſtata riconoſciuta ed in parte anche, dirò così, ricompenſata da chi meglio d' ogni altro in queſta Città la virtù ed il valore dell' animo voſtro poteva riconoſcere.

IX. Dignum ſane tanto Scriptore argumentum, & tam ſtrenuus valor, & heroica virtus non alium poſtulabat laudatorem. Is quippe, ſeipſo teſte, omnibus ſuis civibus præſtantior, longius penetrat, & perſonarum, Scenicarum nempe, merita & virtutes exquiſitius comprehendit, & exactius ponderat. Mortalium nemo tantam gloriam, tantaſque laudes ei invidebit. Mirum, quod puellam tot præclaris donis præditam alicui Patriciorum non curaverit maritandam! Plures Italiæ noſtræ Nobiles familiæ lamentantur, & lugent, quod ſui juvenes, ut alias dixi, ſimilium Cantatricium præſtigiis faſcinati, & Saltatricium veneficio dementati patrimonium, & corporis, nedum animæ ſanitatem prodigant, & non raro ad perpetuam familiarum ignominiam, & dedecus has putidulas meretriculas uxores ducant. Verum immerito conqueruntur, niſi libellum hunc, alioſque ſimiles omni ſtudio comburi ſtudeant. Dolent viri Nobiles publicæ honeſtatis, & Virginum cuſtodes, cum vident filios ſuos harum Sirenarum amore captos pecunias dilapidare, & vino proſtitutionis ebrios in earumdem ſinum penitus ſeſe demergere. Dolent, dum intuentur & uxores proprii ſtatus oblitas procaciores effectas, ingenuaſque puellas pudore, & verecundia prorſus exutas. At omnes iſtæ, & iſti aliquam ſibi concilient excuſationem, commiſerationemque, ſi tot illecebris, & faſciniis excantati venereæ voluptatis mancipia evadant, cum reipſa ſpectent hæc omnia impune fieri, & libellos legant, in quibus ejuſmodi venefícia peſtifera magnificis laudibus, nemine obſiſtente, extolluntur. Verum enim vero nullam allegare excuſationem Civitatum Nobiles Præfecti valent, ſi conſcii facti ejuſmodi libellos in comicæ artis, Hiſtrionum, & Mimarum commendationem editos, exterminare omni ſtudio, & vigilantia non conantur. Serio quæſo perpendantur ſequentia verba pag. 23. *Noi altri Rimineſi in fine dovremmo anche più degl' altri l' Arte Comica COLTIVARE, ed averne IN ONORE GLI ATTORI di eſſa, e ſpezialmente quegli, che ſoſtengono le parti principali, giacchè ſiamo molto vicini a Sarſina, dove nacque, e dove fiorì Plauto, Padre dell' Italica Commedia &c. Anzi quello che ci dovrebbe maggiormente STIMOLARE A COLTIVARE l' Arte Comica, e ad ONORARE I COMMEDIANTI, e gli ISTRIONI &c.* Proh pudor, ſceluſque inauditum? Juvenes & puellæ in primis natura ſua ad hæc venefica ſpectacula pronæ ſunt. Cum ſe urgeri, libellis editis, ad hæc excolenda, & ad honorandos, ſuſpiciendoſque Mimos, & expudoratas Mimas ſentiunt, quo impetu non abripientur erga ejuſmodi Cantatrices, & Saltatrices? Quis imponere iiſdem fræna poterit? Unicum rei domeſticæ curandæ ſtudium, & civilis regiminis ſervandæ formæ debitum permovere ſupremas poteſtates debet ad tam pravarum opinionum corruptelam & tam impotentem ſeductionem cohibendam, Huc malorum prolabuntur Antiquarii & profanæ eruditionis nonnulli cultores, dum interpretari Chriſti Evangelium, quod penitus ignorant, non dubitant. In non minores lapſus inciderem ipſe, ſi ſcribere de arte medica, de re nummaria vellem: quia nec ſutor ultra crepidam. Nullus dubito, quin iſti artis comicæ laudatores retractaturi ſint, quæ hoc de argumento ſcripſere, ſi Chriſtianam Profeſſionem a ſe in Baptiſmate emiſſam mature fuerint meditati. Quod de homine comico ad ſacros ordines promoto vi diſpenſationis Pontificiæ narrat Auctor, ut hinc colligat, artem comicam non eſſe infamiæ labe aſperſam, ejuſdem inſcitiam patefacit. Diſpenſationis privilegiò indiguit Comœdus? Cur quæſo? Quia infamiæ impedimento laborabat. Pudere debuiſſet eruditum virum propriæ exiſtimationi detrimentum inferre, ut Mimos, & Mimas ab infamiæ nota, quam eiſdem univerſus & Paganus, & Chriſtianus Orbis inuſſit, liberaret.

X. Ve-

X. Verum, ut pleniore ſuffundantur pudore non pauci Chriſtiani, qui honeſtare comœdias non verentur, eaſque inventas eſſe ajunt ad mores corrigendos, lubet in medium adducere Ethnici ARISTIDIS, omnium ſui ævi oratorum eloquentiſſimi, auctoritatem. Nec dubito, quin pluris facienda ſit penes artis comicæ laudatorem, aliosque Antiquarios unius Pagani ſevera Comœdiarum oppugnatio, quam univerſæ Gallicanæ Eccleſiæ Diſciplina, a qua temere ad Londinenſem appellatum fuit. Ariſtidis *Oratio de non agendis comœdiis* habetur *t.* I. *oper. Ariſt.* editionis Oxonienſis an. 1722. p. 504. Hoc autem pacto inquit.

XI. „ Multum ſane ad perſuadendum „ intereſt Smirnei, ſi illis, qui audiunt; „ eſt jucunda oratio. Qui autem ad mo„ nendum accedunt, eorum non modo „ conſiliis plerique non utuntur facile, „ ſed eos ne dicere quidem omnino pa„ tiuntur &c.“. Præmiſſo longiore exordio, exponit ſuæ orationis argumentum, quod eſt ejuſmodi.

XII. „ Hoc igitur dico, Bacchi qui„ dem ferias celebrare, atque etiam Ve„ neris, aliorumque Deorum omnium, „ idque libantes, ſacrificantes, pœana ca„ nentes, coronas ferentes, & nihil de„ nique, quod ad cultum Deorum perti„ neat, omittentes. Unum autem illud „ cum his eſt conjunctum, quodque ut „ multitudini gratum eſt quodammodo, „ ita probis omnium eſt moleſtiſſimum, „ abolere nempe calumnias & COMŒ„ DIAS iſtas tum diurnas, tum etiam „ nocturnas, earumque nec auctores eſſe, „ nec actores, neque ea, quæ inhoneſta „ ſint, in ſcenam proferre. Sic enim, „ ut dicam, ſe res habet. Si quis invi„ tus audit maledicta, id ei gratum non „ eſt: ſin libens, malignitati aſſueſcit, „ quod eſt nequitiæ principium, nec vel „ privati cujuſquam, vel etiam civitatis „ totius crimen eſſe majus poſſit, quam „ ſi malis gaudeat. Etenim *invidia*, *quæ* „ *ſupremum in humanis delictis obtinet* „ *locum*, nec ullam meretur veniam, „ corripi, eamque in ſe ipſo augere opor„ tet eum, quicumque talium rerum de„ ſiderio tenetur . . . . Quod autem „ poteſt eſſe majus noſtræ erga Deos ob„ ſervantiæ indicium, quam ſi nihil in„ decorum nec dicamus coram ipſis, nec „ audiamus? Niſi forte amico, quem re„ vereamur, præſente, multum de ali„ quo, quamvis probe merito, ſuperſe„ debimus male loqui; Deorum adhibitis „ auribus, ea partim dicemus, partim „ audiemus, facile, quæ ne ipſi quidem „ honeſta dicamus eſſe, verum potius ut „ turpia ſugillemus. *Atque ut intelliga*„ *tis nihil ME NOVI dicere*, ſed quæ „ jam olim & legibus, & moribus pu„ blicis conſtituta ſint, conſiderate præ„ cones, qui conventibus publicis primo „ quoque verbo linguis favere jubent: „ conſiderate etiam Sacerdotes, eoſque qui „ ſacrificantibus nobis auſpicantur: con„ ſiderate denique voſmetipſos, qui po„ tiſſimam hujus rei curam in precibus „ veſtris geritis. Abſurdum ſane ſit, „ fauſta quidem verba, tum optima „ omnium, tum ſacris maxime congrua „ ducere, tamen maledicentibus interim „ impunitatem concedere, & in ſacrifi„ ciis quidem modeſtiſſime nos gerere, „ coram iis autem, quibus ſacra facimus, „ Diis, hoc prætextu turpiſſima quæquæ „ cum audire, tum dicere, eoſdemque „ & maledicta ferre graviter, & eorum „ præſides proponi. Atqui, ſi quidem „ hoc gratum Diis putamus eſſe; nobis „ ipſi contradicimus, quandoquidem ad „ Deos accedamus a talibus rebus abſti„ nentes omnino: Sin hoc illi diſplice„ re cum ſciamus, eo tamen gaudemus, „ quo modo pii ſimus, aut iis nobis re„ bus Deos demeremur, quas ipſorum „ cauſa fugere debebamus? . . . . Jam „ vero pueros tum in Schola, tum domi „ bona jubemus verba dicere, docentes „ eos, quæ factu turpia ſunt, (N. B.) „ *ea nec honeſte dici poſſe*: rurſum pue„ ros eoſdem una cum mulieribus & „ omni ætate in unum congregantes lo„ cum, maledictorum præmia proponi„ mus, eoſque, qui in ea re excellue„ rint, egregie remuneramur. Quæ au„ tem, ſi qui vel feciſſent, vel per„ peſſi fuiſſent, iis non liceret ultra lu„ ſtrale labellum progredi, ea mediis in „ ſacris canimus, & mactare quidem, „ quæ non oportet, impium dicimus: „ quo autem non decet honore ſi Deos „ proſequamur, in pietate ponimus, cum„ que in rebus aliis decorum obſervemus „ diligenter, hic quamvis turpitudinem „ libenter & oculis, & auribus excipi„ mus. Si denique unus aliquis de choro „ male canat, exſibilatur: ſin totus inepte

„ ca-

„ canat chorus, id magni facimus. Ac ſi „ quidem alius nobis ita maledicat, iraſcimur; cum nobis ipſi maledicimus, verum nos feſtum diem agere credimus: adeo ſumus & Diis, & nobiſmetipſis maxime contrarii. “

XII. Heinc colligito, quam craſſa laborent inſcitia prophanæ antiquitatis cultores illi, qui ſcribillant, Patres Theatrorum frequentiam Chriſtianis interdixiſſe, quod eſſent Diis dicata, ſecus ob turpitudinis, & vitiorum repræſentationem, cum vel ipſi Pagani Philoſophi, & Oratores arcere a Theatris populum ethnicum enitebantur, quod eſſent & Diis deteſtabilia, & morum honeſtati perniciofa. *Ariſtides* ſibi opponit perridiculum illud comentum, quod etiam obtrudere hodierni viri Theatrales ſolent, Comœdiam nempe eo ſpectare, ut mores corrigat. Et hoc eſt, quod ſæpe inculcat artis comicæ præco noviſſimus in ſuo laudato ſermone, ubi *pag.* 6. hæc ſcribit. *La commedia fu impiegata per imitare, e per corregere i coſtumi*. Hoc idem repetit pag. 20. *Ma nella commedia, il cui fine è principalmente d' eccitare il riſo, e d' imitare i coſtumi degli uomini peggiori, e di correggerli piacevolmente &c.* Quoniam Hiſtrionum præco audire Patres, & Eccleſiam ipſam refugit, audiat, & cum eodem auſcultent ceteri commilitones Theatrales Paganum *Ariſtidem* illos objurgantem, qui poſt laudata verba, hæc continuo adjicit.

XIII. *Verumtamen AUDENT AFFIRMARE QUIDAM, utilem eſſe iſtam in Theatro maledicendi licentiam, quod ita, & qui male vixerint, redarguantur, & reliqui maledictorum metu modeſtius ſe ſe gerant. Ego vero magni admodum facerem Ebrietatem, ſi quemquam erudire poſſet, nec eſſet hoc factu difficillimum, ut ebrii ad temperantiam alios inducerent, & antequam ceſſaſſent ipſi, reliquis de virtute præciperent: Quis enim neſcit, primum a vulgo hæc doceri non poſſe, non magis quam leges condi, aut ſententias ferri? An vero Corinthum non quis navigabit, vita tota quomodo degenda ſit, omnes intelligent, & iſtis præerunt omnes gubernaculis, huc, & illuc juventutem, prout ipſis videbitur, deducentes? Cumque athletarum delectus habeamus, ut ſi quis eorum ſit imperitus, is cum pœnas dederit, ignominioſe diſcedat: cur quæſo rerum graviſſimarum Duces, & Magiſtros ex Taberna qualibet leviſſimos quoſque tam inepte deligemus, & ita nos geremus, ut ipſi quoque Magiſtris indigere videamur? Si porro janitoribus non quibuſvis, ſed fidiſſimis utimur, ne quid in ædibus faciamus detrimenti: liberos ne obſecro, & uxores, omniaque ſupplementa, & uno dicam verbo, florem civitatis ultro cuilibet regendum trademus; quoſque ſobrios contempſimus, iis ebriis credemus? Quid quod non ſint iſta docendi, verum ludendi tempora, ſive Dionyſia ſint, ſive Samia ſacra, & nocturna. Abſurdum ſit igitur, ſi, quo tempore pueros iis, quos habent, Magiſtris liberamus, eo ineptiſſimos quoſque, & ſemetipſos ingerentes illis præficiamus, nec vel e loco quidem ipſo animadvertamus, quam ridiculum ſit hoc inſtitutum. Nec enim convenit præceptorem in Theatris docere pueros, quæ voluptati ſunt, & recreationi deſtinata. Sed alia ſunt utique loca, quæ nomen a re ipſa ducunt, in quibus doceant Philoſophi: idque non hoc modo ſubſannando, & impudenter maledicendo, verum, ut liberos decet, inſtituendo, utque inter cetera turpitudinem* (N. B.) *caveant maxime, docendo....*

XIV. Aures arrigite artis comicæ Præcones inclyti, animum ad *Ariſtidem* rurſus intenditote. Hoc enim pacto, poſt aliorum deſcriptionem malorum, quæ juvenes; & ceteri ex comœdiarum aſpectu ſubeunt, ſuam perſequitur orationem. *Itaque tantum abeſt, ut juventutis emendandæ gratia COMŒDIÆ ſint agendæ, ut potius vel hac ſola de cauſa, quo liceat juventuti ſecure virtutem colere, ſint abolendæ. Etenim improbos etiam alia ratione punire poſſumus: probos vero, cur tali afficiamus injuria, & quibuſne litis quidem formulam decebat intendere, eos impune ſinamus cujuſvis contumeliis divexari? Huc porro ſi illud accedat, quod etiam boni fere malunt pecuniæ, quam famæ jacturam facere, idque eo magis, quo ſunt natura verecundiores; manifeſta prorſus erit Comœdiæ importunitas, ejuſque abolendæ neceſſitas.... Præterea fieri vix poteſt, ut non exiſtimationem privatorum publice participet Civitas. Quales enim ſunt plerique, qui taxantur in Comœdiis, tales fere dicuntur omnes. Conſide-*

ſiderate vero Majores veſtros ATHENIENSES, quos reliqua quidem Scriptorum monumenta multis exornant laudibus, UNA LACERAVIT COMŒDIA, iiſque, qui ſtudent maledicere, adhuc argumenta ſuppeditat, quandoquidem a ſeſe ipſi convincuntur. Et quantum quidem terra atque Dii, inter hodiernam interſit, & antiquam impudentiam, quantaque in iis, quas Parabaſes vocabant, admonitionum, & præceptorum utilium comprehenſa fuerit copia, mitto dicere. Verumtamen, ut habet proverbium, ex digno ligno vel pati jucundum erat, ſi cui forte contingeret: ubi vero vel tanta conſpicitur, & in verbis nequitia, & in canticis impudicitia, & in geſtibus turpitudo, vitiaque horum tanta, quanta nulla poſſit (N. B.) *exprimere comœdia, quid erit, quod nos delectet? Utrum hæc, ut honeſta patiemini? Nihil eſt turpius. An, ut utilia viſu, vel auditu? Corruptelæ ſigna ſunt. Simulate enim aſſueverit aliquis, tam vir, quam mulier, male audire, & peſſimu ferre convitia, mox remittit animum, & nequitiam, quamvis ante ignotam, tum diſcit. Quid quod nil horum ad Bacchum pertinet? &c.*

XV. Conferant nunc velim probi moratique lectores cum *Ariſtidis* oratione, quæ ſcribunt ætate noſtra illi, qui nuncupari ambiunt Chriſtiani. Quid (proh Deum immortalem!) mirum ſi vel ipſa impietas triumphans diſcurrat, ſi impune Chriſtianorum aliqui in hac ipſa Italia noſtra, ut honeſta, ut laude digna audaciſſime propugnare non reformidant, quæ ut turpia, quæ ut infamia omni argumentorum genere Scriptores Ethnici deteſtantur? Jactabat Paganorum vulgus Comœdiarum honeſtatem, quemadmodum & erudituli hodierni: at inclamat Ariſtides. *Quæ factu turpia ſunt, ea nec modeſte dici poſſunt*. Comœdiarum autem facta, quæ referuntur turpia eſſe vel vitioſa, nemo, niſi fatuus negaverit. Apponebant Ethnici Comœdia mores corrigi. Verum *Ariſtides* hoc ineptiſſimum commentum, & vanum delirium deridendum ſalſe propinat. Honorari Deus Comœdia muſſitabant pagani. Contra *Ariſtides* indignam Diis, indignam viris probis Comœdiam evincit. Abeant igitur hodierni Comœdiarum præcones leviculi, ſcriptiunculas ſuas honeſto philoſopho, viro Chriſtiano, Italia noſtra indigniſſimas, diris devoveant, & ſeveram peragant pœnitentiam, ſi aſſequi, ut adprecor, ſalutem velint æternam.

CAPUT ULTIMUM.

Univerſæ Diſſertationis anacephaleoſis: paucis perſtringuntur Patrum SS. reſponſa ad ea omnia, quæ Theatrorum defenſores opponunt.

I. HOdiernæ Comœdiæ, omnibus ſpectatis, turpes & obſcœnæ, aut verborum, aut rei repræſentatæ, aut geſtuum, chorearumqoe, aut fornicatorii cantus, & meretriciæ muſicæ ratione ſunt. Feminæ paganæ, quæ ſcorta non erant, ab antiquis Romanorum Theatris communiter aberant. Chriſtianæ, quæ in ſcenam prodeunt, magna ex parte meretriculæ expudoratæ, infames, baptiſmalis profeſſionis violatrices, profligati pudoris fontes, lupanariorum purgamenta, & Diaboli mancipia, a Sacramentis Eccleſiæ arceri prorſus debent. Theatra ejuſmodi caſtra ſunt, in quibus mundus, caro, & Dæmones, non unum ſenſum, non unam virtutem, non unum præceptum, ſed omnes humanos ſenſus, & affectus excantant, demulcent, irritant; univerſas virtutes pœnitentiam, humilitatem, paupertatem, caſtitatem, modeſtiam expugnant, deridendas atque contemnendas perſuadent: graviora flagitia ſuperbiam, ambitionem, vindictam, prodigalitatem, laſciviam, triumphabunda extollunt; Evangelio Chriſti univerſale bellum intentant, & ipſum divinæ legis ſpiritum exſtinguere omni virium conatu adnituntur.

II. Nihil Chriſtianis licitum, quod referri in Dei gloriam nequeat. Num Deum glorificant, qui cum Dei hoſtibus, mundo, carne, & Diabolo, fœdere inito, contra Deum præliantur bellum Diaboli? Qui ejuratas pompas, & vanitates reſumunt? Qui ſacrarium veneris, gymnaſia vitiorum, Congregationem ſatanicam, peſtilentiæ cathedram, nempe Theatra, ut Patres omnes docent, frequentant?

III. Neque ipſi ſcenicæ voluptatis amatores inficiari audent, cum Evangelica profeſſione, cujus ſpiritus eſt comprimere ſenſus noſtros, frænare concupiſcentiam,

affligere carnem, abſtinere a pompis, & vanitate, pugnare Theatrales ſcenas, quarum conatus & ſtudia directe eo tendunt, ut ſenſibus blandiantur, ut concupiſcentiam accendant, & voluptatem carnalem animis ſenſim inſtillent. At negant pugnam hanc eſſe mortiferam, & lethaliter peccare, qui Theatra adeunt. Verum turpiter falluntur, & fallunt.

IV. Qui ſponte in grave periculum peccati mortalis ſe conjiciunt, mortifere peccant. Theatris hodiernis periculum grave & graviſſimum ineſt delectationis venereæ, quæ, nemine diſſentiente, peccatum mortale eſt. Periculi gravitatem teſtantur uno ore omnes viri ſancti: ergo omnes, qui ſe huic periculo libere ſupponunt, lethali culpa polluuntur. Et eo eſt periculum iſtud gravius, quod frequenter venenum iſtud cor inficit, quin mens advertat: ſed ipſa voluntaria periculi ſuſceptio crimen eſt, tametſi lapſus per accidens non ſequatur. Præterea: maneat intaminata caſtitas, illæſus animus ab impudicitia qualibet, nemo, qui illic convenit evitare graviſſimum ſcandali crimen poteſt. Peccata Mimorum, & Mimarum, quæ certo mortalia ſunt, & cetera ſpectatorum flagitia, in cujuſcumque adſtantis caput revolvuntur. Huc recidunt omnia, quæ fuſius expoſita hactenus hac in Diſſertatione ſunt.

V. SS. Eccleſiæ Patres doctrinam hactenus traditam ad Theatralem corruptelam profligandam ſemper adhibuerunt. Prætextus, excuſationeſque omnes, quæ hodie ad honeſtandam voluptatem Theatricam obtruduntur, a Patribus omnia convulſa reperies. Nihil prorſus hodie in Theatrorum præſidium adducitur, quod non fuerit a Patribus præoccupatum, atque contritum, ut fuſius oſtenſum eſt ſupra, & paucis nunc manifeſtabo.

VI. Ubinam Scripturæ divinæ Theatra prohibent frequentari, crocitabant olim, quemadmodum & in præſens? Reſpondet Tertullianus *lib. ſpec. cap.* 2. inquiens. *Quam vana, imo deſperata argumentatio eorum, qui ſine dubio tergiverſationem admittendæ voluptatis oſtendunt. Nullam ejus abſtinentiæ mentionem ſpecialiter, vel localiter in Scripturis determinari, quæ directe prohibeant ejuſmodi conventibus intereſſe ſervum Dei.* Audiant nunc homines vaniloqui Scripturarum teſtimonia. *Nolite* (inquit S. Joan. epiſ. 1. c. 2.) *diligere mundum, neque ea, quæ in Mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo: quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Audiant Paulum *Epheſ.* 5. clamantem: *omnis immunditia ... nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Et rurſus 1. *Theſſ.* 5. ſubdit: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Sigillatim Scriptura Theatra non prohibet, quia cum datæ Scripturæ fuerunt, nondum tanta fideles laborabant inſania, reſpondet *lib. de Spect.* S. Cyprianus, *Ubi inquiunt, ſcripta ſunt iſta?* Audi reſponſum. *Veritas ſi ad hæc uſque deſcenderet, peſſime de Fidelibus ſuis ſenſiſſet. Nam & plerumque in præceptis quædam utilius darentur .... Præceptorum loco ſeveritas loquitur, & ratio docet, quæ ſcriptura conticuit. Secum tantummodo unuſquiſque deliberet, & cum perſona profeſſionis ſuæ loquatur.*

VII. Unde ergo contingit, ut viri docti & probi honeſtam reputent Theatrorum frequentiam? Ex amore conciliandi ſibi ampliores turbas, hominibuſque placendi, & mundo, reponit *lib. de ſpec.* Cyprianus. *Non deſunt vitiorum aſſertores Blandi & Indulgentes Patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem ... quaſi ſicut innocens ſpectaculorum ad remiſſionem animi appetatur voluptas. Nam eo uſque enervatus eſt Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorum præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur.* Quæ tonitrua non adderet, quæ eloquentiæ tela non jacularetur ſanctiſſimus Chriſti Martyr in non paucos Caſuiſtas, vanoſque ſciolos, qui ſcilicet theatricis vitiis auctoritatem præbent? S. Joannes Chryſoſtomus *homil. 6. in 2. Matt.* hanc oppoſitionem expendens lacrymis eam deflet: *Propterea gemo, quod tam grande malum hoc, malum eſſe non creditur.* Et rurſus *homil. 6. de pœnit.* Subdit: *Igitur id vel peſſimum eſt malum, cum quis infirmatur, neque id ipſum, quod infirmatur, novit, & miſere ardens, & ærumnoſe, non ſentit incendium.* Dolet iterum loco citato in Matthæum, quod *inde applaudent magis, unde Mimos lapidibus exagitare debuerant*.

VIII. Denuo reſpondent Theatrica voluptate capti homines, ſe adeo excel-

ſo

ſo animo eſſe, ut nullam ex comœdiarum repræſentationibus impreſſionem, nullam patiantur commotionem. Iſti uſquequaque ulcerati, vulnera, mortifera licet, non ſentiunt. Qui ita loquuntur quum plerumque provecti ſint ac maturæ ætatis, propriæ ſecuritatis falſa oſtentatione ad frequentanda Theatra juniores, proprios quoque filios inducunt. Hos *lib. de ſpect. cap.* 15. acriter vellicat, & ut inſanos Tertullianus deridet. *Nam etſi quis modeſte, & probe ſpectaculis fruitur pro dignitatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt, ſine tacita* (N. B. conſenſus interpretativus ſcolaſtic.) *ſpiritus paſſione: Nemo ad voluptatem venit ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. . . . Ceterum ſi ceſſat affectus, nulla eſt voluptas: & eſt reus jam ille vanitatis, eo conveniens* (N. B.) *ubi nihil conſequitur.* Stultitiæ ipſos arguit Tertullianus.

IX. Non minus fortiter, atque prævalide iſtos thraſones redarguit *homil.* 1. *in pſal.* 50. *de David* Chryſoſtomus: *Cum tot præcipitia ſint, tot corruptelæ, quomodo credere queam, te a ferarum morſibus eſſe immunem? Num tu ſaxum es? Num ferrum? Homo es communi naturæ imbecillitati obnoxius. Ignem cernis, nec ureris? An hoc iſtud rationi conſentaneum eſt? Lucernam in fœnum pone, ac tum aude negare, quod fœnum exuratur: Quod porro fœnum eſt, hoc noſtra natura eſt.* Verum iſtos mendaces Caſtitatis jactatores per aliud latus *homil.* 38. *in Matth.* aggreditur, eoſque ita revincit, & pudore ſuffundit, ut, vel ſi rumpantur, nulla ad effugium rima pateat. Opponit ſibi illorum oſtentam animi puritatem his verbis. *Quid ergo, ſi oſtendam, inquis, nihil damni ex hac frequentia emergere? Certe vel hoc ipſum damnum eſt, ſine cauſa* (N. B.) *ac temere tempus inſumere, & aliis offendiculo eſſe. Nam ſi tu damnum non patiaris, alium hujus ſpectaculi ſtudioſorem reddis. Quomodo autem damnum non patiaris, qui præbes his ſpectaculis occaſionem? Nam præſtigiator, corruptus puer, fornicaria mulier, omneſque illi Diabolici Chori in CAPUT TUUM cauſam ſpectaculorum regerunt. Quemadmodum enim ſi ſpectatores non eſſent, nec eſſent qui ejuſmodi ludos exhiberent, ſic quia ſpectatores ſunt, & ipſi geſtarum ignem patiuntur. Itaque licet ſine caſtitatis* (N. B.) *diſpendio id ageres, id quod certe fieri nequit, aliorum tamen perniciei graves dabis pœnas, ſive ſpectantium, ſive ſpectacula edentium.* Nullum poſt hæc effugium ſupereſt Theatrorum defenſoribus. Alterutrum ergo: Aut a Theatris abſtineant: aut ſciant, Theatra frequentando, in æternam damnationem ſe præcipites dare.

X. Ultimo inclamant: Nullone ſolatio relevandus animus eſt, inſtaurandæ corporum vires? Continuone labore & cultu vitam inſumemus? Abſit. Plurima & jucunda gaudiorum ſpectacula Deus creavit. Meditare illa & gaudebis. Omnes Patres, ſed in primis Cyprianus, & Tertullianus, deridendos mirifice exhibent cæcos iſtos, & inſanientes Mundi, & Dæmonum aſſeclas, qui ſolis fictis fabulis, & humanis chimæris, & Diaboli præſtigiis paſci, lætari, ingurgitari, & ſaginari avent, & ſolidiſſima veri gaudii, & lætitiæ argumenta faſtidiunt, reſpuuntque: noſque ipſos odio habent, quod veras voluptates, & honeſtiſſimam illis oblectandi materiam exhibeamus: ſed loquatur *Apolog.* 38. Tertullianus. *Quo vos offendimus ſi alias præſumimus voluptates? Si oblectari noviſſe nolumus, noſtra injuria eſt, non veſtra. Sed reprobamus quæ placent vobis, nec vos noſtra delectant.* Sed vehementius eos perſtringit *de ſpect. c.* 28. & *ſeq.* patefaciens, illos hoc in exilio oblectari, nos in futuro, ut Chriſtus prædixit: *Mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Joan.* 16. Utrumque gaudium ut quis aſſequatur fieri nequit: Alterutrum repudietur, oportet. Viri Theatrales mundano, & diabolico gaudio in præſenti exilio frui malunt, quam futurum expectare. Sed loquatur Tertullianus. *Saginentur ejuſmodi dulcibus convivæ ſui: & loca & tempora, & imitator ipſorum eſt. Noſtræ cœnæ, noſtræ nuptiæ, nondum ſunt. Non poſſumus cum illis diſcumbere, quia nec illi nobiſcum. Vicibus diſpoſita res eſt. Nunc illi lætantur, non conflictamur . . . Delicatus es, Chriſtiane, ſi & in ſeculo voluptatem concupiſcis: imo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem . . . Dicas velim: non poſſumus vivere ſine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quid*

eſt aliud votum noſtrum, quam quod & Apoſtoli: exire de ſoc ſeculo, & recipi ad Dominum? Hic voluptas, ubi & votum. Hæc recogitent, hæc ruminent, hæc deglutiant, initiati myſteriis mundanæ vanitatis. Audiant *homil. 6. in Matth.* Chryſoſtomum: *Non Deus dat ludere, ſed Diabolus . . . Dei ſiquidem eſt* (N. B.) *humiliatam dare animam, trementem, preſſam, pudicam, pœnitentem, atque compunctam*. Et ibidem paulo ante: *Pro tantis peccatis pœnas daturus, ſecurus tui ſedes, miſerabili riſui, lugendiſque facetiis indulgens, & de ſola voluptate ſollicitus?*

XI. Audiant iterum Martyrem Cyprianum de ſpectaculis. *Numquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe recognoverit Filium Dei. Dejicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid præter Dominum poteſt. Scripturis Sacris incumbat Chriſtianus Fidelis, & ibi inveniet condigna fidei ſpectacula. Videbit inſtituentem Deum Mundum ſuum . . juſta naufragia . . . Maria populo ſiccata . . . . ſpectabit de Cælo deſcendentes meſſes. Videbit in quibuſdam fidem cum igne luctantem, feras Religione ſuperatas . . . Quam hoc decorum ſpectaculum, quam jucundum, quam neceſſarium? Intueri ſemper ſpem ſuam, & oculos aperire ad ſalutem ſuam. Hoc eſt ſpectaculum, quod videtur etiam luminibus amiſſis. Hoc eſt ſpectaculum, quod non exhibet Prætor, aut Conſul*.

XII. Audiant tandem Sanctum Auguſtinum, qui *de cathec. Rud. cap.* 16. hæc intonat: *Sunt homines, qui nec divites eſſe quærunt . . . . ſed gaudere & requieſcere volunt . . . in Theatris atque ſpectaculis nugacitatis . . . Studiis autem ſpectaculorum fiunt Dæmonis ſimiles . . . Qualis cibus ſumitur, talis valetudo conſequitur*. Et rurſus ſer. 171. de verbi Domini: *Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in Domino ſemper augeatur: gaudium in ſeculo ſemper minuatur, donec finiatur . . . Quid ergo eſt hoc ſeculum, & quod eſt gaudium in hoc ſeculo, gaudium ſeculi? Breviter dico: ſeculi lætitia eſt impunita nequitia. Luxurientur homines, in ſpectaculis nugentur, turpitudine ſedentur, nihil mali patiantur, & videte ſeculi gaudium*.

XIII. Objicit ſibi acutiſſimus Auguſtinus, quod ultimo loco obtrudunt, nempe Theatra non eſſe tollenda, ſed auferendos abuſus, & corruptelas, aut Poetarum, aut Hiſtrionum nequitia invectas. Itane vero? Reformari ne Regnum Diaboli, Veneris templa, vitiorum ſentinæ valent? Sed acutum ſimul, & lepidum Auguſtini reſponſum audiamus. Percunctatur enim, num converti Diabolus poſſit? *Numquid Diabolus factus eſt Chriſtianus?* Aug. lib. 1. de Geneſi cap. 20. Patres omnes docent Theatra eſſe Dæmonum dominio ſubjecta. Hæc ſunt potiſſima pars pomparum, quas Chriſtiani ejurarunt in Baptiſmate. Theatra ſunt Cathedra, qua Dæmones, opera Mimarum, & Mimorum, Poetarum, & ſpectatorum prædicant, & perſuadent ſuperbiam, ambitionem, vanitatem, luxum, laſciviam: declamant contra Chriſti virtutes, exaltant opera carnis, Mundi, & poteſtates tenebrarum amplificare ſtudent. Quare concludit de *Simb. ſer. 1. ad Catech. cap. 2.* S. Auguſtinus: *Fugite dilectiſſimi, ſpectacula, fugite cavas turpiſſimas Diaboli . . . Admirabile ſpectaculum noſtrum, in quo Deus adjuvat, fides vires impetrat, innocentia pugnat, ſanctitas vincit*.

XIV. Poſtremum: omnes Theologi, & vel ipſi mollioris ethices patroni, Comœdias, Tragœdiaſque (vulgo *opere*) turpes, & obſcœnas revera improbant, & deteſtantur. Omnes fatentur illas eſſe, quas viri, & mulierculæ mutuam amoris cauſſam ludentes repræſentant. Ejuſmodi autem omnes communiter ſunt, quæ in Europa aguntur. Ergo omnium ſententia mortaliter peccant tam actores, quam inſpectores. Nec ullo modo ſuffragantur Caſuiſtæ aliqui, qui aut Comœdias *ſecundum ſe*, & in quadam *præciſione metaphyſica* conſiderant, aut in ipſa turpitudine, & obſcœnitate ſubtili, & chimærica præciſione diſtinguunt, & ſeparant voluptatem curioſitatis a voluptate veneris, ſolatium honeſtum a ſolatio turpi in eadem, & unica actione, quæ omnibus ſpectatis, reipſa turpis, & impudica nedum ſubimpudica eſt. Quoniam iſti numero pauciſſimi, aut perfunctorie hoc argumentum tractarunt, aut in perniciofam, deplorandamque laxitatem lapſi ſunt. Nullo itaque vel minimo probabilitatis fuco excuſari a gravi culpa harum Comœdiarum, & Tragœdiarum ſpectatores valent.

A P.

APPENDIX
AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM
IN QUA SYNOPSIS TRACTATUS
P. JOANNIS MARIANA
SOCIETATIS JESU
Adverſus Spectacula exhibetur.

PROLOQUIUM.

POſtquam præcedenti Diſſertationi finem impoſueram, obvius mihi occurrit Tractatus de ſpectaculis celeberrimi P. JOANNIS MARIANA ſapientiſſimi Jeſuitæ, de quo hæc, præ aliis plurimis ſcribit *P. Alegambe* in ſua Bibliotheca: „ Maximo „ ingenio, peracri judicio, ſingulari me„ moria, multorum annorum ſtudio, „ omne diſciplinarum genus diligentiſſi„ me excoluit, & ad ſacram Theolo„ giam raram omnium liberalium ar„ tium, & hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, „ tum profanæ cognitionem, & præte„ rea latinæ, græcæ, atque hebraicæ „ linguæ peritiam adjunxit . . . . Ea „ doctrinæ fama, ut nullus omnium cre„ deretur eſſe, qui eum exæquaret . . . „ Multa perpeſſus adverſa admirabili ani„ mi æquitate, & omnium virtutum do„ cumento ſe malis ſuperiorem eſſe pro„ bavit . . . . Paupertatis amator exi„ mius, nihil umquam ſingulare ulla in „ re admiſit: rara abſtinentia, & in „ ſuis ærumnis conſtantia incredibili. "

I. Cardinalis Baronius, quem allegat ipſe P. Alegambe, hæc de P. Mariana tom. 8. ad an. 788. habet. *Veritatis amator, & pietatis optimus cultor . . . affectu privato carens Joannes Mariana, dignus Profeſſor Societatis Jeſu.* Inter cetera autem opera auro cedroque digna, quæ P. Mariana in lucem emiſit publicam, opuſculum edidit adverſus ſpectacula, inſertumque eſt tomo in folio inſcripto *Joannis Mariana e Societate Jeſu Tractatus VII.*

II. Quoniam vero honori ſemper mihi duxi, & gloriæ præſtantiſſimos inclinatæ SOCIETATIS JESU THEOLOGOS in auxilium mihi aſciſcere, atque præſidium in operibus hactenus me editis, e re mea fore exiſtimavi hanc adverſus hodierna ſpectacula Diſſertationem[a] doctiſſimorum Jeſuitarum ſapientia, & morum ſanctitate inſignum, auctoritate munire, atque confirmare. Duos præ ceteris, Ribera, & Mariana præclariſſimæ Hiſpanæ gentis lumina, & ornamenta fulgentiſſima allegare placuit, tum ut validius ſententiam ſtabilirem meam; tum ut occaſione data rancidam inveteratamque calumniam rurſus profligarem nonnullorum, qui me alioquin, velint, nolint, præfatæ Societatis ſapientioribus Theologis addictiſſimum, tamquam eidem infenſum blaterant, & Moraliſtarum oſorem, impoſtoremque benigniſſime traducunt. Nec mirum: ſi enim P. Mariana; teſte P. Alegambe, *multa adverſa perpeſſus*: quia ſcilicet, ut Baronius ait, *veritatis amator*: ipſe, veritatis (uti confido) propugnator, odii, invidiæque tela declinabo? Apoſtoli ipſi lamentabantur: *Mundus nos odit*, quibus Chriſtus Dominus repoſuit, *ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.*

Ne

Ne ſuſpicari vero quiſpiam valeat, me minus ſincere P. Marianæ doctrinam exponere, univerſi tractatus ſynopſim perſtringam propriis ejuſdem Auctoris verbis. Ea dumtaxat omittam, quæ eruditionem haud neceſſariam, ſaltim cauſſæ meæ roborandæ, ſpectant. Heinc lucalentius intelligent Theatrorum defenſores, me non novam, aut æquo rigidiorem opinionem, ſed communem, & Patrum & Theologorum omnium, qui Evangelicæ legis ſpiritum deguſtarunt, doctrinam a vanis commentis, putidiſſque fabellis aſſerere.

III. Et antequam finem præfandi faciam, delibare pauca intereſt, quibus *P. Mariana* plurium Theologorum opinandi, & ad corruptos hominum mores detorquendæ divinæ legis licentiam perſtringit, atque redarguit *cap.* I. inclamans. *Excæcat prava hominum conſuetudo animos, & quod paſſim fieri videmus, defendere conantur quidam LICENTIÆ PATRONI, Magni ſcilicet Theologi, quaſi juri, & æquitati conſonum, voce, & litteris abutentes, quos redarguere facile erit, teſtimonio, & auctoritate veterum Theologorum in hac re non diſcrepantium*. Et rurſus *cap.* 20. ſubdit. *Sæpe accidit, ut melior pars a pejori numero ſuffragiorum vincatur*, id quod Livius ſæpe deplorabat. Poſtremum prope ejuſdem capitis finem ſequentia adjicit. *Multa in omnibus nationibus negliguntur crimina, præſertim ſi Patroni adſint fucata ratione fallaces viri Theologi, quorum quanta ſæpe ſit libertas pronunciandi, quanta quibuſdam cupiditas populo placendi, ſcimus omnes: & eſt miſerum negare non poſſe, quod pudet confiteri, quæ magna eſt ordinis noſtri calamitas, nihil eſſe tam abſonum, quod a Theologo aliquo non defendatur*. Hac Chriſtiana ſinceritate veritatis amator, & affectu privato carens loquitur P. Mariana, Evangeliſtarum, & Sanctorum Patrum ſtrenuus æmulator. Huc animum intendant illi, qui detractum Caſuiſtarum quorumdam famæ timent, dum iſtorum laxandarum legum licentia corripitur, & eorum falſæ opinationes refelluntur. Venerentur illi, ſicut veneramur & nos Caſuiſtas, at non propterea adimenda nobis eſt profligandæ falſitatis, ſi qua in eorum ſcriptis occurrit, facultas.

CAPUT I.

Cur de ſpectaculis Diſputatio ſuſcipiatur. Varia ſpectaculorum genera.

I. QUæ P. Mariana in prima capita duo digeſſit, unico capite perſtringam. Capite primo cauſſam, cur de ſpectaculis diſputationem ſuſceperit, grandi verborum & ſententiarum apparatu, argumenti gravitatem, Theatrorum, & ſcenarum funeſtiſſima conſectaria ob oculos ponit, his verbis. *Veterem ludorum inſaniam nova diſputatione de ſpectaculis compeſcere pro virili parte cogitanti mihi ſæpe numero in mentem venit, admirari tantopere mores noſtros ab antiquis degeneraſſe, ut quæ majores noſtri pari, & conſona voce vituperarunt, quaſi Religionis Chriſtianæ ludibrium, ac dedecus, paſſim noſtra ætate uſurpari videamus, quaſi pietati conſona; tantum deflexa in pejus conſuetudo poteſt quod refutare certe debemus, auctoritate & argumentis confirmare, Theatri licentiam, de qua potiſſimum laboramus, nil eſſe aliud, quam officinam impudicitiæ, atque improbitatis, ubi omnis ætatis, ſexus, & conditionis homines depravantur, ſimulatiſque, & ludicris actionibus ad vitia vera informantur. Admonentur enim quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maxime, & auribus concitatur: puellæ in primis, & juvenes, quos intempeſtivis voluptatibus infici grave eſt, atque Reipublicæ Chriſtianæ in primis exitiale. Quid enim continet ſcena, niſi virginum ſtupra, & amores proſtituti pudoris feminarum, lenonum artes, atque lenarum, ancillarum, & ſervorum fraudes, verſibus numeroſis & ornatis explicata, ſententiarum luminibus diſtincta, eoque tenacius memoriæ adhærentia, quarum rerum ignoratio multo commodior eſt. Hiſtrionum impudici motus & geſtus, fractæque in feminarum modum voces, quibus impudicas mulieres imitantur, & exprimunt, quid aliud niſi ad libidinem inflammant homines per ſe, & ad vitia ſatis proclives? An major ulla corruptelæ morum excogitari poſſit? Quæ enim in ſcena per imaginem aguntur, peracta fabula, cum riſu commemorantur, ſine pudore deinde fiunt, voluptatis cupiditate*

anti-

animam titillante, qui ſunt veluti gradus ad ſuſcipiendam pravitatem, facili a jocis ad ſeria tranſitu, intervallo non maximo . . . Porro cum pietas Chriſtiana exigat, ut ad ſceleris mentionem, quo divinæ leges violantur, & in laqueos mortis incurritur, exhorreſcat corpus & animus; qua fronte ſtupris ac turpitudine commemorata oblectabimur ipſi, & alios publice oblectari ſinemus? Apage tantum dedecus, faceſſat tam gravis ignominia nominis Chriſtiani, & gentis, quæ cum aliis gentibus comparata, ut inter noctis tenebras celeſtia lumina micare debet morum ſanctitate, & totius vitæ candore . . . . Hoc ergo contendimus, ut doceamus moribus Chriſtianis certiſſimam peſtem afferre Theatri licentiam, nomini Chriſtiano graviſſimam ignominiam. *Atque utinam par oratio ſuſcepto argumento contingeret, ut quantam veritas valet, tantum ſe noſtra diligentia exereret. Neque de ſucceſſu deſperandum eſt hac qualicumque eruditionis facultate, tametſi noſtris conatibus gemina præterea difficultas opponitur, quaſi moles quædam, peccantium multitudo, auctoritas eorum, qui errori patrocinantur: & eſt excuſatio furoris multitudo inſanorum, hoc quoque nomine, prava noſtra natura, quæ vitiis ſuis & cupiditatibus favet; clauditque oculos, ne ſuam fœditatem videat, ingerentemque ſe menti claritatem, neque facile avelli ſe ſinit ab iis, quæ cum voluptate ſuſcipiuntur, cujus ſumus natura cupidiſſimi præſertim ſpecie utilitatis objecta, aut honeſtatis, quæ major calamitas eſt . . . Excæcat nimirum prava conſuetudo animos, & quod paſſim fieri videmus, defendere conantur quidam licentiæ patroni, Magni ſcilicet Theologi, quaſi juri & æquitati conſonum, otio, & litteris abutentes, quos redarguere facile erit teſtimonio & auctoritate veterum Theologorum in hac re non diſcrepantium, a quibus diſcedere velle noſtræ ætatis Theologos non putamus, has omnes ſimulatæ veritatis præſtigias retegere certum eſt, multitudinem a furore retinere difficilius erit, niſi publica acceſſerit auctoritas, quorum intereſt Magiſtratuum. Efficiemus certe, ut ad Theatra deinceps, quibus obſcœna argumenta tractantur, non ſecus concurratur, atque ad ganeas, ad furta, ad cædes, ad lupanaria, qui ſuſcepti laboris fructus erit multo maximus. Erunt enim qui pravitate cognita deſinant peccare, ſalutemque ſuam turpi voluptate potiorem habeant, neque prudentes, & ſcientes in mortem ferantur furentes, rapidi, miſerabiles.*

II. Secundo capite genericam ſpectaculorum notionem Auctor perhibet inquiens: *Spectaculum eſt ludus voluptatis cauſa ſuſceptus.* Ludos autem a Lydiis fuiſſe primum inventos, unde *ludorum* vox, ex Tertulliano, & Iſidoro cenſet. Spectacula ſumma diviſione tribuit in *ſcenica*, & *gymnica*: in ſcenicis Comœdiæ & Tragœdiæ numerantur, Mimi, Pantomimi, Archimimi, omnes fabularum actores: *Hiſtriones* ab Hiſtria unde primum advecti in Urbem ſunt, dictos ait, qui, an geſtu tantum, & motu corporis perſonas varias exprimerent, non ſatis conſtat. Plures verba illis in fabulis detrahunt. Gellius *l.* 7. *c.* 5. Polo Hiſtrioni vocem, & lacrymas dat. Neque in magno ponam, inquit, diſcrimine, utrovis modo ſentiatur, vocis enim ſignificatione extenſa Hiſtriones vocari puto, tam eos, qui voce, quam qui corporis geſtu impudicas feminas, aut alias perſonas mentiebantur. Ad ſcenam etiam *Thymelici* ſpectant, quorum frequens in legibus Imperialibus mentio. Iſti cantu, fidibus, aut ſaltu, aliiſque motibus fabulæ ſubſerviebant, *Sociique Theatrales* nuncupari jure poterunt. *Scenici* voce Actores omnes, Mimi, Hiſtriones, Thymelici comprehendebantur. In gymnicis ludis ponuntur Athelæ, curſores, aurigæ, pugiles de jactu, aut ſaltus pernicitate certantes. Plurima ibi de diſtinctione Theatri a Circo, & de utriuſque ſtructura varia, uberrimaque eruditione Auctor ſcribit, quæ cum ad inſtitutum noſtrum minime pertineant, miſſa facio.

C A P U T II.

De ſenſuum voluptate.

I. CApite IV. P. Mariana vires incredibiles & illicium veneficum voluptatis deſcribit. „ Lenis enim, „ quamvis & blanda non magno temporis ſpatio, niſi caves, animi, & „ corporis partes omnes expugnat, vir„ tutes enervat, ipſamque arcem in ſub„ limi conſtitutam mentem evertit, at„ que

„ que in omne genus vitiorum præcipi-
„ tem dat. Recte & ſapienter Plato
„ homines etiam excelſi animi reddi ce-
„ reos a voluptate affirmavit, ut ceræ
„ inſtar mollis vitiis cedant, atque im-
„ puritati: & alio loco voluptatem eſſe
„ dixit omnium malorum nutrimentum,
„ neque aliunde majus periculum urget,
„ quam a circumfuſis undique voluptati-
„ bus. Itaque ab omni memoria, quos
„ neque hoſtes vincere, neque ulla æ-
„ ſtus, frigoris, aut inediæ injuria fran-
„ gere potuit, eos videmus & legimus
„ illecebris voluptatum fuiſſe ſuperatos.
„ Quid enim aliud Salomonem ea Sa-
„ pientia, atque probitate tranſverſum
„ egit? Quid Annibalem Pœnum,
„ ejuſque copias hoſti opportunas præ-
„ buit, niſi Capuanæ amœnitates? Vi-
„ na & convivia Campaniæ armis invi-
„ ctum vicerunt. Quod Romanis etiam
„ accidiſſe ſatis conſtat, invictis, priuſ-
„ quam Aſiæ jucunditates commodita-
„ teſque eſſent experti, atque volupta-
„ tes alias. Ferrea ingenia voluptas,
„ quaſi igne victa, debilitat penitus, &
„ frangit: cumque in homine nihil vir-
„ tute præſtantius ſit, huic Divino mu-
„ neri nihil eſt tam inimicum, quam
„ voluptas. Neque enim ea dominante,
„ temperantiæ, fortitudini, liberalitati,
„ aut ceteris virtutibus locus eſt: neque
„ ſub ejus imperio ulla honeſtatis pars
„ poteſt conſiſtere, quoniam vitioſa, &
„ mortifera eſt, armaque illius, cujus
„ unum opus, mentes hominum expu-
„ gnare, atque vitiorum maculis fœda-
„ re: eſt enim mortis fabricatrix volu-
„ ptas; & ſicut Deus hominem ad vi-
„ tam per laborem, & ſudorem vocat,
„ cum ſit virtus in arduo poſita, ita ad
„ mortem per delicias, & ſuavitates fe-
„ ſtinamus. Cavenda ſunt igitur oble-
„ ctamenta omnia, ſenſuumque volupta-
„ tes, tamquam laquei, ne capti ea
„ mollitie in ditionem mortis nos, no-
„ ſtraque redigamur. Si voluptati ceſſe-
„ ris, cedendum eſt dolori, labori, mo-
„ leſtiæ, paupertati, quia paupertati ini-
„ mica ſunt: ambitio, ira, avaritia,
„ ceteraque vitia uno impetu animum
„ occupabunt . . . . Quo difficilior eſt
„ actio, quam obire opus eſt, majorem
„ indidit voluptatem, uti in filiorum
„ procreatione conſiderare licet, ne de-
„ ficerent genera, ardentiſſimam cupidi-
„ tatem admiſcuiſſe corporibus; ut uter-
„ que ſexus alterum appeteret avidiſſi-
„ me, eaque ratione propagari, & mul-
„ tiplicari animantes poſſent. Quam
„ cupiditatem, cum omnibus animanti-
„ bus dedit, tum in homines acriores
„ ſtimulos habet, vel quia hominum co-
„ gnitio major eſt, mollior caro: vel
„ quia genus hominum amplius propa-
„ gari voluit . . . Ceteræ quidem ani-
„ mantes præter eam voluptatem, quæ
„ ex coitu, & quæ ex pabulo percipi-
„ tur, nullam aliam, aut vix ſentiunt,
„ ad eam certe referuntur aliorum ſen-
„ ſuum functiones oblectamentaque. Ho-
„ mini vero data eſt infinita voluptas,
„ quæ ſenſibus omnibus capitur, ut in
„ vitium cadentem virtus reprimeret.
„ Stupra enim, & adulteria, & omnia
„ flagitia, nullis aliis illecebris, niſi vo-
„ luptate excitantur. Sed diſcrimen eſt,
„ nam cibi & libidinis nimiæ voluptates
„ vituperantur, atque in vitiis ponun-
„ tur. Quæ ex oculis, auribus, aut odo-
„ ratu percipitur, non item, quæ ple-
„ riſque occaſio errandi eſt, nullam, ut
„ putent aſpectu ludorum, aut auditu
„ muſici concentus vituperationem incur-
„ ri. Recte enim Ariſtoteles, eos tan-
„ tum incontinentes vocari ait, qui ta-
„ ctus aut guſtus voluptate ſuperantur
„ &c. *Sed & in aliis voluptatibus quod-*
„ *dam incontinentiæ genus eſſe poteſt,*
„ *minus fortaſſe vulgo cognitæ, veriſſimæ*
„ *tamen; aurium & oculorum voluptas*
„ *ex aſpectu ludorum, vocum & cantuum*
„ *ſuavitate ſuſcepta, non minus vitioſa*
„ *eſt, neque minus exitioſa, quam oble-*
„ *ctationes aliæ. Quis enim non luxurio-*
„ *ſum, & nequam judicarit eum, qui*
„ *totos dies deſidet in Theatro, aut ſce-*
„ *nicas artes, lyriſtas, & Comœdos do-*
„ *mi habeat victus aviditate ejus volu-*
„ *ptatis? Omnes enim corporeæ oblecta-*
„ *tiones irritamenta vitiorum ſunt, & ad*
„ *corrumpendos animos, turpitudineque*
„ *fœdandos magnam vim habent . . . .*
„ *Nullis enim finibus prava hæc cupidi-*
„ *tas reſiſtit; ignis inſtar, quo plura da-*
„ *mus, plura petit, ſæpeque ab honeſtis*
„ *voluptatibus progrediens, momento tem-*
„ *poris ad illicita trahit, atque ab una*
„ *voluptate in diverſam, facto tranſitu*
„ *in turpitudinem deſinit . . . . Ergo vo-*
„ *luptates nimiæ præſcindantur, quoniam*
„ *vitiorum fomenta ſunt, & vitiis pa-*
„ *bulum*

„ *bulum ſubminiſtrant, ſuſceptæque ſemel* „ *nullis reſiſtunt finibus, ſed ad tupiores* „ *oblectationes identidem provocant, inti-* „ *mis viſceribus ſtimulos libidinis commo-* „ *vent, & naturalem illum incitant &* „ *inflammant ardorem, donec totum ho-* „ *minem in laqueos æternæ mortis indu-* „ *cant, nullaque re magis in vita pecca-* „ *tur, quam pravæ huic cupiditati fræ-* „ *nos laxando, quam compeſcere initio,* „ *atque comprimere multis extitiſſet ſalu-* „ *tare, qui ſua certe ruina ceteros cau-* „ *tiores debent efficere, ne ſe hac labe,* „ *peſteque infici ſinant, quantumvis ſen-* „ *ſim ſe inſinuet, & honeſti ſpecie fal-* „ *lat.*

II. Capite V. inquirit Auctor, cur ſcena tantopere oblectet? & hanc inter alias præbet rationem. In ſcena admirabiles, & inſoliti caſus commemorantur, mirabiliori aliquo exitu terminati, uti in tragœdiis, & comœdiis perſpicimus, ita incredibilia componi, ut facta non ficta videantur. „ Porro inſolita admi- „ rari, quotidiana contemnere, huma- „ num eſt: ſuntque maxime mirabilia, „ & maximam exprimunt voluptatem, „ quæ maxime inexpectata contingunt, „ maxime periculoſa videntur. Quod ſi „ nudis ſæpenumero narrationibus rerum „ capimur, . . . quid facient, cum ni- „ tor ſermonis, & eloquentiæ acceſſe- „ rit? . . . Deinde verſus numeroſi & „ ornati titillant animos, & quo volue- „ rint impellunt, eoque magis nitore „ ſuo perſuadent, & facilius adhærent „ auditorum memoriæ, atque animo. „ Qui enim numeris conſtamus omnium; „ maxime numeris capimur, numeriſque „ adſtricta oratio vehementiores motus „ in omnem partem ſolet concitare . . . „ *Poſtremo quæ major eſt illecebra, pul-* „ *cherrimi adoleſcentes, aut quæ major* „ *peſtis eſt, puellæ eximia venuſtate pro-* „ *ducuntur in Theatrum, aptæ oculis de-* „ *tinere non petulantis multitudinis, ſed* „ *prudentum etiam hominum, & mode-* „ *ratorum?* Num ullius gemmæ, floris, „ aut animantis decor cum humana pul- „ chritudine poſſit comparari? Num „ ulla res potentius oculos, atque ani- „ mos flectit, etiamſi nuda objicia- „ tur?

„ Atque hactenus de honeſtis comœ- „ diis, tragœdiiſque dictum eſt, in quas „ ſi tam multa conferuntur voluptatem „ facientia, quid ſi ad turpitudinem ſin- „ gula referantur? Quæ oblectatio ma- „ xime omnium devincit homines, at- „ que ita, ut vel ipſa nuda commemo- „ ratione animos rapiat? Quid de ſtu- „ pris Virginum fabula eſt? de amori- „ bus meretricum, lenonum turpitudi- „ ne, num ea voluptate potentior ali- „ qua excogitari poſſit? Non arbitror. „ Objiciuntur enim menti irritabiles for- „ mæ, ſuggeruntur fomenta vitiorum, „ & ex rerum imagine, ac commemo- „ ratione cupiditas excitatur, atque ſimu- „ latis amoribus, quaſi veris interſint, „ turpi voluptate ſpectatores ingurgitan- „ tur, quaſi in ſentina volutati. “

III. Diſcrimen veteris, & novæ comœdiæ *cap. 6.* P. Mariana exponit, & Comœdias divorum cultui non convenire oſtendit *cap.* 7. ibique illorum ineptiſſimam cavillationem refellit, qui corrigendis moribus aptas comœdias tragœdiaſque effutiunt. *Hæc enim vana excuſatio affertur: in comœdiis vitæ humanæ varios caſus exprimi, retegi fraudes, documenta tradi, quibus juvenes cautiores reddantur, quos ego aberrare prorſus contendo. Neque enim ebriorum eſt ſobrietatem ſuadere, neque turpiſſimus quiſque ad probitatem docendam præceptor idoneus ſit, qui ad virtutem a vitio, ad rationem a furore, ab immanitate ad humanitatem publice auditores revocet. Januæ curam non credamus cuivis, ne quid domi contingat, quod dedecus afferat, ſed probatæ fidei viro.*

CAPUT III.

Mulieres in ſcenam introducendas non eſſe. Quodnam ſcelus enormius ſit, mulieres an juvenes muliebri veſte ornatos in ſcenam prodire?

I. „ SEquitur pravitas alia (pergit P. Mariana cap. 8.) neque minor „ ſuperiori, neque minus repellenda, „ mulieres excellenti pulchritudine, exi- „ mia actionum venuſtate, & gratia, „ inducuntur in Theatrum, quod maxi- „ mum eſt irritamentum libidinis, & „ ad corrumpendos homines potiſſimum „ valet. Nimirum Hiſtriones, cum ſtu- „ dia omnia lucro metiantur, & ad „ quæſtum omnia referant, ad multitu- „ dinem alliciendam, quam non igno-

„ rant aſpectu mulierum, & auditu maxime capi, omnes fraudes ſuſcipiunt nulla honeſtatis cura. Vincit officium „ linguæ tanti ſceleris commemoratio, „ *eo amplius quod hæc etiam turpitudo* „ *ſuos patronos habet!*, *non quoſvis de* „ *populo, ſed viros eruditionis & mode-* „ *ſtiæ opinione præſtantes*. Quorum erro- „ ri, quoniam latius patet, & altas ra- „ dices egit, mederi, quantum in no- „ bis ſitum erit, hac diſputatione cona- „ bimur.„

II. Antiquis temporibus in ſcenas mulieres invectas fuiſſe advertit ex Gregorio Giraldo, ajente Phrynicum Tragœdum primum muliebrem perſonam produxiſſe in ſcenam. In Floralibus ludis nudæ mulieres pudendis invelatis prodibant. At Mulierculæ iſtæ meretriculæ erant, & ſervæ publicæ, Chriſtianæ Religionis expertes. Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 8. advertit, & ex C. *Theod. lib.* 15. *tit.* 7. *& ex Trtull.e cap.* 17. *de ſpect.* colligitur. Scorta hæc adeo effrœnata nauſeam potius & ſtomachum commovent, quam alliciant honeſtos homines. „ *Mulieris vero aſpectu pulchræ, &* „ *ornatæ præterea geſtus & verba in* „ *mclitiem fracta adjungentis, quid po-* „ *tentius eſſe* (inquit P. Mariana) „ *poſſit ad illiciendas animas, atque in* „ *ſempiternam mortem impellendas, in-* „ *flammandaſque, ego ſane non video*. „ Mulierem in Eccleſia docere Paulus „ vetat, ne vox ejus audientes moveat „ ad libidinem. Sic Anſelmus interpre- „ ta ur. Et erit, qui ſibi & aliis ſe- „ curitatem ab eo periculo polliceatur? „ *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne* „ *cogitarem quidem de virgine*. Job. 31. „ Num in fornace incenſa aliquis eva- „ pat incolumis? Atqui theatra babylo- „ nica fornace magis incenſa ſunt, ſub- „ dente Cacodæmone malleolos, exci- „ tanteque flammas, turpes cogitatio- „ nes, & cupiditates, tum ob alia, tum „ ex axpectu & auditu muliebri concita- „ tas: & eſt ignis potentior, qui men- „ tes, quam qui corpora depaſcitur, eo „ calumnioſus, quod qui comburuntur, „ nihil ſentiunt: alioquin non riderent, „ ſed lacrymis lætitiam mutarent, & „ eſt genus infortunii graviſſimum, ca- „ lamitatem putare delicias, quod Chry- „ ſoſtomus ip.e copioſius diſputat. Illud „ miror, homines ad eam vanitatem „ rapi, atque ſpectaculis ſitienter in- „ cumbere: *neque conſiderare, ſuo exem-* „ *plo, minores in eumdem interitum tra-* „ *here. Præterea eo non contenti malo* „ COMMUNI AMENTIÆ PA- „ TROCINIUM PRÆSTANT, *ut* „ *ſine reprehenſione peccare videantur*.

III. „ Addunt, aut Comœdias in u- „ niverſum abdicandas, aut mulieres, ſi „ non velint, ultro invitandas, ut fa- „ bulas agant. Majori enim periculo „ pueros elegantes induci veſte muliebri, „ & ornatu, quo aſpectu ad præpoſte- „ ram, atque nefariam libidinem, ſpe- „ ctatores ſollicitentur, quod flagitium „ diligentius cavendum diſputant, non „ immerito ſane. Quid enim ea fœdi- „ tate turpius, exitialiuſque eſt? „ *Unum,* *& alteram periocham Auctoris prætermitto, qua præclariſſima gens ſuggillatur, ut veritati, & obſequio litem. Vitium enim, quod eidem Theologus noſter adſcribit, ſi ſuo tempore ſerpebat, ævo noſtro ab eadem exultat, ſtudio, & vigilantia Epiſcoporum, aliorumque Paſtorum, qui in excolenda Domini vinea nulli alteri Nationi cedunt*. „ Cupiditas autem mu- „ liebris ſexus latius patet, majoreſque „ multo impetus habet, non ſolum in „ corruptiſſimis hominibus, & pravis, „ quales ſunt, qui puerorum amoribus „ indulgent, ſed in aliis etiam viris, „ aliqua probitatis, & modeſtiæ laude „ conſpicuis. Deus enim, uti Baſilius „ ait *l. de virg.* cum conderet animan- „ tes in utrumque ſexum diſtinctas, æ- „ ſtrum mutuæ cupiditatis inſeruit corpo- „ ribus inter homines maxime, qua ſe „ invicem appeterent & mutua conjun- „ ctione gauderent, majorem multo in „ viro. Nam feminam imperio viri, & „ poteſtati ſubjecit, quippe de ejus la- „ tere formatam velut partem obedire „ toti ſanxit; virum autem quaſi cicu- „ ravit feminæ deſiderio, & amore, „ feritate, & robore temperato. Dili- „ git enim eam ut proprium membrum, „ & per commixtionem quaſi ſibi ite- „ rum unire ſatagit. Sic femina in ſe „ quamdam virtutem habet, miram- „ que poteſtatem trahendi ad ſe virum, „ non ſecus ac magnes; cum ipſe non „ moveatur, ferrum ad ſe rapit, quo „ factum eſt, ut feminæ corpus, & „ partes gratiores ſenſibus, quam viri „ ſint, molles, candidæ, acuta voce

„ &

„ & ſuavi, decentiſſimo oris & totius „ corporis habitu. „

IV. *Contra hanc potentiſſimam cupiditatem pugnare debent, quicumque pudicitiæ dignitatem conſequi ſtudent, numquam interrupto, uſque ad vitæ finem, certamine. Sed & alia ſubjicienda ſunt. Feminas ſcenicas quæ Hiſtriones conſectantur, & adjuvant forma eſſe venali, quæ enim tot viris procacibus, & otioſis circumſeptæ, dies, noćteſque pudice vivant?* Miraculi inſtar eſſet majoris profećto quam ſi ignis ardeat in aqua: *& ex turpi quæſtu plerumque raptæ, ſive conjunćtæ connubio Hiſtrioni unicuipiam ex eo infami comitatu, ſive, quod ſæpius accidit, ſtupri conſuetudine, cum aliquo devinćtæ, poſito amplius in Theatro pudore, ad ingenium redeunt, & vulgato inter plures corpore, omnibus exitium afferunt, ſuiſque artibus multos dementant. Scimus ſuperioribus annis in quadam horum hominum ſocietate a judice, quod ex ipſius ore auditum eſt, unamquampiam ex hoc grege, quæ* Magdalenæ perſonam ſuſtinebat, deprehenſam turpi conſuetudine junćtam eſſe cum eo Hiſtrione, qui Chriſtum Dei Filium voce, geſtu, habitu repræſentabat. In ſignem fœditatem, atque eo majorem, quod magno populi plauſu audiebantur, ſæpeque ſpećtatoribus excutiebant lacrymas.

V. *Deinde aſpećtu earum mulierculamm concitati juvenes otioſi, & perditi, quorum magnus numerus ubique eſt, quid non faciunt, quas fraudes non ſuſcipiunt, ut incenſam cupiditatem expleant? Scimus, ſæpe agmine faćto, ex compoſito eas mulieres rapuiſſe ad libidinem, detraxiſſeque Hiſtrionibus, unde rixæ graves, vulnera, & cædes extiterunt, juvenibus inter ſe de præda, & cum Hiſtrionibus ferro certantibus. Neque dubium eſt, ſæpe eos juvenes, ex aliis in alia oppida migrare, contemptis parentibus, & re familiari præ amore eorum mulierculamm cæcos, amenteſque in ferrum, flammamque irruentes, neque ceſſantes, donec conſumpta, illæ, pecunia vacuos domum exſuccoſque remittunt. Omnino turpiſſimum eſt, cum per medias plateas in ipſis hoſpitiis adoleſcentes nobiliſſimi nulla decoris cura, eas feminas comitantur, latus ſtipant, non ſecus atque incenſa libidine canes, aut equi hinnientes, viſa equa, ad quam prurientes libidine poſt partum ardenti cupiditate rapiuntur feroces & rabidi, nulla fræni, aut ſeſſoris cura, ne fuſte quidem tergum quamvis verberantis. Quæ probra, qui digna non putant, quæ omni ſtudio depellantur*, ferreus ſit, & communi hominum ceterorumque ſenſu, rationeque deſtitutus.

VI. Capite 9. Theatra non eſſe publice Hiſtrionibns deſignanda, evincit pluribus rationum momentis. Damna, quæ inde in Rempublicam manant, artium nempe neglećtum, adoleſcentum mollitiem, rei familiaris detrimenta, & plurima alia ob oculos ponit. Hiſtrionum, & Theatralium virorum multitudo pondus eſt iners Reipublicæ atque inutile, cum ſint enervati voluptatibus. Magnam pecuniæ vim id genus hominum extrahunt variis artibus, pretium pro loci commoditate augent, ſediliaque ingenti mercede locant. Num juvenes ex his bacchanalibus ſtrenui milites, prudenteſque Senatores evadent?

C A P U T IV.

Hiſtriones a Sacramentis arcendos eſſe.

I. Diſciplinam Eccleſiæ perpetuam Patrum traditione ſupra patefeci, Hiſtriones rejećtos ſemper a Sacris Myſteriis fuiſſe. Hanc eamdem veritatem confirmat P. Marian *cap.* 10. „ Hiſtriones ignominia, infamiaque notari manifeſtum eſt, ex *l.* 1. *ff. de his qui notantur infamia:* ergo Hiſtriones in ſcenam prodeuntes inter infames numerantur; ſed ita, ſi in publicam ſcenam ſemel ſaltem, & iterum prodeant, & in fabule de rebus obſcœnis agatur. Sic enim verba ejus legis viri dośti interpretantur, & temperant eam ſeveritatem, Panormitanus in *cap. cum decor. de vit. & honeſt. Cler.* Silveſter *v. infam. num.* 9. „ Neque *refert in præcipuis argumentis* „ *obſcœnitas verſetur, an intermediis a-* „ *ćtibus*, ipſiſve cantilenis ad modos ob- „ ſcœnos, & turpes de antatis, aperte- „ que, aut oblique turpitudinem indi- „ cantibus: utrumque enim æque tur- „ pe eſt, paremque perniciem affert, „ neque minus incendium excitat in Au- „ dito-

„ ditorum animis excitata memoria turpitudinis, quam aperta commemoratio, eo amplius, quod ex inſidiis illatum vulnus difficilius vitatur. Quod ſi Hiſtriones, qui ejuſmodi ſunt, infames habentur, PECCATO MORTALI ſint obnoxii neceſſe eſt. Neque enim tam grave ſupplicium innocentibus imponeretur, *aut leviter peccantibus*. Quod ſi artis ſordes, & ludibrium notari quis putat, cur bajuli, lanii, carbonarii, aliæque ſordidiſſimæ artes nulli ſubjiciuntur infamiæ? Accedit huc ceteros, qui ea lege inter infames ponuntur, GRAVI omnes NOXA teneri, lenones, raptores, prævaricatores in judicio, aliique omnes: quid ergo cauſſæ ſit, cur Hiſtriones a communi lege exemptos, innocenteſque eſſe faciamus? Præſertim cum is infamis dicatur, cujus vita & mores reprobantur, ut colligitur ex *Gloſſa ff. de in jus vocatis*, *l. ſed ſi hac leg.* §. *Prætor* . . . . . . Cenſura digni ſunt, non ſolum, qui apertis verbis turpia referunt, ſed etiam qui oblique, & diſſimulanter turpitudinem deſignant. Nam & olim Romanorum tempore turpiſſimi, quamvis Hiſtriones a verborum obſcœnitate temperabant, quos nemo, ut arbitror, excuſare velit, eo pernicioſiores, quod ſi ſecus agerent, Auditores facile obſcœnitate verborum a Theatro fugarent. Atque hujus generis eſſe ſtatuo Actores fabularum ferme, qui vulgo in Hiſpania verſantur opera venali, aperte enim aut diſſimulanter, quaſvis turpitudines in omni ferme actione obiiciunt Auditorum animis, lenonum fraudes, amores meretricum, Virginum ſtupra, aliaque, quæ commemorare non eſt neceſſe, eoſque quaſi turpitudinum maculis fœdatos, *repellendos ab Eccleſia eſſe, & Sacramentorum Sanctitate decerno* „. Porro quis non videt conſectarium, neceſſaria illatione manans, ſpectatores, nempe, qui ſua præſentia fovent, & patrocinantur artis infamis profeſſoribus, iſtorum criminum participes fieri, & pari pœna puniendos, arcendos nempe a ſacris Myſteriis, donec ab ejuſmodi corruptela probanda abſtineant?

CAPUT V.

De Theatrali Muſica.

I. Nihil frequentius in ore habent Theatrorum Spectatores, quo ſuum ad Theatra honeſtent acceſſum, quam illuc convenire, ut innocenti cantus, & muſicæ ſolatio ſuum recreent animum, exhilarentque, rati ſe iſtius meretriciæ muſicæ voluptate ingurgitare poſſe, quin ullam perpetrent culpam. Eo uſque voluptatis illicium hominum mentes faſcinat, ut vel media in luce cæcutiant. Muſicæ concentus cum ad informandos, tum ad depravandos animos plurimum valent. Voluptatis dumtaxat cauſſa inſtitutam muſicam reputant illi, qui ſe ad voluptatem natos credunt. Eo cantus & muſica pertinet, quo facilius veritates decantatæ concentus ſuavitate auditorum animis inſtillentur, altiuſque penetrent. Quem in finem plurimum valere muſicam evidentius eſt quam egeat probatione: valet quoque ad mitigandam morum aſperitatem, emolliendoſque hominum agreſtes animos. Cum enim numeris conſtemus, numeris etiam mirifice capimur. Quod ſi muſica surſum erigere animos ſuo harmonico concentu valet in divinis laudibus celebrandis, quis explicare pro dignitate poterit potentiſſimam ejuſdem vim ad faſcinanda hominum corda, ad concitandos carnales affectus, dum rem amatoriam Cleopatræ, Sofonisbæ, Semiramidis, aliorumque ſcortorum obſcœniſſimas actiones, & facta ſuaviſſima modulatione exaltat?

„ II. Plura de Muſica ſcribit cap. 11. P. Mariana. „ Plato, inquit, ex „ Dæmonis ſententia nuſquam muſicæ „ modos mutari abſque maxima legum „ mutatione affirmavit, eoque magnam „ cautionem adhibendam, quali cives „ muſica utuntur „ (& variis muſicæ generibus expoſitis hoc pacto concludit) „ *Quæ vis, hoc tempore maxime* „ *magna ex parte excidit, nihilque minus noſtros Magiſtratus, & Principes ſollicitos habet, quam ea cura, quali muſica populus, juveneſque vulgo utantur, ut mirari non debeamus, tantam morum labem in hac tempo-*

„ *rum*

„ *rum fæce exiſtere, atque adeo vitia om-*
„ *nia agmine facto in civitates, & oppi-*
„ *da incurriſſe, nullo diſcrimine ſexus,*
„ *ætatis, aut conditionis; ac præſertim in*
„ *levitatem, & turpitudinem incubuiſſe,*
„ *fractis paſſim modis muſicis, maxime*
„ *Theatrali licentia, concentu ad laſci-*
„ *viam diſſoluto: & quoniam turpia ver-*
„ *ba miſcentur artificioſe compoſita ad*
„ *fallendum certe diſſimulanter, & tur-*
„ *pes cantilenæ ex triviis, popinis, & lu-*
„ *panaribus deſumptæ aſſimulatis modis*
„ *in memoriam revocantur*. Quæ certiſſi-
„ ma morum pernicies eſt, eo gravius
„ malum, quod ex Theatris in plateas,
„ & domos ſingulas rapiuntur, turpitu-
„ dine quaſi glutino memoriæ infixa.
„ Deteſtabilis turpitudo; ſed ita mores
„ ſunt: & cum in populo Chriſtiano ni-
„ hil audiri deberet, niſi honeſtum, &
„ ſanctum, Divinis Numinis laudes, at-
„ que heroum celeberrima facta, quod
„ ſuo tempore factitatum in Palæſtina
„ Hieronymus teſtatur, opifices, & agri-
„ colas duros labores canendis Dei lau-
„ dibus mitigaſſe; *Contra videmus contin-*
„ *gere, ut per plateas noctu, per domos in-*
„ *terdiu, nihil aliud, quam veneris laudes*
„ *ſonent, magna ignominia populi Chri-*
„ *ſtiani, & Magiſtratuum eam curam ne-*
„ *gligentium, magno Reipublicæ damno*.
„ Sed & in Templa turpes eos modos
„ ex vulgatis cantilenis irripuiſſe non pa-
„ rum ſæpe, utinam negare poſſemus;
„ qua in re ſenſu deficimus, & verbis.
„ Vincit enim officium linguæ ſceleris
„ magnitudo, tum facientium deliniendi
„ aures populi cupiditate: tum maxime
„ eorum, qui tantum crimen, & dede-
„ cus abire impune patiuntur, modeſtiæ
„ & humanitatis, aut feſtivitatis laudem
„ colligentes ex probro cultus Divini,
„ & Religionis Chriſtianæ. Itaque finem
„ facio, ſi illud inculcavero, MUSICAM
„ THEATRALEM CERTISSI-
„ MAM PESTEM AFFERRE,
„ CORRUMPERE per Civitates, &
„ oppida ſingulorum mores, inſtillare
„ ſenſim pravitatem. Principes eam cu-
„ ram negligentes, quæ in præcipuis eſſe
„ deberet, Reipublicæ male geſtæ gra-
„ viſſimas pœnas vivos, mortuoſque da-
„ turos. “

III. Si egomet talia ætate hac noſtra, quam auream appellare nonnullos minime pudet, ſcriberem, minimum eſſet imprudentiæ, temeritatis, audaciæ, & ſtultitiæ cenſuras ſubire: & tamen vel ipſi ethnici Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, hoc tuendæ morum integritatis ſtudio ſuccenſi, ſimilia ſcriptis conſignarunt. Scenicum Cantum *fornicatorium*, Muſicam Theatralem *meretriciam* appellavit Chryſoſtomus, univerſo Patrum Choro ſuccinente. De Muſica ad mollitiem & voluptatem nimium incitante in Templa Chriſtianorum invecta, & de eviratis comiciſque viris, qui Dei laudes in ſolemnioribus Catholicæ Religionis feſtis temerant atque incrediliter profanant *Tom.* 2. *lib.* 2. *Diſſ.* 2. *cap.* 3. *Chriſtianæ Theologiæ* aliqua delibavi, ſed calamo pavido manuque tremula, quod profanatio adeo invaluit, ut vix hiſcere nobis liceat.

CAPUT VI.

Quid veteres Patres, jus Pontificium, & ethnici Philoſophi de ludis ſcenicis ſenſerint.

I. PAtrum teſtimonia P. Mariana cap. XII. tribuit in claſſes tres. Duo priorum genera ethnicos carpunt, quod Diis ſpectacula dicata eſſent. *Poſtremum*, inquit, *teſtimoniorum caput, quod a turpitudine petitur, non minus ad nos pertinet, nec minus quam veteres illi obſtringimur, eo etiam magis, quo Chriſtiana profeſſio majorem exigit morum ſanctitatem*. Redundanti copia Patrum Teſtimonia adverſus tum ethnicorum ſtultiſſimam ſuperſtitionem, & ethnicorum & Chriſtianorum voluptatem carnalem, omnibus indiſcriminatim vetitam, in medium promit Auctor noſter. Quæ omnia ego prætereo, quod jam pervia ſint, & ſupra larga manu data. Sat eſt indicaſſe, Auctorem noſtrum cum ceteris omnibus rei Eccleſiaſticæ non omnino imperitis ineptiſſimum commentum vix anicella dignum, Patres ſcilicet Theatra improbaſſe eo tantum titulo, quod idololatriæ crimine laborarent, profligaſſe. Sat mihi ſit pauca quæ ſub capitis finem ſcribit, perſtringere.

II. „ A Diabolo in Urbibus conſtru-
„ cta fuiſſe Theatra (inquit Chryſoſto-
„ mus *hom.* 29. *in* 6. *cap. Matth.*) ad
„ corrumpendos homines, ſcenicos ludos
„ civitatis peſtem vocat: & hom. 69. in
„ cap. 21. theatralem chorum malorum
„ om-

„ omnium fontem, ſcaturiginem eſſe. „ Deinde hom. 15. ad populum, Theatra, inquit, fornicationem, & petulantiam, & omnem incontinentiam „ peperiſſe. Et *homil.* 8. *de pœnit.* Theatra peſtilentiæ cathedram, incontinentiæ gymnaſium, luxuriæ officinam, „ impudicitiæ orcheſtram, Babylonicam „ fornacem vocat: Poſtremo, *in cap.* „ *Joan.* 4. *hom.* 31. Dæmonum ſolemnitates ſpectacula eſſe, ait: & *homil.* 42. „ *in Acta Apoſtolorum* concludit: Magna „ mala Theatra efficiunt civitatibus; „ *magna neque hoc ſcimus, quam magna*. Quod noſtris hominibus occinere „ licet, graviſſima commoda hos ludos „ conciliare, eo periculoſiora, quod ſenſim immutari mores, & pejores fieri „ non ſentimus, Virginum pudorem imminui, juvenes petulantes evadere, ſenes laſciviam repetere, inde conjugia „ iniri infelicia, furta exiſtere, & peculatus, multaquæ alia flagitia ſuperiori „ ſeculo vix audita. Hactenus Chryſoſtomus. *An non videmus, non conſideramus quanta his annis morum labes* „ *extiterit? His malis quis medeatur, niſi Deus noſtros de Cælo conſiderans, &* „ *miſerans errores, amentiam inſanabilem?* „ *providi Principes & Magiſtratus ex ſuperioris temporis memoria, & exemplis* „ *facti cautiores, quæ ut ſerio conſiderent,* „ *priuſquam in alteram partem pronuntient, exoratos cupimus, neque everſam* „ *tanto Patrum labore vanitatem invehant in Rempublicam Chriſtianam.*

III. Romanorum decreta contra Theatra affert Auctor noſter cap. 13. unde infert. „ Nunc vide quam ſit indignum, „ quod nulli licebat Civi Romano Hiſtrionem agere, legiſque ſeveræ metu ſe „ Cives omnes ad ſuam ætatem continuiſſe, Tacitus ait lib. 14. id concedere homini Chriſtiano, ut ſcenicas artes impune exerceat.... " Tiberius Cæſar Roma exturbavit Hiſtriones, & mulieres ignominia affectæ fuere; quos tamen poſt ejus mortem revocavit Cajus Caligula Reipublicæ peſtis, ut refert Dion Caſius *lib.* 57. & 59. (& pluribus Theodoſii, Valentini, Valentis, & Gratiani legibus productis contra Theatra, ſi pergit) „ Atque hactenus, quid leges „ civiles ſanxerint, brevi explicatum eſt; „ ad Eccleſiaſticas oratio transferatur, „ quibus *Hiſtriones ad Sacratum Ordinem* „ *non admitti, & a Sacra Menſa, &* „ *Sacramentis arceri debere ſancitum eſſe,* „ *ſuperius eſt dictum.* Concilium Cartaginenſe III. & IV. Concilium Generale VI. Conſtantinopolitanum *can.* 51. „ hæc præſcribunt. *Omnino prohibet S.* „ *Synodus univerſalis, eos, qui dicuntur* „ *Mimi, & eorum ſpectacula: deinde venationum* (quæ fiebant in arena) *ſpectationes, eaſque quæ fiunt in ſcena ſaltationes perfici. Qui ſecus fecerit, ſi ſit* „ *Clericus deponatur; ſi laicus, ſegregetur.* Quæ leges magna Patrum noſtrorum prudentia fixæ, an hoc tempore „ ſerventur, per ſe, nullo monſtrante, „ omnes intelligunt: cum omni ætate, „ ſexu, & conditione, homines paſſim „ videamus ad ea confluere ſpectacula, „ *pleroſque etiam ex Sacrato Ordine, &* „ (quod pudet dicere) *Monachos ſeveriorem vitam profeſſos: eſſe etiam qui hæc* „ *honeſte fieri contendant*, neque a Chriſtianis legibus diſcrepare, *inſcitia antiquitatis, aut utroque vitio peccantes*, „ quos hoc loco mittamus."

IV. Capite XIV. Gentium, & Nationum omnium placita contra ſpectacula recenſet Auctor noſter. Lacædemonii ipſi antiquitus nulla Comœdiarum aut Tragœdiarum ſpectacula permittebant: admiſſis, degenerante more, ludis, mulieribus ad eos interdictus eſt aditus. Verum, ut Æmilius Probus in prooemio ad vitas Imperatorum, animadvertit, optima conſuetudine in luxuriam verſa, Lacedemone poſtea, *nulla erat tam nobilis vidua, quæ non ad ſcenam iret mercede conducta.* „ Sed nos, ſubdit Mariana, non quid „ tempus invexerit, quo corrumpuntur „ omnia ſancita, atque inſtituta præclare, exponimus, ſed quid in incorrupta „ Civitate & moribus integris ſervatum „ ſit. Ergo Maſſilienſes ſubjiciantur, „ qui longiore tempore id inſtitutum tenuerunt, uti Valerius Maximus eſt Auctor lib. 2. cap. 1. *Eadem*, inquiens, „ *Civitas, ſeveritatis cuſtos acerrima eſt,* „ *nullum aditum in ſcenis Mimis dando,* „ *quorum argumenta majori ex parte ſtuprorum actus, ne talia ſpectandi conſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumat.* Num minus hoc tempore periculum imminet, aut minus cauti, quam „ Maſſilienſes Chriſtiani eſſe debeamus? „ Romani Imperatores ſæpe Hiſtriones „ quaſi morum peſtem urbe, & arte prohi-

„ hibuerunt: ipſe etiam Domitianus, ea „ vitæ pravitate, Pantomimos ſuſtulit; „ & eſt eo quoque nomine vitii turpitu- „ do prava, quod a ſuis Auctoribus re- „ pudiatur, cum e contrario virtus ab „ inimicis etiam laudem habeat. Eos „ cum Nerva in odium Domitiani reſti- „ tuiſſet, populo exigente, non minore „ contentione a Trajano poſtulatum eſt, „ ut illos rurſus tolleret. Sic Plinius in „ Panegirico teſtatur .... Notum eſt „ quod Plutarchus de *Solone* refert in e- „ jus vita. Audita Theſpis tragœdia Au- „ ctori dixiſſe. *Ecquid non te pudet tam* „ *multa mentiri?* reſpondente illo: *nihil* „ *nocere ſi mendacia joco* dicerentur; ba- „ culo, quo Solon corpus ſuſtentabat, „ percuſſa terra: *ſi hæc*, inquit, *fuerint* „ *laudata*, *veris Rempublicam implica-* „ *bunt malis: ex jocis ſeria fient*. Ari- „ ſtoteles cap. poſtremo l. I. Polit. quo „ loco de puerorum inſtitutione diſputat: „ *itaque*, inquit, *ludi* (ſupple puerorum) „ *ut plurimum tales eſſe debent, ut ſint* „ *imitationes eorum, quæ poſtea ſerio e-* „ *runt facienda*; & paucis interjectis ſub- „ jungit. *Omnino igitur obſcœnitas verbo-* „ *rum per legislatorem exterminanda eſt* „ *ex civitate. Ex turpiter enim loquendi* „ *licentia ſequitur & turpiter facere*. Po- „ ſtremo concludit his verbis: *Quapro-* „ *pter oportet a pueris omnia turpia pro-* „ *cul removere, & maxime quæcumque* „ *habent in ſe, vel obſcœnitatem, vel im-* „ *probitatem*. Num qui talia præcepta „ pueris inſtituendis reliquit, eos mitte- „ ret ad Theatra? num ejus Præceptor „ Plato concederet Civibus Theatra, cum „ *l*. x. *de Rep.* Poetas, & ipſum *Home-* „ *rum* ex Civitate exturbandum cenſeat? „ Eant ergo Magni Philoſophi, aut „ Theologi: (eant, ſubdam ego, anti- „ quitatis initiati myſteriis) Civitatibus „ permittant Theatra, quaſi rem hone- „ ſtam, & minime exitialem, quibus „ Plato & Ariſtoteles ea ſapientia, ne- „ que noſtris moribus inſtituti, hoc eſt „ Chriſtianis, omnes voluptates, niſi ho- „ neſtas, tanto ſtudio denegarunt. “

CAPUT VII.

Non eſſe ſcenicos ludos permittendos. Spectatores lethaliter delinquunt, aut quod in graviſſimum delectationis venereæ periculum ſe ſe coniiciunt: aut quod grave ſcandalum perpetrant, & infamen artem ſua præſentia confirment. Quid ſit conſenſus interpretativus ab expreſſo diſtinctus.

I. CApite xv. quod eſt de ſpectaculis ultimum ex utroque latere P. Mariana ſpectatores Theatrorum obſidet, nullo ad fugam relicto exitu. Antequam ad incitas redigat adverſarios, pauca præmittit, & objectiunculam diſpellit. De more ejuſdem tranſcribam verba.

II. *Peracta eſt major ſuſceptæ diſputationis pars, Divino Numine ſuggerente nobis verborum & argumentorum facultatem inveteratam inſaniam depulimus multis, quæ hoc loco ſumma colligenda ſunt, atque in memoriam revocanda. Hiſtriones, quales nunc in Hiſpania videmus, honeſtis turpia miſcentes quæſtus cauſa, infamia notari diximus, neque crimine carere eam artem, ad corrumpendos populi mores maxime proclivem*. Nam, quod ab adverſariis opponitur, feminæ ornatæ, & comptæ aſpectum non minus noxium fore, neque minus cupiditatem inflammare, quam Theatra, quam nihilominus ceſſare non cogimus neque affirmamus CAPITALE fore, niſi veſtem pretioſam & fucos abiiciat. *Acuta objectio, ſed quam ex S. Thoma* 2. 2. qu. 169. art. 2. *diſſolvere promptum erit, affirmante, nuptis quidem conceſſum eſſe ornatum, ut viris ſuis placeant, cæteris non item; præſertim ſi ornatu ſtudeant alienam cupiditatem excitare, crimen erit. Nam ſi ex levitate animi contingat, VENIALI modo peccato erunt obnoxiæ. Quibus S. Thomæ dictis addendum eſt CAPITALEM ORNATUM feminæ fore, niſi deſiſtat, cum ſciat alicui ruinam propterea ab eo ornatu parari in noxiam cupiditatem manifeſte lapſuro, quod addit Sylveſter* verb. ornatus ad finem §. 4. *ergo feminæ ornatus non* ſemper *crimini datur, quoniam non conſtat cuiquam noxium fore, niſi illis fortaſſis, qui perditiſſimi cum ſint, paſſim offendunt, nulla quamvis aut leviſſima occaſione, quos mulier proba curare non debet.*

bet, ad mortem currentes rapidiſſime, fœdere etiam cum inferno percuſſo, in Theatris contra certiſſimam *multorum* ruinam *fore etiam modeſtorum. Quis enim in tantis flammis non uratur? ornatus, geſtus, carmina, ſententiæ, tibiæ, ad turpitudinem cuncta, & libidinem inflammant.* „ Pauca ſubdam ego. “

II. Quid ſi in privata converſatione mulier compta, venuſta, laſcive phalerata, oculorum ictibus, geſtuum, & totius corporis inflexione, cantus ſuavitate, cantilenis amatoriis te obſideret, alliceretque? An cum eadem commorari, eamdem ſpectare, contemplari ſine *capitali crimine* tibi liceret?

III. Unum & alterum verbum præmitto, ut evidentius pateat doctrina, quam mox ex P. Mariana ſum reſcripturus. Qui graviſſimo & proximo periculo lethalis criminis ſe ſponte ſubjicit, nemine diſſentiente, mortifere peccat. Aut nulla in mundo ſunt pericula graviſſima, & proxima, quæ natura ſua in peccatum inducunt, aut Theatra iſtiuſmodi ſunt. Peccatum autem, quod in Theatris patrandum periculo ſubeſt, mortale eſt, nempe delectatio moroſa venerea, quæ materiæ parvitatem non excipit. Præterea, conſenſus deliberatus in hanc delectationem duplex: Unus *expreſſus*, &, ut ajunt formalis, cum ſcilicet homo expreſſe advertit ſe delectatione pulſari venerea, eamque deliberato animo vult, ſibique in eadem complacet. Alter conſenſus eſt *interpretativus*, cum nempe libere & ſponte, nulla urgente cauſſa, eligit ea, quæ natura ſua delectationem ingerunt: tum enim, qui vult unum, & alterum ipſum velle interpretamur. Quibus delibatis, quæ ſtatim ſubiicit P. Mariana tranſcribo.

IV. *Addo nunc, ſpectatores vix unquam crimine liberos eſſe, manifeſti periculi rei, in quod ſe objiciunt inflammandi cupiditatem venereæ voluptatis*, certæ moroſæ oblectationis, qui modeſtiores ſunt. *Quid enim, niſi is ſit* conſenſus interpretativus, *ſe in ipſam flammam voluptatis conjicere? ut maxime animus & conſtanter velit, certoque præjudicatum habeat conſenſum in voluptatem repudiare. Nam ſi quis ferreo pectore ſit, qui non moveatur, quales pauciſſimos reperiri credam, is conſiderare debet*, ferrea ingenia igne luxuriæ domari, *uti Hieronymus ait.*

V. Mox per aliud latus ſpectatores P. Mariana adoritur. Tametſi gratis admiſſo, quod vix, aut ne vix quidem admitti poſſe Patres omnes inficiantur, ſpectatorem a venereæ delectationis labe intaminatum evadere, in alterum tamen ſcopulum probandi nempe, ſuaque præſentia fovendi *Crimina capitalia* Comœdorum, Mimarum & aliorum ſpectatorum. Quamobrem ſic pergit Auctor noſter.

VI. „ Et ut ex hac parte ſit liber, „ ex alia crimen non evadet, quod ſcan„ dalum dicitur: aliis ſuo exemplo ad pe„ riculum, & peccatum pertractis, quod „ in viros graves auctoritate, & profeſ„ ſione maxime cadat neceſſe eſt; *Et* „ *aliquanto majori viri Principes præſer*„ *tim ex ſacrato Ordine Epiſcopi impli*„ *cantur crimine, huic vanitati vacantes,* „ *venalibus Hiſtrionibus domum etiam ad*„ *vocatis. Quamtumvis nihil obſcœnum* „ *agi coram ipſis excuſant; populus enim* „ *id ignorans ſui Ducis exemplo, ad Thea*„ *tra rapitur, nullo diſcrimine honeſti tur*„ *piſve, & genus obſequii ducitur ſtudia* „ *Principum imitari, & movent in omni* „ *vitæ parte magis exempla quam verba.*

VII. Hæc recogitent Principes, Regeſque. Quoniam, inquit doctiſſimus P. Mariana, nulla eſt excuſatio, quod in ſuis aulis nulla obſcœnitas contingat: ſiquidem populus ſcit ibi repræſentari Comœdias, & Tragœdias Mimorum, & Mimarum, & quidem hac arte præſtantiorum artificio: nullumque turpe inter & honeſtum diſcrimen percipit. Factum agnoſcit, quo ad corruptelam incitatur, facti qualitatem ignorat. Quamquam, ſi ſerio res perpendatur, nihil obſcœni, turpiſque, craſſi, ſpurci, & ſordidi, in voce, in geſtu, in motu olet: an illicium, delicatum, fucatum, ſplendidum, quod altius penetrat, ibidem dominetur, judicent ſapientes. An non ibi inſigniores, doctioreſque Mimi, & Mimæ? An non muſica modulatior, & concentus ſuavior? an non drammata celebriorum Poetarum, fabellis, tricis amatoriis intermixta? an non Tragœdiarum argumenta profana? Quid de ſcenarum majeſtate, quid de apparatu fulgentiſſimo, quid de ſpectatorum aſſidentium pompis, faſtu, luxu, ceteriſque oblectamentis, quæ hic luculentius, quam alibi emicant, dicam? Verum ſatis, ſuperque dixit doctiſſimus P. MARIANA, quin

opus

opus ſit, fuſius a me hoc amplificari argumentum.

VIII. *His ad hunc modum conſtitutis, priuſquam reliqua colligantur, gravis ac difficilis ſupereſt nobis luctatio, debeant Principes hos ludos, quamvis vanos, & turpes tolerare ad oblectandum multitudinem, ut tali ſpectaculo ſoluti, cura majori animo labores repetant, quibus Reſpublica ſuſtinetur, artifices, fabri, agricolæ, quemadmodum lupanaria infima conditione hominibus, ne majora flagitia aggrediantur, paſſim conceduntur . . . . . . & ſuppetunt in utramque partem argumenta, neque ipſe in magno ponam diſcrimine, utrovis modo ſentiamus. Nam neque ſperabam noſtra diſputatione malum convelli penitus poſſe, quod, ut video, altas radices egit multis viris Principibus etiam ex eo numero, qui ad Reipublicæ gubernacula ſedent (quæ graviſſima peſtis eſt) vana perſuaſione occupatis, dandas populo id genus oblectationes: & ſatis habeam, ſi quorum ipſis ſalus curæ eſt, noſtro labore admoneantur, noxiam oblectationem hanc eſſe, neque ſine periculo animæ quæri. Fortaſſe enim, re cognita nonnulli privatim ceſſabunt, prudenteſque Magiſtratus publice eam turpitudinem repudiabunt, multorum ſalutem inani voluptate potiorem judicantes. Nam eo inclinabat animus, ut exiſtimarem cum multis, Cœlio Rodigino* l. 8. c. 7. *Petro Gregorio* in ſynt. jur. p. 3. l. 39. c. 35. *& aliis, e Republica fore, ſi hiſtriones pretio venales penitus removeantur. Omnes enim pecuniæ vias noruut, & pecuniæ cauſa omnes turpitudines ſuſcipiunt inſtillantque aliis. Quæſtuaria arte exhauriunt pecunias, & veluti ſopitis voluptate ſenſibus, latenter extorquent, quas non minori turpitudine inſumant. Otio, & deſidia, ut torpeant Cives efficiunt, quæ omnium vitiorum radix eſt. Vitiis omnibus, & fraudibus viam muniunt, libidini maxime, quæ auribus, & oculis ſuſcipitur. Divinum cultum imminuunt diebus feſtis, cum vacandum eſſet rebus Divinis, populo ad ſpectacula attracto, quæ peſtis omnibus piaculis procuranda videbatur. Quod ſi non obtinent, ut ludi ſcenici penitus amoveantur, & placet nihilominus eam oblectationem populis dare, quod vis, & æquitas poſtulare videtur, impetrare certe cupimus, ut delectus aliquis ſit, neque promiſcue licentia quidvis Hiſtrionibus agendi concedatur, ſed legibus certis circumſcribantur, & finibus, quos nemo impune transgrediatur . . . . Tametſi nullis legibus putabam furorem hunc ſatis frænari. . . . Omnino populus intelligat, Hiſtriones, quos omni ex parte contineri poſſe non puto, ut a turpitudine abſtineant, non probari a Republica, ſed populi oblectationi, atque importunæ flagitationi dari a Magiſtratu, qui cum non poteſt, quæ ſunt meliora obtinere, debet minora mala tolerare.*

IX. Reipſa nequeunt Hiſtriones ab obſcœnitate ſibi temperare. Quid? Repræſentant argumenta obſcœna, fabellas Poetarum omnes aut lue venerea inquinatas, & fraudibus amaſiorum, & amaſiarum immixtas, aut iræ, ſevitiæ, crudelitatis, ambitionis, faſtus veneficio inquinatas: hæc omnia repræſentant juncti amaſiunculis ſuis, femellis nempe expudoratis, & ab obſcœnitate ſibi temperabunt? Monſtra hæc ſunt, & chimeræ ſplendidiſſimæ. Intelligat ergo populus, Principes hæc ſpectacula permittere, quemadmodum lupanaria, ut majora declinent mala. At ſicuti ex tolerantia ſcortorum non conſequitur, licitas Chriſtianis eſſe fornicationes: ita ex Theatrorum permiſſione colligere nemo jure valet, licitum fore Comœdiarum, & Tragœdiarum turpium, ut omnes ſunt, quæ hodie in Theatris publicis recitantur, Mimorum, & Mimarum, ſeu meretricularum ope, aſpectum.

APPENDIX ALTERA

De ſpectaculo agitationis Taurorum, & ſacris repræſentationibus, quæ fieri in Hiſpania ſolent.

CAPUT I.

Licitane ſit Taurorum agitatio, quæ fieri in Hiſpania conſueſcit?

I. P. Mariana cap. 16. perdocte more ſuo diſputat, expediatne meretricum permiſſio, eamque invictis, ſatiſque luculentis argumentis exagitat; & plura huc ſpectantia ediſſerit cap. 17. & 18. Deinceps cap. 19. agitationis Taurorum originem reſerat, & cap. 20. tandem expendit, licitane hæc agitatio, ut fit in Hiſpania, ſit? Litis iſtius deciſio ex facti qualitate unice pendet. Crimine inquinatam evincunt quatuor Pontificia diplomata, S. Pii V. Gregorii XII. Sixti V. Clementis VIII. Verum, quia in dies moderari, & juſtis circumſcribi terminis hæc agitatio valet: idcirco ex his Pontificiis documentis inferri continuo legitimeque non poteſt, hac ætate noſtra vitioſum, & criminis plenum eſſe præfatum ſpectaculum, quia coerceri intra juxta confinia potuit. Nemo melius, quam Auctor noſter, cum ſit & ipſe Hiſpanus, dirimere hanc controverſiam valet. Ex illo ego pauca, quæ rem conficiunt, delibabo.

II. Et primum, ad originem quod attinet, e ſuperſtitione eam dimanaſſe certum eſt. Mos Romanorum erat, inquit Mariana cap. 19. ut in exequiis defunctorum ſervos mactarent, quaſi alieno malo proprium levarent dolorem. Tam immani conſuetudini ſubſtituti fuere gladiatores pretio empti, qui in mortuorum funere dimicantes, proprio cruore manes placarent. Tandem adjectæ feræ ſunt, quibuſcum homines confligtantes crudele ſpectaculum exhibeant, *venationeſque* appellabantur. Heinc ludi Taurii, qui in Circo Flaminio edebantur, ut teſtatur Varro *lib.* 4. ex impio Deorum cultu, non ſecus ac ceteri prodiere. Uſque eo ſuperſtitio homines dementaverat, ut in humani ſanguinis effuſione voluptatem conſtituerent. Gladiatores ſuſtulit Conſtantinus, & aliorum Principum incuria renovatum morem penitus ſuppreſſere Arcadius, & Honorius. Ludi quoque Taurii, ſeu pugna hominum cum Tauris ceſſarunt. Hic tamen mos, aut nunquam in Hiſpania, pergit Mariana, ſublatus fuit, *aut intervallo repetitus eſt in noſtra gente, quod ſpectaculis imprimis ſit dedita*. Accedit, quod ſint in Hiſpania ferociſſimi Tauri, locorum ariditate, & pabuli natura aucta ferocia. Igitur quæ res deterrere maxime oportebat, ne laniari homines deberent, ea res vehementius accendit gentem, in arma promptam, ingenio inquieto, ut Taurorum agitationem vehementer expetat, uſque eo ut quo ferociores Tauri ſunt, & plures homines perimant, eo ludiis majorem voluntatem pariat. Paucis indicata agitationis Taurorum origine, ad id, quod caput eſt, accedo.

III. Patres, & graviores Theologi, ut ſævam, truculentam, & humanitati infeſtam, execrati hanc Taurorum agitationem ſunt. Caſſiodorus *l.* 5. *Epiſt.* 42. hæc docet: *Actus deteſtabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores ſe non dubitat invenire: ſola eſt ergo in fallendo præſumptio: unicum in deceptione ſolatium, qui ſi feram non mereatur effugere, interdum nec ſepulturam poterit invenire. Adhuc ſuperſtite homine, perit corpus, & antequam cadaver efficiatur, truculenter aſſumitur. Hunc ludum crudelem, ſanguinariam voluptatem, Religionem impiam, humanam feritatem, Athenienſes primi Civitatis ſuæ perduxere culturam. Itur ergo ad talia, quæ refugere deberet humanitas.*

IV. S. Thomas de Villanova Archipræſul Valentinus trucem morem deteſtatur, & Hiſpanos ſuos ſævi ſpectaculi cultores cæcitatis objurgat *Conc.* 2. *de S. Joan. Bapt.* his verbis. *Certe, quis tolleret beſtialem illam, & diabolicam conſuetudinem Hiſpaniæ noſtræ de tauris exagi-*

gitandis? Quid beſtialius, quam ſtimulare brutum, ut homines laniet! O dirum ſpectaculum! O ludum crudeliſſimum! Vides fratrem Chriſtianum ſubito a beſtia laniari, & non ſolum vita corporis, ſed & vita animæ privari, & delectaris, & voluptatem capis? Quanto ſtudio laboraverunt Sancti Doctores, ut ſpectacula atrocia, & obſcœna ab Eccleſia removerent? Factum eſt hoc: Sola Hiſpania ritum hunc Gentilium obſervavit in diſpendium animarum. Et non eſt qui redarguat, & prohibeat. Ego autem, etſi ſcio, quod non proderit, faciam, quod debeo, ut animam meam liberem. Itaque denuntio vobis in nomine Domini Jeſu Chriſti, quod omnes, qui hoc agitis, vel conſentitis, vel non prohibetis, cum poſſitis, non ſolum mortaliter peccatis, ſed eſtis homicidæ. Nec ſolum vos, ſed & ſpectatores non ſunt omnino tuti a mortali, quamvis eos non audeam condemnare.

V. Licitane ſi hæc Taurorum agitatio, diſputant in utramque partem Hiſpani Theologi. P. Mariana cap. 20. utriuſque partis argumenta refert. Qui crimine inquinatam dicunt hanc agitationem, evincunt ex *cap.* 1. *de Torneamentis*, ubi Concilium Lateranenſe prohibuit, milites ad virium ſuarum oſtentationem congredi, quod inde ſæpe hominum, atque adeo animarum mortes provenirent. Hæc hominum mors perinde evenit in Tauris ferocibus agitandis; ut manifeſta experientia conſtat. Præterea ſexta ſynodus Generalis *can.* 51. quemadmodum Mimorum ſpectacula, ita venationum corruptelam ſæviſſimam, qualis eſt Taurorum agitatio, ſevere prohibuit. Proinde enim eſt cum Leone, aut cum Tauro pugnare, nec refert, inquit Cardinalis de Turrecremata *ad cap.* 18. *de venatorib. D.* 86. quod beſtia, quacum pugnandum eſt, dentibus, an cornu armata ſit, & feriat, cum par utrimque periculum immineat. Concilium Arelatenſe I. *can.* 4. hæc contra agitatores ſtatuit: *Placuit eos quandiu agitant a Communione ſeparari.* Idemque ſtatuit Arelatenſe II. *can.* 20. Agitatores autem ii intelliguntur, qui cum beſtiis pugnabant, quique & *Venatores* dicebantur.

VI. Nec eſt, quod reponatur temeritate ſua perire, quicumque perit; cum nemo cogatur talem cum beſtiis ſubire conflictum. Quoniam etiam ad Comœdiam obſcœnam ſponte omnes accedunt, nec propterea crimine vacant. Nec Patres, præſertim Cyprianus, minus damnant antiquos Romanos, quod veſte pretioſa, ætate integra, ſe feris objicerent, & in ultroneum funus irruerent. Si bos cornu quempiam percuſſiſſet, occidi jubebatur *Exod. cap.* 21. & eidem pœnæ ſubjectus dominus erat, ſi admonitus, quod bos eſſet cornupeta, illum non cuſtodiſſet. Quanto itaque ſeverius plecti merentur illi, qui in mediam multitudinem ferocientem Taurum producunt, qui tunc, inquit P. Mariana, maxime placet, cum plures ad terram proſtrat, adeo, ut Conchæ, quæ Urbs nobilis eſt in Celtiberis, Taurus, qui ſeptem occiderat homines, immortalitati conſecratus fuit, rei geſtæ imagine pictura expreſſa in loco publico, quod amentiæ & immanitatis monumentum eſt. Nec caſu hæc eveniri dici poteſt, cum frequenter contigant. Plura deinde tale ſpectaculum conſequuntur crimina: faſtus ex apparatu veſtium, ambitioſoque ornatu: luxuries ex conviviis æquo lautioribus, & promiſcuo mulierum, & virorum conventu: ira, & immanitas ex aſpectu ſanguinarii conflictus.

VII. Opponunt ex altera parte Hiſpaniæ conſuetudinem ab antiquis ductam temporibus, quæ licet aliquando interrupta, identidem reſtituta viget Magiſtratuum cura. Accedunt Theologi, qui licitum ejuſmodi ſpectaculum defendunt, ut Joannes Medina *de reſt. q.* 21. Bartholomæus Medina *l.* 1. *c.* 14. §. 28. Navarrus *in Man. c.* 15. *n.* 18.

VIII. Controverſia hæc tanti non eſt, ut longiorem requirat diſputationem. Nam ſi hæc Taurorum agitatio ea cautione fiat, quæ periculum amoveat, ne hominum interitus, & mutilationes ſequantur, licita eſt, & criminis expers: ſi contra periculum iſtud conjunctum habeat, illicitam & vitioſam eſſe, inficiari nemo valet. Ad factum autem quod attinet, nempe ſit nec ne hæc tauria agitatio cauta, moderata, & cujuſque periculi gravis expers, illi definire tantum poſſunt, qui præſentes adſunt. Prætentis temporibus intra juſtæ moderationis confinia coercitum ejuſmodi conflictum non fuiſſe evincunt quatuor Pontificia diplomata. S. Pius V. an. 1567. ſua Conſtitutione, cujus initium

tium eſt: *Pius Epiſcopus &c. De Salute gregis Dominici &c.* ſub excommunicationis pœna omnibus Principibus, & Regibus prohibuit, ne hæc cruenta, turpiaque Dæmonum ſpectacula fieri permitterent: quam pœnam omnibus cum feris congredientibus, ſive pedeſtres eſſent, ſive equeſtres, inflixit, & ibidem mortuos ſepultura Eccleſiaſtica privavit. Eidem quoque excommunicationis pœnæ ſubjecit omnes Eccleſiaſticos, tam Regulares, quam Sæculares in Sacris Ordinibus conſtitutos, aut beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, qui ejuſmodi ſpectaculis adfuiſſent præſentes. Anno porro 1575. Gregorius XIII. ſuo diplomate, quod incipit: *Gregorius Papa &c. Exponi nobis &c.* excommunicationem, aliaſque eccleſiaſticas pœnas, quo ad laicos, & fratres milites tantum, dummodo dicti milites Sacris ordinibus initiati non eſſent, ſuſtulit. Quoniam vero Theologi Salmanticenſes nonnulli, juriſque civilis profeſſores, licite intereſſe ejuſmodi ſpectaculis voce, & ſcriptis propugnabant, Sixtus V. an. 1586. ſuo diplomate, quod incipit: *Venerabili Fratri Epiſcopo Salmantino &c.* Conſtitutiones Pii V. & Gregorii XIII. confirmavit. Tandem Clemens VIII. an. 1596., inſtante Hiſpaniarum Rege, qui exponi curavit, pœnas latas ab anteceſſoribus Pontificibus, nihil hactenus profuiſſe, immo plurimos in eaſdem incidiſſe, & graviora, quam antea, mala promanaſſe; eaſdem cenſuras abolevit, quibus tamen obnoxios reliquit Monachos, Fratres Mendicantes, ceteroſque cujuſque Regularis Inſtituti, & Ordinis. Præcepit tamen Pontifex Summus, ut ea diligentia, & moderatione Taurorum agitationes coercerentur, ne inde hominum interitus ſequerentur. P. Mariana, qui integra hæc recenſita quatuor diplomata Pontificia exhibet, hæc ſubdit. „ Ne „ in hoc diplomate (Clementis VIII.) „ quidem de conditione ludi aliquid ſtatuitur, ſit ne rebus honeſtis, an illicitis annumerandus. Ex ipſa natura „ rei, aliiſque conditionibus dijudicanda „ ea quæſtio relinquitur, quæ ſunt ſupe„ rius productæ „. Deinde concludit. “ *Ac ne video quidem majorem diligentiam hoc tempore adhiberi, ne cujuſquam mors in agitatione ſequatur, quod præcepit Pontifex, quam ante quinquaginta annos fieri conſuevit.*

IX. Unde colligitur, quam ſit chimæricum illorum Conſilium, qui ſpectacula voluptate & laſcivia plena corrigenda ſuggerunt, non abolenda, cum ipſa ſpectacula crudelia, ſanguinaria, & humanitati repugnantia corrigi vix poſſint. Quæ enim humanarum affectionum, ſeu paſſionum pabula ſunt, & nutrimentum, facilius tolluntur, quam intra honeſtatis confinia reſtringantur. Qui enim ſunt, qui cum beſtiis congrediuntur? Homines ſcilicet beſtiales, ſuperbia, & feritate turgidi, qui, ut virium ſuarum, & animi fortitudinis, & corporis agilitatis oſtentationem præbeant ſpectatoribus, cujuſque moderationis frænum excutiunt, & in mortis pericula, ceu ebrii furore, & amentes, ſeſe conjiciunt. In pluribus Italiæ Civitatibus Tauri agitantur longo fune conſtricti omni periculo ſublato. Verum talem adhiberi cautionem in Hiſpania ſperare quis poterit? Tauri ferotiores ſunt, & gens antiqua conſuetudine, & moribus præventa, quod Taurorum agitatores præbere ſuæ fortitudinis, pernicitatis, dexteritatis, & temeritatis argumenta debeant, ſi Tauros quemadmodum in Italia, agitarent, probro, & ludibrio, non plauſui, & admirationi, ſpectatoribus ſe futuros timerent: idcirco nulla in iiſdem ſperari moderatio poteſt. Quamobrem aut tollenda ejuſmodi ſæva, & ſanguinaria ſpectacula, quod vix deſiderare, ne dum ſperare licet: aut omnes, qui ſuam æternam ſalutem potiorem, quam crudelem, & ineptiſſimam voluptatem habent, ab ejuſmodi ſpectaculis penitus abſtineant. Si Confeſſarii ſuas implerent partes, abſolutionem omnibus, qui ejuſmodi interſunt ſpectaculis, denegando, continuo aut ceſſarent ſpectacula, aut numerus ſpectatorum diminueretur. Plures enim Chriſtiani peccant ob Confeſſariorum graviſſimam incuriam, & ignorantiam minime excuſandam.

X. Præfata igitur Taurorum ſpectacula abolenda P. Mariana docet, inquiens cap. 20. „ Suſceptus in Hiſpania mos, „ & longo tempore confirmatus, ut re„ cedamus a ſententia, non movet. „ Multa in omnibus nationibus negli„ guntur crimina, præſertim ſi Patroni „ adſint fucata ratione *fallaces viri Theo-* „ *logi* „

„ logi, quorum quanta ſæpe ſit libertas „ pronuntiandi, quanta quibuſdam cupiditas populo placendi, ſcimus omnes : „ *& eſt miſerum negare non poſſe, quod* „ *pudet confiteri*, quæ magna eſt noſtri „ ordinis calamitas, nihil eſſe tam abſonum, quod a Theologo aliquo non „ defendatur. Nam voce præconis non „ ſatis ſingulorum periculis providetur, „ ac ne fieri quidem fortaſſe poteſt, ut „ cædes & vulnera non conſequantur in „ tanta plebis temeritate, ut Gregorius „ Lupus affirmat ad *lib.* 57. *tit.* 5. & „ poſtremum cap. 25. concludit." *Totum igitur ſcenæ apparatum reprobamus, Hiſtrionum artes, & turpitudinem: Tauros in arenam producere nefas eſſe affirmamus, tetrum, ac crudele ſpectaculum, ſcorta amovenda decernimus, ætatis teneræ labem. Hoc noſtrum judicium eſt, ſententiaque æternum ſtabit. Quanta itaque voce poſſum proclamo ac denuncio, faceſſant turpitudines, & probra, corruptelæ morum amoveantur; nullum nobis cum Theatro, nullum cum circo, nullum cum lupanaris fœditate commercium, genti ad ſanctitatem genitæ, tantiſque præſidiis ad omnem probitatem directæ, RUMPANTUR licet; quicumque ſe populo probare contendentes, has populo, & ſimiles oblectationes concedi volunt, argumentis inducti haud ſatis idoneis.*

XI. Tandem diſputationis parte extrema poſt reſcripta Tertulliani ſpectacula, quæ Chriſtianæ genti contemplanda exhibentur, hoc pacto finem imponit. *Ne nimium ſeveri, & rigidi videamur, neque mores noſtros antiquæ diſciplinæ pares eſſe, quis contendat, alias oblectationes dabimus, ſed neque obſcœnas, neque noxias. Concurrant inter ſe equites peditesque ludicro certamine in juſtæ pugnæ modum, cum ſingulis ſinguli, aut facto agmine. Curſu juvenes, lucta, jactuque certent, præmiis etiam victoribus propoſitis ad aſcendendum certamen. Inter ſe ex equis jaculentur Mauricæ pugnæ genere, qua alterius agminis pars magno impetu primum procurrit, miſſiſque in adverſarios arundinibus, jaculorum imagine, pedem referunt, ceduntque prementibus adverſariis, quos excipit pars altera agminis, quaſi in ſubſidiis relicta, hanc ex adverſa parte alii. Ludus ſic continuatur, quæ ſunt omnia bellorum imitationes, & imagines, viribus corporis exercendis idonea, dexteritateque comparanda. Neque minus utile erit de ſagittandi peritia certamen conſtituere, globiſve a ferreo tubo flamma eluctante ejaculatis in modum fulminis, ſigno propoſito, contendere, præmio deſignato illi, qui primus collimaverit: quod in aliis nationibus fieri ſcimus publico commodo, fructuque maximo. Addantur tripudia more Hiſpanico, choreæ, tibiæ, & timpani ſonitum pedum pulſu modulante. Adjiciantur alia quæcumque humana ſagacitate, & induſtria excogitari ad oblectandum populum poterunt: tantum a turpitudine, & ſævitia, quod decet Chriſtianos mores, abſtineatur. Nihil obſcœnum, ſic, quod libidinis æſtum pruriet, nihil crudele, quod a Chriſtiana pietate abhorreat. Sed novi pravorum hominum pertinaciam: numquam impetrabimus, ut fœditate relicta, meliora conſilia, & ſalutaria præcepta ſequantur: malorum caligine inducta cæci ſunt, atque in altiſſimis tenebris jacent. Venenum mortiferum facilius hauſerint, quam ut recta monentibus. Quid igitur, operamne perdemus? minime. Nam ſi retinere eos a morte, ad quam magno impetu currunt, non valebimus, ſi ab errore ad veram viam, a tenebris ad lucem revocare, quoniam ipſi aures obſtruxerunt ſuas, alios tamen confirmabimus, quorum non eſt ſtabilis adeo in malo, ac ſolidis radicibus fundata, & fixa ſententia, ne voluptatibus ſe ſcientes ingurgitent, neque obſcœnis ſpectaculis & tetris animas ad ſanctitatem genitas polluant, ſcienteſque & prudentes æternis cruciatibus immortalitatem veris pietatis cultoribus a Deo propoſitam mutent. Quod ſi contigerit, ut noſtro labore aliqui ſaltem excitati cautiores evadant, haud inutiliter poſitam eſſe operam arbitrabimur.*

C A P U T II.

Quam turpe ſit in Dei Templa Cantores Theatrales inducere. Sanctorum acta in Theatris Mimorum arte referre ſacrilega profanatio eſt.

I. In Hiſpania conſuetudinem longo tempore & multitudinis aſſenſu firmatam obtinere ferunt, qua ſolemniora feſta comœdiarum repræſentatione celebrari ſolent. Vix inducere mihi in animum poteram, ut crederem inclytam

Na-

Nationem, quæ ab hæreſum peſte Chriſti dogmata, non interrupta ſæculorum ſerie integra ſtrenue cuſtodivit, vindicavitque: quæ viris ſanctitate & doctrina præſtantiſſimis ſemper, ſi qua alia, abundavit, & in dies ſingulari Dei miſericordia redundat, temerare, & polluere Chriſtianæ Religionis puriſſimam Sanctitatem profana comœdorum repræſentatione potuiſſe. Et tamen ita ſe res habet, ut libri typis editi teſtantur.

II. P. Mariana cap. VII. gravi oratione exaggerat nefas & dedecus, quod Divis irrogatur, dum Comicorum ore, & geſticulationibus illorum acta repræſentantur. Refert Ariſtidem Sophiſtam Smyrnenſes redarguiſſe, quia Deorum feſta comœdiis celebraſſent. S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Civit. Dei cap.* 13. antiquos Romanos deridet, quod Hiſtriones infamia notarent, & eorum mimicis repræſentationibus Deorum cultum celebrarent. *Reſpondeatur mihi* (inquit Auguſtinus) *qua conſentanea ratione homines ſcenici ab omni honore pelluntur, & ludi ſcenici Deorum honoribus admiſcentur? illas Theatricas artes diu virtus Romana non noverat, quæ etſi ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, & vitio morum reperent humanorum, Dii ea ſibi exhibere petiverunt. Quomodo ergo abjicitur ſcenicus, per quem colitur Deus? Et Theatricæ illius turpitudinis qua fronte notatur actor, ſi adoratur exactor?* Tacitus *lib.* 14. refert Romanos ipſos hanc Religionis profanationem cognoviſſe, atque Hiſtriones Templis prohibuiſſe, inquiens: *Ac ne modica quidem ſtudia exarſere, quia redditi quamquam ſcenæ pantomimi, certaminibus ſacris prohibebantur.* Qua ergo fronte, clamat P. Mariana, Hiſtriones muſici de publicis, profaniſque Theatris in Chriſti Templa inducuntur, ut per eos ſacra feſtorum lætitia augeatur? Quid, quod Eccleſiaſticæ leges ſacris ordinibus eviratos comœdos indignos declaraverunt *D.* 33. *Can. Maritum*. Et qui a ſacris Ordinibus repelluntur tamquam infamiæ nota denigrati, eorumdem opera Divinus cultus illuſtrabitur? Quis non videt morem hunc Religionis Sanctitati fore exitialem, & Catholicæ Reipublicæ dedecus ſummum, & Chriſtiani nominis dignitati incredibilem contumeliam afferre? Quanta hinc ſcandala? Quanta Templorum profanatio, quanta divinæ Majeſtatis contemptio? Terga vertunt Chriſtiani Sacramentali Hoſtiæ, Divinæque præſentiæ, ut eviratos Comicos liberius audiant, iiſdem plaudant, & Sacratiſſimum Templum in Theatrale tripudium ſacrilega temeritate tranſmutant. Et eo tenebrarum, & funeſtiſſimæ cæcitatis perventum eſt, ut tantum ſacrilegium in conſuetudinem abierit, & ingenti aureorum copia impudentiſſimi Hiſtriones ad Dei laudes polluendas conducantur.

III. Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in ſua Epiſtola Encyclica pro ſancta Anni Jubilei celebratione data anno 1749. hæc inter alia Idiomate Italico ſcribit. *Non v' è però veruno chè non condanni il canto Teatrale nelle Chieſe, e non richieda una gran differenza tra il canto Eccleſiaſtico, e quello delle Scene.* Quæ verba ſic latina reddo. *Nemo tamen eſt, qui cantum theatralem in Eccleſiis non improbet, quique magnum non requirat diſcrimen, cantum Eccleſiaſticum inter, & illum Scenarum.* Quiſnam autem cantus Theatralis, & Scenicus? Qui a Mimis, qui ab eviratis viris infamiæ nota ſignatis editur. Porro, ſi, definiente Pontifice Summo, nemo eſt, qui ejuſmodi ſcenicum cantum in Eccleſiis non damnet, non deteſtetur, qua conſcientia Theatrales Muſici a ſcenis ad Eccleſias traducuntur? Hi quippe Divinarum laudum majeſtatem deturpant, celeſtis doctrinæ ſanctitatem inquinant, non pietatem, non ſpiritualem devotionem, non animi puritatem excitant, ſed ad mollitiem, ad impurum amorem, ad carnalem voluptatem auditores provocant, accenduntque. Qui hac de re plura cupit, conſulat Commentarium in Sanctam Pontificiam Epiſtolam editum ab erudito viro Petro Pompilio Rodota.

IV. Quid vero dicam de altero incredibili Sacrilegio, quo Sanctorum Petri, Franciſci, Dominici, Magdalenæ Acta, & ipſius Chriſti ſanctiſſima Paſſio in publicis Theatris Mimorum, & Mimarum artificio exhibentur? Integra volumina idiomate Hiſpanico typis edita iſtiuſmodi Comœdiis, & Tragœdiis conflata niſi ipſe legiſſem, numquam induci potuiſſem, ut monſtrum adeo portentoſum crederem. Divorum hiſtoriis immiſcentur

actus

actus intermedii turpiſſimi, & a Mimis, ac Pantomimis obſcœniſſimis geſticulationibus, ad riſum, ad venerem, & ad omne flagitiorum genus promovendum aptiſſimis peraguntur. Cum hæc fieri in Hiſpania recogito, eo acerbiore afficior dolore, quoniam præclaram & celeberrimam gentem majori propter obſequio, & veneratione. Quid quæſo refert dogmata Catholica, quæ mentem illuſtrant, acriter defendere, ſi morum & ſanctitatis fundamenta & mandata, quæ animarum integritatem ſervant, penitus ſuffodiantur? ſi religio ipſa in deriſionem & ludibrium adducatur? Si a me perconteris quodnam duorum ſcelerum enormius ſit, atque deteſtabilius, nempe prophanæ, an ſacræ Comœdiæ? mallem profanas Comœdias & Tragœdias Cleopatræ, Semiramidis, Soffonisbæ &c. ab Hiſtrionibus agi, quam ſacras Divorum Hiſtorias in ſcenam ab iiſdem ſummo dedecore, & turpiſſimo ore profanari.

Et ut paucis rem perſtringam, quo tendunt ejuſmodi ſacræ, ideſt ſacrilegæ Divorum Comœdiæ? Ut Deo, ſanctiſque cultus exhibeatur. At cultus Deo & ſanctis ſuis contra Eccleſiæ ritum exhibitus, ſuperſtitioſus eſt. Ut Auditores ad devotionem, ad pietatem excitentur, Theatra ne, quæ omnium Patrum conſenſu ſunt Veneris gymnaſia, Dæmonum domicilia, templa erunt in quibus Chriſtiani ſancti fiant? Revera, inquis, plures lacrymas fundunt, dum ejuſmodi ſpectacula contemplantur. Sæpe quoque lacrymantur ebrii? Lacrymæ iſtæ tenerioris, imbecilliorisque naturæ, non comicæ repræſentationis fructus ſunt. Profligati pudoris Mimæ, & turpiſſimi Hiſtriones e ſcena caſtitatem, & probitatem auditores docebunt? aut tandem eo ſacræ iſtæ repræſentationes tendunt, ut Auditores exhilarent, recreent, feſtivoſque efficiant, quæ eſt omnium perverſitatum graviſſima. Quid? Sanctiſſima Chriſti paſſio, heroica Sanctorum pœnitentiæ, caſtimoniæ, cœleſtium meditationum geſta, erunt riſus, ſolatii, & voluptatis argumenta? Nullum non moverunt lapidem viri Sancti, ut Mimos, & Mimas exterminarent: ut Theatra, ſcenaſque diruerent: ut omnem turpitudinis, & obſcœnitatis occaſionem ſubmoverent. Et tempus advenit, in quo ipſa Sanctorum piiſſima geſta in execrata ab ipſis Theatra, in ſcenam prodirent, fierentque vanitatis, & Theatrici Solatii, & carnalis voluptatis materia Hiſtrionum ore ludicris actibus obſcœniſſimis permixta repræſentanda. Superat omnem fidem, & totius eloquentiæ vim excedit ſuperſtitioſæ profanationis perverſitas.

Sed quid ultra rem producimus? Vani ſunt conatus noſtri, ſterileſque labores, niſi Confeſſariorum accedant ſubſidia. Miniſtri Dei, qui Magiſtratibus, Principibus, & Regibus ſunt a Confeſſionibus, & a Conſiliis, mederi tam ſacrilegæ corruptelæ valent. Ipſorum eſt & ſupremis Poteſtatibus ſuggerere, ut Religionem Chriſtianam, & propriam gentem liberent a tam probroſo dedecore. Ipſorum eſt, ſpectatores a Sacramentis arcere, niſi a fovenda propria præſentia tanta perverſitate abſtineant. Sed, quod deplorari ſatis nequit, nimium confirmari perſpicimus S. Caroli Borromei effatum, Confeſſariornm nempe incuria, ignorantia, humanoque reſpectu evenire, ut in omni fere arte, profeſſione, & ſtatu, corruptelæ, abuſus, & ſcelera paſſim graſſentur.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA

ADVERSUS SPECTACULA

QUÆ

In nonnullis Regularium clauſtris repræſentari carniſprivii tempore ſolent .

PRÆLOQUIUM.

NON minores turbas ciendas fore adverſus hanc , quam contra ſuperiorem Diſſertationem, ipſe equidem præſentio , quod carpere illorum corruptelam , moreſque aggrediar , quorum eſt , Divinas leges interpretari , exterminare vitia , curare infirmos, & delinquentes in virtutis ſemitam revocare. Quid? (obganient nonnulli cauſſam propriam orantes) quorumdam Regularium Comœdias, & abuſus in apricum, publicumque conſpectum traducis? Quid offendicula Chriſtianorum auribus ingeris? Scandala , & quidem gravia iſtiuſmodi ſcripta pariunt : deriſionem , contemptionemque Religioſorum hominum inducunt , ſecus correctionem, & profectum . Scilicet : Quoties SS. Eccleſiæ Patres in flagitia ſive Chriſtianorum , ſive Clericorum invecti ſunt, protinus hominum iniquorum maledicta experti fuere. *Scio me* (inquit S. Hieronymus Epiſt. ad Monach. Ruſticum) *offenſurum eſſe quamplurimos , qui generalem de vitiis diſputationem in ſuam referunt contumeliam , & dum mihi iraſcuntur , ſuam indicant conſcientiam , multoque pejus de ſe quam de me indicant... Prudentis viri eſt ac prudentium feminarum diſſimulare, imo emendare, quod in ſe intelligant, & indignari ſibi magis , quam mihi , nec in monitorem maledicta congerere*. Plurima hac de re S. Bernardus in Apolog. ad Gulliel. ſcribit . *Non adverſus ordinem* , inquit , *ſed pro ordine diſputare putandus ero . Non ordinem in homines, ſed hominum vitia reprehendo . Et quidem diligentibus ordinem in hac re moleſtum me fore non timeo. . . . Si quibus vero diſplicuero , ipſi ſe manifeſtant , quia Ordinem non diligunt , cujus utique corruptionem , & vitia damnari nolunt* . Si quæ improbanda ſuſcepi , intra Clauſtra latitarent, alto premenda ſilentio forent. At reſonant per vicos , & plateas, omniumque ore circumferuntur , atque damnantur. Viros itaque Religioſos humillime admoneo , & enixis precibus exoro , ut altius recogitent , ſe interceſſores eſſe apud Deum pro populo; & Sacerdotes , qui incruentum Sacrificium immolant, ut placabilem Divinæ vindictæ furorem , & propitiam efficiant miſericordiam erga fideles , a quibus eleemoſynas quotidianas , & bona , unde ſuſtentantur , in hunc finem accepere, accipiuntque in dies . Porro cum in ipſis ſacris clauſtris illi ipſi Theatra erigunt , ſcenas aperiunt , amatoria dramata , & fabulas nemorenſes , ſacris veſtibus poſitis , & profanis Mimorum , & Mimarum aſſumptis recitant , non jam advocati, & interceſſores pro populo apud Deum , ſed perfidiæ & impietatis fontes, Dei iram, furoremque & in ſe, & in populum ſuccendunt , atque tremendam vindictam provocant , irritantque . Quid plura? Populum Chriſtianum , quem retrahere, qua piorum operum exemplo , qua Evangelicis adhortationibus , qua precum fervore ab iniquitatis via deberent ; ad præfatas corruptelas potentius urgent illo ipſo bacchanaliorum tempore,

quo

quo Dæmones collatis viribus generale bellum Evangelio Chriſti intentant. Enim vero ſiccine inter ſe colloquuntur mundani homines: Qua fronte vetita nobis Theatra, choreæ, & Comœdiæ inclamant hodierni Concionatores, & Confeſſarii pauci, ſi intra ipſorum clauſtra illimetipſi vaniſſimis muliercularum indumentis ornati, criſpati, & cincinnati, comicos agunt, amaſiorum, & amaſiuncularum perſonas referentes, amoris, & concupiſcentiæ negotium tractant, & nonnumquam impudentius, obſcœniuſque, quam ipſi de mundo Mimi, & Mimæ? Quis itaque eſt, qui non videat, hanc Theatricam corruptelam in nonnullis clauſtris graſſantem, ingentem malorum cladem parere, fructum Divini Verbi intercipere, Concionatorum adhortationibus vim adimere, atque in Chriſti Eccleſiam funeſtiſſima invehere ſcandala? Quamobrem JESU CHRISTI caritas, ſacrorum Ordinum decus cuſtodiendum, Catholicæ Religionis fama ab Hæreticorum calumniis aſſerenda, nos urgent, atque impellunt, ut pro modulo, & tenuitate noſtra exitioſas Comœdias, & prophana Theatra e Regularium Clauſtris eliminanda, penituſque exterminanda ſuadeamus.

CAPUT I.

Regulares, qui propriæ Religionis habitum exuunt, & laicales, ſeu Theatrales veſtes induunt, ut in ſuis Cœnobiis Comœdias profanas repræſentent, peccant mortaliter. Gravius vero peccant Superiores id permittentes, aut pro viribus non impedientes, nulla excuſatione ſuffragante.

I. UT omnia in anteceſſum perfugia occludam, de ea conſuetudine prava in præſentia mihi ſermo eſt, quæ in nonnullis Cœnobiis ſerpit. Ejuſmodi autem eſt: Regulares aliqui Bacchanaliorum tempore illas ipſas Comœdias, quas in publicis Theatris agunt Hiſtriones, aut illis ſimillimas in ſuis Cœnobiis repræſentant. Theatra & ipſi, ſcenaſque erigunt, veſtes a laicis conquirunt, Theatricis actionibus aptas, viriles nempe, & muliebres, prout Actorum diverſitas poſtulat. Trium horarum, aut quatuor plus, minuſve ſpatium in actionibus ſuis inſumunt. Amicos, alioſve ſæculares homines ad ſpectandum admittunt aliqui, aliqui ſeverioris inſtituti omnes excludunt. Hic eſt mos, qui apud quoſdam obtinet Cœnobitas. Et de hoc more nos diſputare aggredimur. De repræſentationibus ſiquidem ſacris, aut de ludicra aliqua actione privata infra verba faciam. Diſputationem autem claritatis gratia, octo in capita tribuo. In hoc ſolam veſtium mutationem: in ſequenti actionem ipſam Theatricam expendam. Poſt ſophiſmata diluam.

II. Trita penes Theologos eſt diſtinctio Spoliationis habitus Monachalis ab ejuſdem *Temeraria Dimiſſione*. *Spoliationem* appellant, dum Monachus quidquam ſibi aut neceſſarium, aut conveniens agere vult, quod vix cum habitu præſtare valet: atque adeo rationabili cauſſa ductus habitum deponit, ut dormiat, laboret, propriamque vitam gravi periculo ſubtrahat; vel ut charitatis officia erga proximum exerceat. *Temerariam* vero Dimiſſionem vocant abſque rationabili cauſſa factam, quæve ſuapte natura occaſio ad vagandum apta eſt. Quoniam, inquit D. Thomas 2. 2. *q.* 53. *ar.* 3. *ad* 2. *illa dicuntur fieri temere, quæ ratione non reguntur*. Et de hoc nulla eſt penes Theologos diſſenſio. Quamobrem communiter fatentur, omnes Regulares peccare mortaliter, & excommunicationem incurrere, cum, veſtibus propriæ Religionis poſitis, larvas ſumunt, ut liberius per vicos diſcurrere, & Theatris adeſſe valeant: quod nulla ſic incedendi occurrat rationabilis ratio.

III. Utrum porro eamdem culpam perpetrent, excommunicationiſque pœnam contrahant Regulares cum in propriis Cœnobiis habitum *temere* dimittunt, non una eſt Theologorum ſententia, ſed in utramque partem diſputant. Contentionis occaſio illis eſt *Can. Ut periculoſa vagandi materia ſubtrahatur*. Nulla enim, inquiunt Theologi non pauci, quos inter Paſſerinus *Tom.* 3. *q.* 189. *n.* 323. occaſio datur vagandi, cum intra Cœnobium habitus deponitur: lex ergo haud violatur, & conſequenter excommunicationis pœna locum non habet; potiſſimum quod pœnales leges reſtringendæ ſint. Contra plures alii ſuſtinent,

Canonem comprehendere etiam hunc caſum, nempe dimiſſionis intra Clauſtra temere factæ. Iſthuc tranſcribere lubet, quæ docet Thomas Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 8. n. 61. pag. 119. Secunda Concluſio. Satis eſt, ſi intra privatos Monaſterii parietes Religioſus habitum temere deponat, ut huic excommunicationi ſubdatur: quia textus ſolam habitus dimiſſionem petit, & verba illa:* In ſcholis, & alibi, *generalia ſunt, & quamvis actu non vagetur Religioſus ille, ea tamen dimiſſio affert vagandi poteſtatem, quam textus ea pœna interdixit. Et ita docent* Probus in præced. *alleg.* Sylveſter *verb. excommunicat. 9. caſu 24. quæſt. 5. & n. 53. notab. 3.* Tabiena *verb. excom. 5. caſ. 23. q. 1. n. 2.* Navar. *ſum. cap. 27. n. 131.* Sayr. *c. 33. n. 11.* Azorius *lib. 12. cap. 17. q. 15. qui addit præſertim hoc eſſe verum, quando in Monaſterio habitu exutus, alioque aſſumpto oculis ſæcularium patet, aut ſe illis obiicit, quaſi ſentiat idem eſſe hoc non ſecuto.*

IV. Thomas Sanchez in ſuſpicionem nimiæ ſeveritatis venire nequit. Addendum, laudatos Auctores docere, Regulares excommunicationi obnoxios eſſe, etiam intra Monaſterium habitum dimittentes, potiſſimum cum laicorum oculis ſeſe conſpiciendos exhibent. Quid porro dicerent de Regularibus veſtibus Theatricis indutis, & e proſcenio ſæcularibus ſeſe videndos obiicientibus? Hac in circumſtantia exiſtimarem, a nemine Theologorum impugnandam fore ſententiam P. Sanchez, & aliorum. Et vix Caſuiſtæ ipſi, unum vel alterum ſi excipias, oppoſitum docere audent, ut infra dicturi ſumus. Sufficiat nunc alios duos graviſſimos Theologos adiicere. Primus eſt Paulus Comitolus vere dignus ut Theologus appelletur. Is *lib. 6. Reſpon. Moral. quæſt.* 8. late demonſtrat, Monachos peccare mortaliter, & excommunicatos eſſe, dum habitum ponunt, ut larvam ſumant. Aliqua iſthuc transferam. *Reſpondeo id, quod ſemper, tum in publicis meis ſcholis, tum in privatis reſponſis profeſſus ſum, cunctos Clericos, qui ſacris initiati ſunt, omnes Religionis approbatæ profeſſos, ſacrum habitum, quem tueri eos oportet, in illum fœdum, qui ludionum, mimorum, & lupercorum, convertentes culpam æterno ſupplicio dignam contrahere, & profeſſos Religioſos excommunicationis cenſura implicari . . . . Angelus credit, non pertinere ad eum ſententiam excommunicationis, qui intra Monaſterium ſine habitu eſſet: de quo ei contradicit Roſella, & communis opinio. Illud igitur maneat,* COMMUNI DOCTORUM CONSENSU *excommunicatum eſſe Monachum, qui aut larvarum, aut bacchationum cauſſa habitum abiicit.*

JACOBUS DE GRAFFIS *deciſ. Aur. de Reg. lib. 3. cap. 5. n. 77. Quarta, Religioſus dimittendo habitum, vel occultando propter ludum larvarum, etiam intra Monaſterium peccat mortaliter: ut ſi veſte feminea utatur, vel alia, quæ cauſſa eſt laſciviæ. Hinc Rabanus inquit, quod contra naturam eſt, virum muliebria facere. Tum etiam quia larva veſtis diaboli eſt: facit Text. in cap. fucare de conſec. diſt. 5. & talem uſum fuiſſe inventum a diabolo teſtatur candelabrum aureum in append. c. 18. tum etiam ob multa inconvenientia atque mortalia, quæ evenire ſolent auxiliantibus ad induendum tali feminea veſte, ac dum a mulieribus mutuo accipiuntur, & ex inſpectione ludorum, & ex verbis ſcurrilibus provocantibus ad levitatem, nec non ex memoria præteritorum: Unde, cum ſe exponat periculo probabili cogitationis, oris, atque operis incidendi in peccatum mortale, mortaliter peccat . . . Tum etiam propter ſcandalum evitandum, quod, etſi talis ludus exerceatur in Monaſterio, tamen ſemper adſunt & laici, qui ſcandalizantur, dicentes, ubi eſt decus Clericorum? . . . . Et quamvis deſint laici; ſemper tamen ſunt viri Religioſi timentes Deum, qui ſcandalizantur.*

V. Verum ut ut ſit de hac ſententia, quæ excommunicationis pœnæ obnoxios conſtituit Regulares habitum temere dimittentes intra Monaſteria, nos preſſius rem agentes, ad id, quod certum penes omnes veros Theologos eſt, cauſſam revocamus. Itaque, quamvis in diſputationem vocari poſſit, utrum Regulares in Cœnobiis larvati, & Actores excommunicationem incurrant: extra tamen diſputationis aleam poſitum exiſtimamus, eos peccare, dum habitum temere, ideſt ſine rationabili cauſſa dimittunt. Hoc ſtatuit, tanquam

prin-

principium certiſſimum, Sylveſter *ver. excom.* 9. *caſ.* 24. his verbis: *Secundo nota, quod nunquam habitus a Religioſo profeſſo dimittitur ſine rationabili cauſſa quin peccet; quia adeo eſt annexus officiis Monachorum, ut in quocumque loco conſiſtentes &c.* Et hoc, ut dixi, omnes fatentur. Peccatum hoc mortale, vel veniale eſt ex variis circumſtantiis. Veniale evadere poteſt ex levitate, inconſideratione, & temporis brevitate. In ſenſu tamen expoſitæ noſtræ ſententiæ ſemper peccatum mortale, & graviſſimum eſt. Et quidem duplici titulo: primo, quod, habitu ſacro dimiſſo, veſtes laicales viriles; ſecundo, quod muliebres induunt. Dum enim Actores fiunt Theatrales, alter Principis, alter Reginæ, alter ſponſi, alter ſponſæ, ille ſervi, hic famulæ, iſte amantis, ille amaſiæ vices ſuſtinet. Et ut a primo auſpicemur, Regulares Comœdias repræſentaturi veſtes viriles exquiſitas pretioſas comparant, quæ pompam, vanitatemque redolent. Hæc autem veſtium commutatio, etiam demptis legibus, quæ depoſitionem habitus ſacri ſine cauſſa juſta Monachis vetant, ſuapte natura ordinis perturbationem prodit. Quid enim deformius rectæ rationi, ſanoque ſenſui, quam tonſos, Mendicanteſque Fratres adſcititiis, flavis, & pulvere reſperſis crinibus comatos, & ſericatos ſpectare? Quid monſtroſius, quam auratos, argenteoſque pannos, atque vaniſſima mundana ornamenta illos ipſos induere, qui vi ſuæ profeſſionis hirſutas, laneaſque veſtes deferre tenentur? Hoc ſane, quacumque dempta lege, deformitatem præfert. Adde poſtea cujuſque Ordinis Conſtitutiones, quæ præcipiunt patentem habitus delationem, potiſſimum cum Religioſi ſeſe videndos ſæcularium oculis offerunt. Adeſt ne vel leve veſtigium prudenter præſumendi præfatas leges permittere Religioſis commutationem ſacræ veſtis in veſtem Theatralem, nedum laicalem?

VI. Sed ad alterum, quod potiſſimum eſt, momentum accedamus. Non modo laicales virorum, ſed mulierum quoque veſtes frequenter induunt Actores Regulares. Hoc porro exoſum Deo eſt, & abominabile, ut habetur *Deut.* 22. *v.* 5. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hac.* Hunc Textum interpretans D. Ambroſius Epiſtola ad Irenæum abominationis cauſſas quatuor aſſignat. *Primo, cur homo, inquit, non vis videri, quod natus es? Cur alienam tibi aſſumis ſpeciem? Cur mentiris feminam, vel tu femina virum? Suis unumquemque ſexum induit natura indumentis . . . . . Secundo in avibus etiam propria ad veſtitum eſt inter eos, & homines comparatio. In illis enim ſexum naturalia ipſa indumenta diſcernunt . . . . . Alius certe eſt habitus Galli a Gallina. Nunquid illi mutant ſpeciem ſuam? Cur nos mutare deſideramus? Tertio mendacium & in verbo turpe eſt, ne dum in habitu . . . . . . Quarto merito illic non ſervatur caſtimonia, ubi non tenetur ſexus diſtinctio. Unde ſequitur: Abominabilis enim apud Deum eſt, qui hæc facit.*

VII. D. Thomas 1. 2. *q.* 102. *ar.* 6. *ad* 6. Deuteronomii textum ſub examen inducens, docet, legem ibi contineri, non ceremonialem tantum per Evangelicam abolitam; verum etiam & moralem, cui non minus Chriſtiani, quam Hebræi obnoxii ſunt. Quare non ſolum voluit Deus præfata lege Judaicum populum ab Idololatriæ cultu avocare, quem viri muliebri veſte induti Veneri, & mulieres virilem præferentes formam Marti litabant; ſed potiſſimum a luxuria, ad quam ejuſmodi larvales ludi inducunt, retrahere. *Prohibitum fuit eis, ne mulier indueretur veſte virili, aut e converſo. Primo quidem ad vitandum Idololatriæ cultum. Hujuſmodi enim variis veſtibus ex diverſis contextis Gentiles in cultu ſuorum Deorum utebantur: & etiam in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum, in cultu autem Veneris e converſo viri utebantur veſtibus mulierum. Alia ratio eſt ad declinandam luxuriam; nam per commixtiones varias in veſtimentis omnis inordinata commixtio coitus excluditur. Quod autem mulier induatur veſte virili, aut e converſo, incentivum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat.*

VIII. Hunc eumdem textum interpretatur D. Thomas 2. 2. *q.* clxix. *ar.* 2. *ad* 3. decernitque hanc ſexuum ſimulationem, quæ veſtium commutatione

fieri ſolet, ſuapte natura vitioſam eſſe. *De ſe*, inquit, *vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo; quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ, & ſpecialiter prohibetur in lege*. Animadvertendum tamen eſt, hanc veſtium commutationem, ſexuumque ſimulationem non ſic eſſe ſuapte natura malum, quemadmodum eſt mendacium, fornicatio, blaſphemia, idque genus ſimilia, quæ nulla in circumſtantia licita ſunt: ſed dicitur de ſe mala, ut furtum, quia abſolute deformitatem, malique ſpeciem præfert. Circumſtantiæ tamen occurrere poſſunt, in quibus licitum ſit viro uti muliebri veſte, & e contrario, puta ad vitam ſervandam, vel ob aliquam aliam gravem neceſſitatem, ut explicat ibidem Angelicus. *Poteſt tamen hoc fieri ſine peccato, propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliud hujuſmodi*.

IX. Præceptum ergo Deuteronomii partim poſitivum eſt, & ceremoniale, prout Hebræis datum, partim naturale. Quoniam illius transgreſſio quamdam ordinis perturbationem, ſexuumque ſimulationem inducit. Et quamquam ſeverius id Judæis vetitum fuerit ob peculiare Idololatriæ, cui erant propenſi, vitandum periculum: nihilo tamen ſecius, prout naturale eſt, omnes adſtringit Chriſtianos, qui illud non ſervantes ſemper, neceſſitate, rationabilique ablata cauſſa, peccant, venialiter quidem, ſi ex animi fiat levitate, ad breve tempus, & inconſiderate; mortaliter vero, (ut colligi ex Angelico videtur) ſi animo deliberato, ſi ad aliquam profanam, ludicramque Comœdiam, trium circiter horarum ſpatio, coram Religioſorum multitudine peragendam, fiat.

X. His, tanquam certiſſimis principiis conſtitutis, quis eſt, qui non videat graviſſimum ſcelus, quod perpetrant Regulares viri, dum Comœdorum induunt inſignia? Graviſſimum ſcelus dixi, quoniam Regulares plura, quam de mundo homines, flagitia perpetrant. Primum enim peccant, quod propriæ Religionis habitum abſque rationabili cauſſa deponant. Peccant, quod laicales vaniſſimas veſtes: peccant, quod femineas: peccant, quod Theatrales: peccant, quod larvales induant. Nihil in præſentia dicam de Perſonæ conſecratæ, nihil de loci ſacri profanatione, nihil de ſcandalo, de laſciviæ periculo, aliiſque pluribus flagitiis, quæ ex peſtifero abuſu neceſſaria fere conſequutione proficiſcuntur; quoniam hæc omnia ob oculos ponam capite ſequenti; ubi quoque Prælatorum, hunc abuſum permittentium, & ſpectatorum crimina maniſeſtabo.

CAPUT II.

Regulares Comœdorum perſonas agentes in ſuis Cœnobiis, & Comœdias Ethnicorum fabulis permixtas repræſentantes, graviſſime peccant, quia Chriſtiani, quia Religioſi. Prælati triplici capite peccant, quia Chriſtiani, quia Religioſi, quia Superiores.

I. Ut expoſitam evincamus concluſionem, nihil aliud præſtandum nobib eſt, niſi principia, quæ ſuperius conſtituta ſunt, in memoriam revocare. Comœdiæ, ſive Tragœdiæ, quæ hodie in Theatris peraguntur, omnibus circumſtantiis inſpectis, ſunt reipſa Chriſtianis omnibus illicitæ. Regulares in ſuis Cœnobiis ſæpe illas ipſas comœdias, aut tragœdias, aut tragicomœdias, quæ in publicis Theatris recitantur, in ſuis Cœnobiis repræſentant, vel certe illis ſimillimas, nempe, quæ Ethnicorum fabulas, quæ rei amatoriæ artes, & ſtratagemata, quæ humanarum paſſionum ſecretum idioma ad vivum voce, geſtu, animique permotionibus exprimunt: utinam caſto ſemper, quod gratis concedere velim, ſermone. Porro, ſi hæc omnia Chriſtianis ipſis vetita ſunt, quanto magis Religioſis viris, qui præter vanitatum, mundique pomparum ejurationem in Baptiſmatis Sacramento factam, pœnitentiæ, caſtitatis, ac ſublimis Evangelicæ perfectionis ſtatum profitentur? Hanc rationem mirum in modum confirmat Angelicus *in* 4. *diſt.* 16. *art.* 2. *dicendum*, inquit, *ad primam quæſtionem, quod ludorum triplex eſt differentia. Quidam enim ludi ſunt, qui ex ſe ipſis turpitudinem habent. Et tales ludi ab omnibus vitandi ſunt*, PRÆCIPUE A PŒNITENTIBUS, *qui per fletum peccatum corrigere debent;*

ſicut ludi, qui in Theatris agebantur, ad luxuriam provocantes. Peccant graviter, quia Chriſtiani. Peccant vero graviſſime quia Religioſi. Perpendas, velim, hoc verbum: *agebantur*.

II. Iſtius rationis vis, ut magis eluceat, votum caſtitatis, quod Regulares emittunt, meditandum paululum eſt. Enim vero, quo magis oblectamenta aliqua vetita nobis ſunt, eo fortius in eadem abripimur. Nulla paſſionum humanarum vehementior in hominibus, quam libidinis concupiſcentia, ad naturæ propagationem cuique ingenita, & peccati originalis igne ſuccenſa. Porro, ſi omnes, ut commune habet proverbium, nitimur in vetitum, acutioribus ſane concupiſcentiæ ſtimulis aguntur illi, qui voto caſtitatis adſtricti ſunt; niſi (quod magnopere notandum velim) & remedia, quibus indomita, & crudelis fera cohibetur, executioni mandentur, & præſidia illa omnia adhibeantur, quæ ſervandæ pretioſiſſimæ caſtitatis gemmæ neceſſaria ſunt. Privatio namque, ut aliud fert proverbium, appetitionem parit. Heinc Sacrorum Ordinum Patriarchæ, peroptime tam ſublimis voti cuſtodiendi difficultatem agnoſcentes, innumera præſidia ad tantæ virtutis conſervationem neceſſaria, jejunia videlicet, preces, vigilias nocturnas, rigidum veſtitum, aſperum lectiſternium, pudorem, modeſtiam, oculorum, omniumque membrorum in inceſſu, ſtatu, & habitu cuſtodiam præſcribunt. Mutuum in proprias cellas ingreſſum, potiſſimum juvenibus, reciprocos tactus, verba, vel facta ſcurrilia ſeveriſſime vetant. Porro hæc omnia ſpectaculorum tempore violantur, & penitus conculcantur. Iſthic vanus, fulgiduſque veſtitus, ſcurrilia verba, ſermones non ſemper prorſus pudici, tactus mutui, profani amoris picturæ vividæ, lautiores epulæ; ne multa: efficaciores concupiſcentiæ ſtimuli, & fomenta undique fervent.

III. Verum enim vero ut huic argumentationi ſplendidior lux accedat, illud eſt perpendendum, quod in medium afferri ſolet in iſtarum Comœdiarum defenſionem, videlicet quod uſus ſpectaculorum peccatum mortale foret graviſſimum in Religionibus ſeverioris Inſtituti: ſecus in aliis Ordinibus mitioris diſciplinæ, in quibus comœdiæ, larvæque permittuntur ad animum relaxandum, recreandumque. Quid? Larvæ & ſpectacula ſunt vel ipſis ſeveriſſimae inſtitutis Fratribus, jejuniis, precibus, & tot divinæ gratiæ præſidiis munitis obſcurandæ caſtitatis occaſio; ſecus vero Religioſis ſuavioris Inſtituti tot repagulis deſtitutis? Si fortes, & in cæleſti militia belligeros viros ſpectacula faſcinant, & a Dei via abducunt, aut ut abducant periculum eſt, quam ſtragem inermium, & delicatorum hominum non edent? Ecquis pro dignitate lugere valet funeſtiſſimum illud caſtitatis naufragium, quod tot Novitii, tot juvenes experiuntur poſt peracta ſpectacula? Proh Deum! Quæ in pœnitentibus præteritorum criminum recordationes? quæ delectationes, qui ſtimuli, quæ deſideria, qui æſtus, quæ bitumina tum in actoribus, tum in ſpectatoribus? Quæ ſpectra, quæ monſtra mediis ſpectaculis in eorum mentibus, cordibuſque non depinget Dæmon? Quid eſt tam turpe, quid tam impudens, quid tam obſcœnum, quod non ſuggerat, ad quod non incitet, non inſtiget, non urgeat?

IV. Satis multa feciſſe verba mihi videor de damno, quod caſtitatis ſolemni voto inferunt ſpectacula: reſtat, ut de Monaſticæ paupertatis læſione, ceteriſque graviſſimis malis diſſeram. Et primum, quod ſpectaculorum occaſione paupertatis violetur votum, haud eſt ambigendi locus. Congruunt ne paupertati Mendicantium expenſæ illæ, quæ in Theatricis apparatibus, in ſcenarum conſtructione, in tot accenſis luminibus inſumuntur? Quid de pecuniis in conducendis larvis, & actorum veſtibus dicam? Quamquam non raro commodato hæc accipiantur. Quid de temporis lapidatione tum in memoriæ commendandis, tum in peragendis Comœdiis? Quo tempore in obſequium Domini, cui ſeipſos totos voverunt, adlaborare tenentur, Diaboli præſtigiis operam navant. Nonne graviſſime contra juſtitiam peccaret ſervus, ſi tantum temporis Domini ſui ſervitio ſubtraheret, ut illud in rebus ad Dominum nihil attinentibus, immo in ipſum injurioſis prodigeret? Nec illæſum remanet obedientiæ votum. Quandoquidem Prælati aut reſiſtunt, aut annuunt. Si reſiſtunt, licet ob majora vitanda ſcandala non vetent, non ob id inobedientiæ crimen evadunt delinquentes. Si annuunt, tam Prælati, quam Subditi cujuſdam inobedie-

dientiæ adverſus Regulam, id prohibentem, rei evadunt.

V. Sunt hæc maxima, ſed minora non ſunt, quæ ſequuntur. Quandoquidem ſpectacula iſthæc præter occaſionem graviſſimam, quam præbent tranſgrediendi vota, obicem ad omnia Monaſticæ diſciplinæ exercitia opponunt. Tibi ob animum ſiſte Actorum mentes toto illo tempore, quo & memoriter diſcunt, & e proſcenio recitant comœdias ſuas. Quæ amabo te, obſtacula non ſunt hæc ad meditationem, ad ſacram lectionem, ad perſolvendas in Choro horas attente, & devote? Quæ mentium diſtractiones, vagationes, quæ imagines diu impreſſæ non remanent, quæ a Dei cultu avocant, devotionem extinguunt, cor aridum, & divinis rebus obtuſum, ineptumque conſtituunt? Quid de ſacroſancto Sacrificio dicam? Quis Chriſtianorum religioni ſibi non verteret, hac nocte Comœdum agere, & craſtina die ad ſacram percipiendam comunionem accedere? Nonne vel mitiores Theologi curant, ut ſæculares, tum viri, tum mulieres, die ſaltem antecedente Sacramentalem communionem a ſpectaculis abſtineant? Et Sacerdotes Dei, & Sacerdotes Monachi hodie comœdos in Theatris agunt, & craſtina die Dei filium immolare audent? Si negem me, dum hæc ſcribo, commoveri, ſane mentiar. Iraſcebatur Hieronymus, quod mundani homines hodie eſſent in gurguſtio, cras in ſacrario, jam inter ſaltatores, jam inter Clericos. Quæ porro jacula non intorqueret in Sacerdotes Monachos, ſi illos videret nunc Comœdos in Theatro, nunc Sacrificatores in Altari? Hac nocte amatæ, vel amantis feminæ perſonam ſuſtinere, illius amoris (proh pudor!) deliramenta voce, geſtuque referre; & paucis poſt horis Sacerdotis Evangelici altiſſimum agere miniſterium, ſacriſque operari? Verum hæc portenta amariſſimis lugenda lacrymis potius ſunt, quam latius amplificanda.

VI. Accedunt ad hæc omnia immaniſſima ſcandala Chriſtianorum, atque Hæreticorum. Dum in aliquo Cœnobio hæc ſpectacula Regulares peragunt, univerſæ Civitatis copioſam obloquendi materiam exhibent. Ipſe audivi ſæculares homines obmurmurantes, quod immodeſtius, quod impudentius in Cœnobiis, quam in publicis Theatris comœdiæ numquam repræſententur. Et quando obſcœnitas, aut impudentia abeſt, tunc aut nimiam in tali Actorum infami arte imperitiam, aut nimiam ſtupiditatem accuſant. Et certe vix exprimi poteſt præjudicium illud graviſſimum, quod ejuſmodi ſpectacula inferunt vel ipſi doctrinæ Evangelicæ. Nam ſi e ſuggeſtu adverſus ſpectacula declamamus; confeſtim auditores reponunt, hæc in ipſis Cœnobiis peragi. Atque adeo inutilem ex hac parte reddunt divini Verbi prædicationem, inutilem librorum lectionem. Nihil præterea tantum anſæ Romanam carpendi Eccleſiam Hæreticis ſubminiſtrat, quam hæc Cœnobitica ſpectacula. Improperat præ aliis Dallæus Calviniſta Catholicis, quod ad Sacram Quadrageſimalem abſtinentiam ſe accingant bacchanalium dierum celebratione; quod Ethnicorum larvales, & ſœnicos ludos quotannis ex inſtituto renovent; quod his putidiſſimis ſuperſtitionibus ad Chriſtiana jejunia ſe præparent; atque adeo, ceu Idololatriæ reos illos traducit, & diffamat. Reponimus nos, hæc eſſe prævaricantis multitudinis deliria, malorum Catholicorum diſſolutiones quas Eccleſia noſtra deteſtatur, exhorret, & pro viribus impedire conatur; idque dumtaxat extremo dolore permittit, quod impediri nequit. Hac via nullo negotio Hæreticorum calumnias diluimus. At dum exprobant, ſimilia a Religioſis, a Sacerdotibus, in ipſis fieri conſecratis Cœnobiis, videntibus, & conſentientibus Prælatis, fortius urgent & veluti ad incitas non redigunt. Nec aliud opponere valemus; niſi quod ejuſmodi Sacerdotes deſciſcunt a ſua profeſſione talia agentes; reoſque eſſe ſacrilegæ profanationis, pluriumque flagitiorum fontes tam ſubditos, quam Prælatos.

VII. Et revera ſacrilegium enorme foret, larvas, Comœdias, vel Tragœdias in Eccleſia exercere, quem abuſum tot Concilia damnarunt, quoniam Eccleſia Templum eſt ſolemni benedictione Deo conſecratum. At vivum Dei Templum ſunt Sacerdotes ſolemni trium votorum profeſſione Deo conſecrati. Violant ergo ſuam profeſſionem, propriæ dignitatis ſplendorem obſcurant, divinumque profanant Sacerdotium. Cœnobia loca ſacra ſunt, & ab Eccleſia immunitatis privilegio donata. Sacrilegium ergo ſapit, iſthic comœdias repræſentare. Adeo hæc ve-

verum eſt, ut vel ipſe Lutheranus *Bergerius* illud confirmet his verbis cap. 4. de Perſonis §. 9. & 10. *Quod ſi etiam Clerici, & Miniſtri Eccleſiæ, ut ſupra evictum, LARVATIS CHOREIS NON ADESSE debent, vel intereſſe: qua tandem ratione permitti poteſt, ut in Eccleſiis ipſis, quibus Clerici ſerviunt . . . . tale quid fieret? . . . . Quæ vero de templis dicta, illa etiam de aliis piis locis, ac Religioſis, ſcilicet Moneſteriis, ſeu Religioſis domibus, ædibus, & Collegiis Canonicorum &c.* Plurima alia, quæ hæc ſpectacula in Monaſteriis peracta conſequuntur, mala recenſere poſſem. Quot hac occaſione e Cœnobiis furtivi egreſſus? quot mulierum larvatarum intra Cœnobia clandeſtini ingreſſus? quæ commeſſationes, quæ crapulæ? Ne multa. Paſſerinus vir egregius *tom.* 2. *qu.* 187. *num.* 344. ex hac corruptela Religionum diſſolutionem proficiſci docet. *Inde eſt, quod nedum in Religionibus obſervantioribus, ſed in omni Religione Prælati hujuſmodi peſtes & ludos voluptuoſos, nulla conſuetudine obſtante juxta ſancita in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. extirpare debent, & graviter peccant ſi id non faciunt, & ſi hujuſmodi ludos permittunt, & multo amplius ſi dant licentiam eis ludendi ſuis ſubditis. Manifeſtum enim eſt, quod per uſum horum ludorum ſub prætextu recreationis Fratrum, ſternitur via ad diſſolutionem Religionis, & præcipue Sancta paupertas evertitur.*

VIII. Quod ſi unico conſpectu omnia crimina quæ Regulares in ſuis Cœnobiis ſpectacula agentes perpetrant, commeditari aves, ob animum, mentemque ſiſtito habitus Monaſtici temerariam dimiſſionem, abſque rationabili cauſſa; veſtium laicarum faſtum, & vanitatem olentium aſſumptionem; larvas, & inſignia Theatrica, Hiſtrionum, Comœdiarum, Tragœdiarumque repræſentationem ſuapte natura turpem; caſtitatis violationem, aut violandæ graviſſimum periculum; paupertatis Evangelicæ læſionem; Monaſticæ diſciplinæ perverſionem; dignitatis Sacerdotalis proſtitutionem; loci ſacri profanationem; Chriſtianorum offendicula, Hæreticorum ſcandala, & graviſſimam Catholicæ Religionis ignominiam. Hæc & alia plurima, quæ ex Cœnobiticis ſpectaculis conſequuntur mala, quæve deriſioni, ſibiliſque ſanctum *Fraternitatis* nomen exponunt, longius perſequi poſſem. Sed indicaſſe ſufficiat.

IX. Ex his omnibus quatuor collige. *Primum*, juxta communem Doctorum ſententiam Religioſos dimittentes habitum Religionis intra Monaſterium, ut larvas aſſumant, & ſpectacula peragant, excommunicationis pœnam incurrere. *Alterum*, ſecundum omnes Theologos (ſi unum aut alterum nullius nominis, aut auctoritatis excipias, quive quæſtiones ex inſtituto non tractant) peccare mortaliter, immo plura graviſſima crimina perpetrare. *Tertium*, Prælatos, & Superiores omnium flagitiorum, quæ ſpectacula conſequuntur, reos eſſe. Subditorum ſcelera in illorum capita regeruntur. Futilis eſt excuſatio, qua ſe defendere ſolent, videlicet, ſe impedire non poſſe: quandoquidem, ſi iniquitatem abrumpere nequeunt, cur ſponte judices fiunt contra divinum mandatum? *Quartum*, ſpectatores omnes ſive Religioſos, ſive laicos, qui his ſpectaculis interſunt, qui manus porrigunt graviter peccare.

CONSECTARIUM MEDITANDUM.

1. Viri Clauſtrales, homines, quemadmodum ceteri, ſunt eadem carne, eadem concupiſcentia affecti, iiſdem appetitionibus obnoxii. Tunica, Capucium, Cuculla, Biretum, ſolitudo, jejunia, preces, & ceteræ Monaſticæ diſciplinæ ſanctiones præſidia ſunt, & quidem valida caſtiſſime divinæ legis cuſtodiendæ, & efficacia humanarum appetitionum antidota. Ceterum paſſiones non auferunt, carnis rebellionem non tollunt, concupiſcentiæ ignem non extinguunt, ſuperbiæ, vanitatis, ambitionis, aliorumque vitiorum radicem non evellunt. Quamobrem dum audio Clauſtralem aliquem in quodcumque crimen graviſſimum turpiſſimumque lapſum, nullum mihi ingerit ſcandalum ſed illius me valde miſereſcit, & imbecillitatem meam recogitans, ſacro pavore tactus, gratias Deo ago, quod in gravius ipſe non ſim prolapſus. Nec enim peccatum committit homo, quod committere alter homo non poſſit, ſi ſubtrahat manum Rector, a quo factus eſt homo. Tum cum Paulo dico: *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* 1. Cor. 10. & ad Galat. 6. *Qui ſpirituales eſtis, hujuſ-*

hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Hæc, & alia divinæ prædeſtinationis arcana comeditantem nullus Religioſorum hominum lapſus, etſi enormis, me admiratione defixum tenet.

2. Verum enimvero, cum mihi menti ſiſto triginta, quinquaginta, centum Religioſorum Conventum, quorum alii Prælati, alii Theologi, omnes ſacris initiati, Divini depoſiti cuſtodes, dum iſtorum video alios Comœdos agentes, alios ſpectantes; dum ſerio mecum reputo, omnes, vel pleroſque in id conſpirantes, quin nemo unus vocem contra extollat, immo omnes aut hilares plaudant, aut timidi conniveant; fateor, me tunc partim dolore, partim ſtupore correptum, perinde, ac ſi abominationem in loco ſancto in Domo Dei ſtantem aſpicerem. Creſcit admiratio, dum recogito, hos Dei Sacerdotes, Theologos, Prælatos hæc peragere conſcientia tranquilla, licita, & honeſta omnia propugnantes. Quin ſeniores, doctioreſque nonnullos audivi dicentes hæc ludrica ſpectacula juvenibus permittimus, ne e Clauſtro exeant, pergantque ad publica Theatra. Papæ! In Clauſtro invehunt peſtem quæ omnes inficiat, ne aliquis foris inficiatur? Alii elato ſupercilio, Magiſtrali tenore, veluti ex tripode pronuntiant, hæc peragenda juvenibus eſſe, ut modum concionandi addiſcant, ut frontem frangant, fiantque ſtrenui divinæ legis præcones. Proh inaudita portenta! Ex gymnaſio Comœdorum, & Tragœdorum, ne dicam, ex ara Epicuri, Apoſtolicæ prædicationis forma perdiſcenda eſt? Oratione altius hæc exaggeranda non ſunt: ſed profunda humilitate quiſque meditetur tremenda, funeſta, & formidanda divinæ vindictæ flagella, errorum caliginem, cæcitatis tenebras, quibus circumfuſi eorum aliqui ſunt, qui ad illuminandum Dei populum vocati fuerant.

CAPUT III.

Auctoritate BENEDICTI XIV. *Sapientiſſimi Pontificis Comœdiæ nonnullorum Clauſtralium improbantur. Noviſſimi Caſuiſtæ laxam, ſcandalique plenam doctrinam in favorem Clericorum, qui Comœdiis aſſiſtunt, execratur Pontifex Summus.*

I. QUamquam ſuperiore Diſſertatione cap. 23. produxi laciniam ſequentis teſtimonii BENEDICTI XIV. lubet nihilominus illud nunc integrum referre in ſuo inſigni opere *de Synodo &c. lib. 7. cap. 61. p.* 528. ubi plura Synodalia Decreta laudat, & refert adverſus Clericorum venationes, choreas, & comœdias. Pauca ex multis tranſcribam. Inquit itaque. „ Has ſan„ ctiſſimas leges renovavit S. Carolus „ Borromæus in ſuo I. Concilio Pro„ vinciali *part.* 2. (*Act. Eccleſiæ Me„ diolan. par.* 1. *pag.* 19.) ita decer„ nens. *Clerici perſonati non incedent, „ choreas privatas, aut publicas non a„ gent, nec ſpectabunt . . . . Fabulis, Co„ mœdiis, & haſtiludiis, aliiſque profa„ nis, & inanibus ſpectaculis non intere„ runt, ne aures, & oculi ſacris officiis „ addicti ludicris, & impuris actionibus, „ ſermonibuſque diſtracti polluantur.* San„ cti Caroli veſtigia calcarunt Patres „ Concilii Burdigalenſis anni 1583. can. „ 21. (t. 10. Collect. Hard. col. 1359.) „ Bituricenſis an. 1584. tit. 25. can. 6. „ (ib. col. 1486.) Aquenſis an. 1585. „ *tit. de Vit. & Hon. Cler.* (*ibid. Col.* „ 1583.) idem, iiſdemque fere verbis „ edicentes, quod illa ſtatuerat; & S. „ Franciſcus Saleſius in ſuis Synodalibus „ Conſtitutionibus par. 3. tit. 4. ipſo fa„ cto a Divinis ſuſpenſos vult Sacerdo„ tes *eo ſceleris* devenientes, ut choreas „ nedum ſpectare, ſed & ducere aude„ rent. 12. Nimis porro laxa, ne di„ cam aperte erronea, & ſcandaloſa eſt „ doctrina, quam tradit Lucius Ferraris „ in ſua Bibliotheca Canonicojuridica „ tom. 2. v. Clericus part. 4. num. 17. „ ubi etſi fateatur, non eſſe Clericis „ permittendum Comicos agere, ſeu Co„ mœdiarum Actores eſſe; attamen a „ gravi culpa eoſdem abſolvit Comœ„ dias ſpectantes, quantumvis turpes,

„ at-

„ atque obſcœnas, dummodo ex illarum „ auditione nullum ſibi imminere prævi- „ deant probabile periculum lapſus, eo- „ rumque præſentia nullum in populum „ ingerat ſcandalum : *Verum* (ait) *ſi* „ *comœdiæ audiantur ob ſolam vanam* „ *curioſitatem*, *abſque probabili periculo* „ *lapſus*, *etiamſi res turpes repræſenten-* „ *tur*, *&* *modus repræſentandi ſit tur-* „ *pis*, *Probabilius eſt non eſſe peccatum* „ *mortale*, *ceſſante ſcandalo*, *quod vide-* „ *tur ceſſare*, *&* *non eſſe*, *quia frequen-* „ *tiſſimum eſt Clericis Comœdiis intereſ-* „ *ſe* : quis enim eſt, qui non intelli- „ gat, rerum obſcœnarum pravos animi „ motus in audientibus excitare, eoſque „ ſenſim ad interitum diſponere juxta „ illud Apoſtoli effatum 1. *ad Cor.* 15. „ *Corrumpunt bonos mores colloquia ma-* „ *la* . Qua igitur ratione, quo pacto „ evenire poterit, ut ſuæ ſpiritualis rui- „ næ periculum declinet, qui earumdem „ turpium rerum Theatrali intereſt re- „ præſentationi, quæ plus certe plus „ efficacitatis habent ad ſpectatorum „ mentes perturbandas, animos commo- „ vendos, & tandem ad peccatum in- „ ducendum ? Quocirca etiam *mollioris* „ *Ethices* ſectatores ejuſmodi Comœdias „ damnant, & nedum Clericos, ſed lai- „ cos quoque eas inſpicientes vix un- „ quam gravem culpam evadere, com- „ muni calculo docent cum D. Thoma „ *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 4. *art.* 2. *quæ-* „ *ſtiunc.* 2. *Ad ſecundam quæſtionem di-* „ *cendum*, *quod hujuſmodi ſpectacula*, *ſi* „ *ſunt rerum turpium*, *&* *ad peccatum* „ *provocantium*, *ſtudioſa eorum inſpectio* „ *peccatum eſt*, *&* *quandoque in eis tan-* „ *ta poteſt libido adhiberi*, *ut ſit etiam* „ *mortale*, *unde a tali inſpectione omnes* „ *ſe arcere debent*. 13. Supervacaneum „ autem reputamus pluribus proſequi hoc „ ceteroquin graviſſimum argumentum, „ quoniam jam illud copioſe pertracta- „ vimus in noſtra notif. 37. & notif. 76. „ ubi plura in comœdiarum, & chorea- „ rum deteſtationem ex probatis Aucto- „ ribus excerpta accumulavimus. “

II. P. Lucius *Ferraris* deceptus ex novo Caſuiſticæ Probabilitatis modo, cui inhæret, in præfatam laxitatem ſcandali plenam lapſus eſt. Nihil frequentius occurrit in modernis Moraliſtis, quam argumentatio P. Lucii Ferraris. *Communiter*, *frequenter hoc fit* : *ergo licitum eſt*. *Ergo probabile eſt*, *carere vitio*. Hac nova ratiocinandi methodo uſus eſt citatus Auctor. Inquit enim : *ſcandalum modo videtur ceſſare*, *&* *non eſſe*, *quia frequentiſſimum eſt Clericis Comœdiis intereſſe*. S. Cyprianus, & paſſim alii Patres declamant contra ejuſmodi graviſſimum errorem, nempe -- Cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt. Clerici *frequentiſſime* interſunt Comœdiis hodiernis obſcœnis, turpibuſque, frequentiſſime larvati incedunt. Ergo ſcandalum nullum. Ergo *probabile* eſt non peccare. Hæc eſt nova methodus probabiliſtica a ſimplicitate Evangelica aliena. Siquidem Evangelica Theologia ſic argumentatur : *Frequentiſſime* obſcœnis Comœdiis aſſiſtunt Clerici . Ergo gravius eſt ſcandalum, enormius crimen, & populo Chriſtiano pernicioſius. Quis Chriſtianorum ſibi vitio vertet frequentare Comœdias turpes, obſcœnaſque, quas publice frequentari vident a Clericis ? Sed hoc obiter.

III. Laudatus P. *Ferraris*, ad hoc quod attinet, non erravit. Comœdias hodiernas turpes, & obſcœnas merito appellavit. Sed in hoc erravit, inquit Pontifex Summus, quod docuerit Clericos frequentiſſime his Comœdiis adſtantes mortaliter non peccare.

IV. His præmiſſis, hanc ex doctrina ſapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. formo argumentationem : Pontifex Summus improbat tamquam laxam, & ſcandali plenam, ne dicam erroneam, doctrinam *P. Lucii Ferraris*, quod doceat, poſſe Clericos abſque peccato mortali intereſſe Comœdiis hodiernis turpibus obſcœniſque, licet neget licere Clericis Comœdos agere. Quid ſi docuiſſet non peccare Clericos, qui Comicos agunt in Theatro ? Tum ſane pluſquam laxam, & manifeſte erroneam pronuntiaſſet ejuſdem opinionem. Quod ſi Clerici mortaliter peccant, dum Comœdiis interſunt; & graviſſime peccant, ſi Actores fiunt. Quod crimen, quod ſcelus perpetrant Clerici, & Sacerdotes Cœnobitæ, dum Comœdias turpes obſcœnaſque intra ipſa ſacra Clauſtra repræſentant ? Dum alii ſpectatores; alii actores ſunt ? Tametſi laxioris doctrinæ aſſertor P. Lucius Ferraris auſus afferere non eſt, poſſe Clericos abſque peccato mortali Comicos agere : at reperiuntur Theologi Regulares, qui doceant, reperiuntur

Superiores Regulares, qui ſua auctoritate probent; reperiuntur integri Conventus aliquorum Clauſtralium, qui ore & opere confirment licitam comœdiæ corruptelam. Aut ergo ſuſtinent ſe honeſtum officium exequi, dum Comœdiam ſpectant, dum Comicos agunt, muliebri etiam veſte induti, earumque fabellas, turpeſque amatorios ſermones proferentes: aut fatentur ſe peccatum perpetrare. Nulla hic evadendi via. Si primum: non laxam, non ſcandaloſam modo, ſed temerariam, ſed erroneam, ut ex adducta Pontificis Maximi ſententia evidentiſſime infertur, opinionem defendunt. Aut fatentur ſecundum, ſe nempe mortaliter peccare. Et tum quid mihi concludendum? Peccant ergo Clauſtrales, dum Comœdos agunt, dum Comœdiis aſſiſtunt, dum ſacra Clauſtra ſacrilega corruptela profanant: & tamen quotidie celebrant illis ipſis integris hebdomadibus, in quibus talia perpetrant. Hac nocte amatæ, & amatorculi perſonam ſuſtinent in Theatro: & ſequenti die Evangelicam Cathedram aſcendunt. Hac nocte profana, impudica indumenta muliebria, & orto ſole ſacros Sacerdotales apparatus induunt. Hac nocte obſcœna Poetarum drammata, craſtina die ſacroſancta Chriſti Evangelia recitant. Abſit impoſterum a clauſtris, abſit a Perſonis Deo ſacris corruptela, ne in laicis quidem locis, & hominibus toleranda.

CAPUT IV.

Quædam ſophiſmata, quæ opponi ſolent, diluuntur.

I. DUO rationum genera allegare defenſores ſpectaculorum ſolent, quæ in Monaſteriis peragi conſueſcunt, alterum ab auctoritate Caſuiſtarum, alterum ab humano ratiocinio petitum. In præſentia ratiunculas, quæ communiter obtrudi ſolent, diſpellam; capite vero ſequenti Caſuiſtarum auctoritates excutiam.

II. Opponunt, nullam extare legem, quæ expreſſe prohibeat aut agere, aut ſpectare Comœdiarum repræſentationem, larvaſque induere: tum ergo id erit &c. Similia obtrudebant Chriſtiani voluptatum amatores tempore Tertulliani, qui, *lib. de ſpect. cap.* XX. ſic reſpondet. *Quam vana igitur, immo deſperata argumentatio eorum, qui ſine dubio tergiverſatione admittendæ voluptatis obtendunt, nullam ejus abſtinentiæ mentionem ſpecialiter, vel localiter in Scripturis determinari, quæ directe prohibeat hujuſmodi conventibus intereſſe ſervum Dei.*

III. Deſperata ſane defenſio hæc eſt, quæ leges prohibentes Religioſis ſpectacula, larvaſque requirit; ſi nil frequentius in Scripturis, Patribus, & Conciliis occurrit, quam canones, qui Chriſtianis omnibus, nedum Clericis, & Monachis hunc vetant abuſum. Quid quæſo ſignificat illud D. Pauli ad *Rom.* 12. *Nolite conformari huic ſæculo?* ubi hæc inter alia ſcribit S. Thomas: *Conformatur etiam huic ſæculo, qui vitam ſæculariter viventium imitatur.* Quorſum ſpectant tot textus ſancti? *Beatus homo, qui non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*, pſal. 39.? Quorſum? *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Quorſum? *Turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent &c. nec nominentur in vobis?* Hæc urgent Chriſtianos omnes; quanto ergo magis Religioſos? Leges non vertant Religioſis larvas, & Comœdias. Quid ergo vetant omnes Monaſticæ leges, dum jubent patentem habitus geſtationem? Quid vetant ſacri Canones, dum prohibent temere illum dimittere? Sed quid in re apertiſſima immoror?

IV. Secundo opponunt conſuetudinem jam teceptam peragendi in nonnullis Monaſteriis comœdias, & tragœdias &c. Hæc, quæ conſuetudo vocitatur, eſt ſacrilega corruptela. Ubi vel una iſthic ex pluribus conditionibus neceſſariis ad veram conſuetudinem? Anne rationabilis? Anne bonum commune Monaſticæ diſciplinæ promovens? Aut ſaltem illi non repugnans? Abuſum adeo exitialem, adeo peſtiferum, conſuetudinis privilegio ornare audes? Conſule, quæ de conſuetudine latius alibi diſputata ſunt.

V. Objiciunt 3. quamquam vetitus eſt Religioſis uſus larvarum, habitus dimiſſio, ſpectaculorum repræſentatio; non in ſevere tamen hoc accipiendum eſt, ut neque in Monaſterio id liceat. Quoniam tunc nullum eſt evagandi periculum. Ex alia parte etiam Religioſis ſo-

latia, & obleᶜtamenta aliqua congruunt ad animi levamen, & exhilarationem. Quandoquidem vel in ipſis Religioſis ludicra quædam verba, vel facta jocoſa virtutem ſapiunt Eutrapeliæ.

VI. Pudeat viros alioqui non indoctos ad virtutem Eutrapeliæ revocare ludos larvales, aleatorios, & ſcenicos. Ne multa verba faciam, quæ hac de re ſcribit Angelicus, tranſcribam ex 2. 2. *q.* clxviii. *a.* 2. *c. In hujus vitæ converſatione quædam requies cum ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus uti. Circa quæ tamen videntur tria præcipue eſſe cavenda. Quorum primum, & principale eſt, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, & nocivis. Unde Tullius dicit in* I. *de Offic. quod unum genus jocandi eſt illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. Aliud autem attendendum eſt, ne totaliter gravitas animæ reſolvatur. Unde Ambroſius dicit in* I. *de Offic. Caveamus, ne dum relaxare animum volumus; ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum. Et Tullius dicit in* I. *de Offic. Quod ſicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena, ſic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Tertio autem attendendum eſt, ſicut & in omnibus aliis humanis actibus, ut congruat perſonæ, tempori, & loco, & ſecundum alias circumſtantias debite ordinetur; ut ſcilicet ſit tempore, & homine dignus, ut Tullius dicit ibidem . . . . Et ideo circa ludos poteſt eſſe aliqua virtus, quam Philoſophus Eutrapeliam vocat.* Conferas nunc, velim, ludos ſcenicos, larvales, repræſentationes Theatrales, & omnia, quæ in ſimilibus comœdiis peragi ſolent: Dic, quæſo, ad virtutem moralem ne pertinet, quod Religioſus, quod Sacerdos femineam induat veſtem, quod Comœdum agat in loco ſacro, tempore bacchanaliorum? Congruunt ne hæc omnia Perſonæ, loco, & tempori? Collige quam vane, & inepte diſputent duo aut tres Caſuiſtæ, qui ejuſmodi ſpectacula Cœnobitica ad Eutrapeliam revocant, ſimulque peccata, ut minus, venialia eſſe confitentur. Doctiſſimus *Boſſuetus* doctrinam S. Thomæ, qua abutuntur non pauci, ample & luculenter exponit.

VII. Nulla ne ergo, repetunt, ludicra delectatio, nulla animi exhilaratio congrua Religioſis erit? &c. Audi D. Joannem Chryſoſtomum tibi reſpondentem *hom.* xxxviii. *in Matth. Quæ nobis igitur deinceps excuſatio erit, cum nos Cælorum Cives, Cherubinorum Choro adſcripti, Angelorum conſortes, barbaris hac in re pejores ſumus, cum liceat SEXCENTAS ALIAS his majores voluptates reperire? Si vis enim animum recreare, vade ad pomaria, ad fluvium, ad ſtagna: hortos contemplare: cicadas audi canentes: Martyrum ſepulcra frequenta: ubi corporis valetudo, animæ utilitas, nihilque damni. Nulla poſt factum pœnitentia, & poſt illa ſpectacula.*

VIII. Opponunt 4. ejuſmodi ſpectacula in Cœnobiis palam fiunt, vel in ipſa Urbe Roma. Dicendum ne erit, ejuſmodi ſpectatores peccare illuc convenientes? Peccarent porro, ſi ſpectacula illicita forent. ℞. Quid ſi dixero innumeros, quin omnes Dei homines hæc ſpectacula execrari? Quid ſi dixerim, ejuſmodi Eccleſiaſticos ſpectatores reapſe peccare? Immo aperte ajo, eo gravius deliquere, quo in altiore ſunt dignitate conſtituti: Deberent namque auctoritate ſibi a Deo data uti ad convellendos abuſus iſtos, & corruptelas. Quid nomen *Romæ* obiicis? *Romæ*, ſicuti *alibi*, plura permittantur mala neceſſe eſt, quæ impediri nequeunt. Decreta Romana, quæ laicis larvas, ludoſque ſcenicos quandoque permittunt, non approbant abuſum; ſed, ne latius ſerpat, modum imponunt: ſicut meretricandi artem non approbant, dum in quibuſdam Civitatis angulis habitare meretrices jubent. Deſperatum effugium vitioſorum hominum iſtud eſt, qui, ut ſceleribus ſuis cujuſdam honeſtatis velum prætendant, Romæ ſimilia peragi obgannunt. Leges, Canones, Conſtitutiones, quæ Romæ conduntur, non hominum mores nobis opponant, ſi valent. Illas, ut honeſtas, ut Sanctas defendimus; ſecus iſtos. Quin addiderim: nil mirum ex una parte viris prudentibus eſſe deberet, etiamſi Romæ pejora, quam alibi crimina ſerperent. Quoniam Civitas illa Exterorum fere Civitas eſt. Illuc ex quacumque Orbis parte gentes, nationeſque variæ confluunt. Nil porro æque ad mores corrumpendos confert, quam Nationum diverſitas, ut comper-

tum eſt. Quid ergo illius Civitatis abuſus obtrudis, ut tuis vitiis patrocinium quæras? Deſiderandum ſane ex alia parte eſſet, expetendumque, ut Auguſtæ illius Civitatis incolæ eam morum præferrent integritatem, quæ Religionis, quam profitentur, ſanctitati reſponderet. Quicumque tamen ſint hominum mores: doctrina, profeſſio, Religio Sancta eſt. Et ex iſtius Religionis inſtitutionibus, non ex hominum conſuetudinibus regulæ honeſti, vel inhoneſti repetendæ ſunt. Verum de hoc alias.

CAPUT V.

Alia ſophiſmata ab auctoritate Caſuiſtarum quorumdam petita evertuntur.

I. PRimum lectorem moneo, neminem, quem ego viderim, ſive ex Theologis, ſive ex Caſuiſtis, quæſtionem a me hactenus diſcuſſam ex inſtituto, & omnibus circumſtantiis ſpectatis verſare. Non pauci utique de ſpectaculis Cœnobiticis diſputant; ſed alii adeo impedite, & confuſe, alii tam evidenter ſibi contradicentes, ut nihil omnino vel leviſſimæ probabilitatis ex illis erui poſſit in favorem depravatæ corruptelæ. Si tamen aliqui mihi ignoti oppoſitam defenderent opinionem, errorem manifeſtum propugnarent. Addo, cautiſſime legendos eſſe non paucos Moraliſtas recentes, qui, quod publicum eſt, aliquo probabilitatis cæmento incruſtare ſtudent. Multitudo peccantium grave illis eſt probabilis honeſtatis fundamentum. Et ſi iſtorum unus aliquam laxam opinionem evulgat, continuo multi eamdem adoptant. Quot erunt, qui opinionem *P. Lucii Ferraris* ambabus ulnis ſuſcipient? Quot erunt, qui dicturi ſunt, Pontificem ut doctorem privatum (quod quidem verum eſt) illam improbare? At non propterea minus laxa, & ſcandaloſa eſt. Sed in examen veniant, quos pro Ludis Theatralibus ſtare opponere ſolent.

II. Citantur itaque Sylveſter *verb. habitus q.* 2. D. Antoninus 3. *p. tit.* 24. *cap.* 53. Suarez. *Tom.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 23. *ſec.* 4. *n.* 29. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 13. Bordonus *variar. Reſol. par.* 1. *reſp.* 33. *n.* 13. & *reſol.* 35. *n.* 6. Antonius a Spiritu S. *tract.* 1. *diſp.* 6. *n.* 956. Antonius Cotonius *contr. celeb. lib.* 4. *contr.* 7. *cap.* 3. Octavius Maria a S. Joſeph *Tom.* 2. *tit.* 164. Bonacina *de Clauſ. q.* 2. *p.* 2. *n.* 15. Candidus Brognolo in *ſpecul. Cler. tract.* 3. *cap.* 6. *reſp.* 3. Belaſius in promptuario Regul. *verb. Habitus n.* 7.

III. Ut reſponſio præciſa & evidens exhibeatur, laudatos Auctores in duas tribuo claſſes. In prima colloco D. Antoninum, Sylveſtrum, Suarez, Bonacinam, Rotarium. Iſtorum porro nemo unus docet, Religioſum poſſe licite, habitu ſacro dimiſſo, laicalem veſtem intra Cœnobium induere una cum larvis; nedum larvatum Comœdias agere. En verba D. Antonini 3. *p. tit.* 24. §. *Dic quod &c. Non puto, quod Monachus in Cella ſua dimittens habitum, vel dum balneum intrat in occulto, vel jacens ſine habitu, ligetur hac Conſtitutione; alias pauci non invenirentur ligati. Sed, quando exhibet ſe conſpectibus hominum ſine habitu, vel habitu laicali, vel Clerici ſæcularis ſine juſta cauſſa, ligatur.* Ubi hic vel minima vocula, aut ſyllaba favens larvatis, & Comœdis Religioſis in proprio Cœnobio? Immo juxta D. Antoninum Regulares, qui Comœdorum perſonas agentes in ſuis Cœnobiis, & pluribus extraneis ſe viſendos exhibent, excommunicationis vinculo devincti ſunt, nedum mortaliter peccant. Leges integrum laudatum caput, nec verbum offendes, quod larvatis Monachis intra Cœnobium quadret.

IV. Sylveſter *verb. Hab. q.* 2. hæc ſcribit. *Secundo quæritur, quando & qualiter Religioſus uti debeat habitu ſuo. Et dico, quod ſemper, & patenter. Semper quidem, ideſt omni tempore, ſive in lectulo quieſcens, ſive in quocumque loco conſiſtens, c. xx. q.* 1. *Vidua. Alius tamen in aliquibus Religionibus videtur eſſe habitus diurnus ab habitu nocturno, & ſufficit portare ſecundum Religionis ſuæ inſtituta.* Patenter vero, cum prodit in publicum: alias illum dimittendo ſecundum Arch. eſt mortale, *niſi ex juſta cauſſa, puta ob periculum captionis, vel inſidiarum, aut cum eſſet in balneis, aut ſtuphis; quod intelligo de ſui habitus dimiſſione doloſe cum ſumptione alterius ad uſum. Secus, ſi proprius habitus dimitteretur ad horam non doloſe, ſed voluptuoſe nullo alio ſumpto, vel ſumpto alio non ad uſum, ſed ad ſo-*

latium.

latium ex jocoſa familiaritate, *& hujuſmodi* : *ut ſi in honeſta recreatione Frater Minor induat habitum Prædicatorum*, *vel e converſo*. Ubi iſthic de larvis, ubi de laicalibus, ubi de Comœdorum veſtibus ſermo ? Siccine ad ea, quæ nobis arrident, comprobanda vel inviti detorquentur Scriptores ? Si in honeſta recreatione, inquit Sylveſter, Frater Minor induat habitum Prædicatorum, vel contra ad horam, nullum committitur peccatum. Ubi iſthic juxta communem ſenſum alicujus ſive deformitatis, ſive fraudis, ſive periculi veſtigium ? Hæc mutatio innocentiam, benevolentiam, mutuum amorem erga utramque Religionem redolet. Sed qui heinc colligit, poſſe Regulares, habitu ſacro dimiſſo, laicales induere veſtes, larvas ſumere, Comœdoſque in Cœnobiorum Theatris agere, imponit Sylveſtro tam monſtroſa portenta nec ſomnianti; imponit lectoribus imperitis, qui ſimilibus citationibus decepti, falſiſſimas, & quandoque erroneas ſententias, ut probabiles, amplectuntur. Similis impoſturæ reus eſt Peyerinus, qui in *Com. Aſcet. ad Reg. Minim. c.* 3. §. 5. *q.* 3. *n.* 3. hæc ſcribit. *Unde videntur excuſari etiam a veniali Religioſi habitum Hiſtrionum induentes*... *& ita videtur ſentire Sylveſter verb. Habitus*. Duo graviſſima peccat hic Caſuiſta. Alterum, quod Sylveſtro imponit; ut patet ex dictis. Alterum, quod laxiſſimam, ne plus dicam, opinionem docet. Nil ergo indecentiæ ſapit, quod Religioſi Hiſtrionum habitus induant ? Et quod ſic induti honeſtam repræſentationem agant ? Honeſta ne repræſentatio illa, quæ fit a Religioſis hiſtrionicis ? Si res agenda ſacra eſt, profanatur veſtibus Hiſtrionum. Si profanum eſt argumentum, duplici titulo dedecet Religioſos. Caſuiſtæ, qui hoc modo citant Auctores, & quæſtiones morum verſant, percurrant noſtras *Animadverſiones Critico-Morales in Menda Pontaſiana*, potiſſimum *actuarium duorum caſuum*, ut inde, cujus criminis rei ſint, deprehendere valeant.

V. Suarez *Tom.* V. de Cenſur diſp. 23. num. 29. ſolummodo D. Antonini & Sylveſtri ſententiam probabilem aſſerit. En illius verba. *Hinc probabile eſt*, *quod Antoninus docet* 3. *p. tit.* 24. *c.* 53. *& Sylveſter verb. Habitus q.* 2. *Si Religioſus dimittat habitum ad breve tempus*, *& alium induat propter ludicram aliquam actionem*, *alicujus feſti occaſione inter ipſos efficiendam*, *titulo cujuſdam honeſtæ lætitiæ*, *non incurrere in hanc cenſuram*. Solum ergo Suarez probabile eſſe ſcribit juxta S. Antoninum, & Sylveſtrum, Religioſum Minorem induentem habitum Prædicatorum, aut contra, titulo honeſtæ lætitiæ, occaſione alicujus feſti, non incurrere excommunicationem. Nunquid ſcribit, occaſione bacchanaliorum poſſe Regulares in Theatris apparere larvatos, ut Didonem repræſentent ?

VI. Martinus Bonacina ſubſcribit ſententiæ Sylveſtri, & Suarez. En illius verba de *Clauſura q.* 2. *punct.* 2. *n.* 15. *Secundo ſequitur*, *illum non affici excommunicatione*, *qui habitum dimittit*, *& alium induit ad ludicram aliquam actionem inter Religioſos faciendam titulo cujuſdam honeſtæ lætitiæ*; *quia non eſt temeraria dimiſſio*. *Ita Sylveſter v. habitus*. *Suarez loc. cit. n.* 29. *& alii*. De ea ergo ludrica actione loquitur Bonacina, cujus meminit Sylveſter, quem laudat. Ut autem vidimus, Sylveſter, cui accedit Suarez, ſolum concedit, unum Religioſum poſſe alterius Religionis habitum ad horam, honeſtæ recreationis titulo, dimiſſo proprio, induere. Et ut magis pateat, quam ſit deſiderabilis quorumdam Scriptorum diligentia in aliis Caſuiſtis citandis, jubet ob oculos ponere, quæ Bonacina ipſemet ſcribit *Tom.* 3. *de Cenſ. diſp.* 2. *q.* 8. *pun.* 6. *n.* 13. *Nono*, *Religioſum*, *qui intra privatos ſui Miniſterii parietes habitum ſuæ Religionis non defert*, *vinculo iſtius cenſuræ obſtringi juxta probabiliorem DD. ſententiam*; *etiamſi poſtea non vagetur*, *nec Monaſterio egrediatur*. *Ratio eſt*, *quia textus abſolute loquitur de dimittentibus habitum*, *quovis loco dimittant*; *ſaltem ſi hoc faciant ad ſic incedendum*, *vel ſe occultandum*, *ut patet ex illis verbis*. In Scholis, vel alibi. *Et quamvis præfatus Religioſus non vagetur*, *& Sæcularium aſpectum fugiat*, *ſeſeque occultet*; *nihilominus vagandi poteſtatem acquirit*, *quam textus noſter ſub excommunicatione ſubtrahere intendit*: *Ita Navar. c.* 27. *n.* 131. *Azor. loco cit. c.* 17. *q.* 15. *Sag. loco cit. n.* 11. *Sanchez loc. cit. n.* 61. *Sandarellus n.* 17. *& alii*.

Non

Non modo peccare, ſed excommunicationis pœna plecti Regulares intra Clauſtra habitum dimittentes, docet Bonacina. Additque, hanc eſſe *Probabiliorem Doctorum ſententiam*. Rigoriſta ne audit Bonacina? Severiores ne opiniones amplectitur.

VII. Non minus falſe allegatur Rotarius *lib.* 3. *cap.* 1. *punct.* 12. *n.* 11. *Tom.* 2. ubi hæc habet. *Ludi etiam larvales, aut Theatrales prohibiti ſunt Regularibus; quia* cap. cum decorem de vit. & honeſt. Cleric. *prohibentur fieri ejuſmodi ludi in Eccleſia etiam per laicos propter eorum indecentiam. Quod autem indecens ex natura ſua eſt, hoc fieri nequit a Regularibus. Hoc tamen non eſt cum tanto rigore ſumendum, ut non liceat Regulari aliquam hiſtoriam ſacram, vel Moralem repræſentare honeſtæ recreationis gratia coram amicis tempore bacchanalium. Neque enim per hoc cenſetur dare operam ſcurrilitati, aut ludis Hiſtrionum, & jaculatorum*. Duo docet Rotarius. Primum ludos Theatrales ſuapte natura indecentiam præferre; atque adeo vetitos eſſe Regularibus. Alterum, poſſe Regulares ſacram, aut moralem hiſtoriam coram amicis repræſentare. Quis hoc negat? Quis in diſputationem adducit? Anne Rotarius aſſerit, Regulares veſte feminea, aut virili laicorum indutos ſacram vel moralem hiſtoriam repræſentare? Nec verbum de hoc habet. Et, ſi id aſſereret, miſceret ſacra prophanis, & lucem cum tenebris aſſociaret. Quoniam non profanis, ſed ſacris veſtibus divina, moraliaque geſta exhibenda hominum meditationi ſunt. Tandem, id etiamſi Rotarius aſſereret, nil in favorem abuſus, qui penes quoſdam Regulares obtinet, repræſentandi ſcilicet intra propria Cœnobia illas ipſas ſæcularium Theatrorum comœdias, quas veritas Regularibus apertiſſime Rotarius docet.

VIII. Laudari ſolet etiam Belaſius in *promptuario Regul. verb. Habitus n.* 7. in patrocinium Comœdiarum Clauſtralium. Quam immerito id faciant, videamus. En illius verba. *Si habitus dimiſſio fiat intra Monaſterium, non incurritur prædicta excommunicatio; dummodo fiat ab honeſtam recreationem, ſeu Eutrapeliam*. Eutrapelia virtus eſt; Si habitus dimittatur ob exercitium veræ virtutis, nec excommunicatio, nec peccatum contrahitur. Ludi Theatrales ſuapte natura inhoneſti ſunt, & ipſis laicis vetiti. Numquid Religioſis viris ſunt Eutrapeliæ, ſeu virtutis exercitium?

CAPUT VI.

Sub examen inducuntur Cottonius, Brognolus, Bordonius, Antonius a Spiritu Sancto, & Octavius a S. Joſeph.

I. ANtonius Cottonius *lib.* 4. *de Religioſis Contr.* 7. *cap.* 3. *q.* 2. *n.* 114. quærit, quod peccatum committant Religioſi utentes larvis? *Reſpondeo*, inquit, *ex vi ſtatus Religioſi in rigore conſiderati, eſſe peccatum mortale, & propter dimiſſionem, vel occultationem habitus dictæ excommunicationi ſubjectum: & non dubito, quin Capucinus, vel alius obſervantis Ordinis id primus faciens mortaliter peccaret, etiam in proprio Conventu, & remotis Sæcularibus; quamvis forte excuſarentur ab excommunicatione prædicta. Ceterum propter conſuetudinem jam receptam, in propria domo ad aliquam repræſentationem, vel ludum id fiet ſine ſcrupulo. Unde erit ſolum peccatum veniale; quia ipſa ſtatus relaxatio hujus etiam obligationis rigorem emollivit*. Breviter percurramus ſingula. Primo docet abſolute, mortalem eſſe Regularibus larvarum uſum, etiam intra propria Cœnobia, ſi Regulares ſint Ordinis reformati. Secundo conſuetudinem obtrudit jam receptam, quæ hunc delinivit rigorem in ordinibus jam relaxatis, in quibus culpa dumtaxat venialis erit larvarum uſus. Quapropter *id fit ſine ſcrupulo*. Auditis? Uſus larvarum in Ordinibus relaxatis eſt ſolummodo venialis, & ideo *fit ſine ſcrupulo*. Peccata ergo venialia ſine ſcrupulo, velut aqua limpida ſorberi in Religionibus reformatis poſſunt? Conſuetudo non ſolum jejuniorum, pœnitentiarum, aſperarum veſtium emollivit rigorem; ſed privilegio etiam donavit Fratres relaxatos, quo, ſine ſcrupulo, peccata venialia perpetrare valeant. Undenam tam recondita Theologia? Sed unde eruit, hanc eſſe conſuetudinem, & non abu-

ſum

ſum manifeſtum ? Si conſuetudo recepta eſt, cur peccatur vel venialiter ? Cur eſt conſuetudo tollens peccatum mortale, ſecus veniale ? Quænam eſt iſtius conſuetudinis ratio ? Ut enim legis rigorem emolliat, rationabilis, bono communi non repugnans, & virtutis, non vitii occaſio ſit, oportet. Et quia nihil horum diſcutit Auctor iſte, ſed ſolum pro arbitrio ſcribit, uſum larvarum eſſe ſolum in Ordinibus relaxatis *peccatum veniale*, quod ſine ſcrupulo fieri poteſt: idcirco nullius eſt auctoritatis; nihilque præſidii opinioni falſiſſimæ de larvatis, comœdiſque fratribus intra propria cœnobia affert.

II. Bordonius *Var. reſol. p.* 1. *reſol.* 35. *num. 6. ſaltatio autem, & uſus larvarum honeſte, & recreationis cauſa peracta apud quaſdam Religiones tempore bacchanalium cum depoſitione habitus, immo & in domibus Parentum tantum, non ſunt pluſquam veniale, præciſis extraneis.*

III. Candidus Brognolus *in ſpecul. Cler. Regul. tract.* 3. *cap.* 6. *reſol.* 9. *ſaltatio autem, & uſus larvarum honeſte, & recreationis cauſa peracta apud quaſdam Religiones tempore bacchanalium cum depoſitione habitus, immo & in domibus Parentum tantum, non ſunt pluſquam venialia præciſis extraneis. Siquidem ſuperiores hujuſmodi recreationes in Religionibus laxioribus permittunt, neque prohibent, nec alicui ſit ſcrupulus de peccato mortali.* Auctor iſte purus, putuſque librarius eſt: totidem ſiquidem verbis, nec ſyllaba mutata, Bordonium exſcribit. De Bordonio ergo dicendum. Bordonium inter librarios ſcriptores haud repono, ſed inter laxarum opinionum inventores, & amplificatores. Abſit verbis iſtis invidia. Bordonium, omneſque ſcriptores veneror. Sed dum erroneas opiniones evulgant, quæ animas in æternæ damnationis periculum detrudunt, charitas Chriſti urget nos ad manifeſtandos pravitatis ſcopulos, & æternum pereundi occaſiones. Bordonius, quæ ſibi videbantur probabilia, ſcripſit. Illius bonam fidem, innocentiam, ceteraſque dotes in tuto relinquimus. Sed laxiſſima ſcripſiſſe aſſeveramus, & evidenter probavimus. Conſule integrum diſciplinæ Monaſticæ Prolegomenon. Ergo ne modeſtiæ limites prætergrediemur, ſi lectores, ut de tanta laxitate ſibi caveant admonebimus? Hæc dicta ſint ad demulcendas quorumdam aures, placandoſque animos, qui dum laxarum opinionum ſimulacra coli ab omnibus non vident, commoventur, iraſcuntur. Siccine, inquiunt, deridentur Auctores, Theologi contemnuntur? Nos, ut dictum eſt, Theologos omnes veneramur, ſed laxas nimium a quibuſdam invectas opiniones deteſtamur. Vellem, ut iſti omnium Caſuiſtarum adoratores zelum, & ſapientiam ſuam exercerent in defenſione non auctorum, qui in tuto ſunt, ſed doctrinæ eorumdem. Quid ad nos, quid ad lectores de auctoribus? Illorum opiniones ſunt, quæ Chriſtianis omnibus faceſſunt negotium. Relictis ergo in pace Auctoribus, eorum libros, eorum doctrinas diſcutiamus. Depurgent a laxitatis enormis labe, quæ in præfato Prolegomeno ſcripta ſunt iſti (ut ſic dicam) zelatores, qui ſub ſpecioſo venerationis deferendæ Caſuiſtis omnibus prætextu, laxas ipſorum opiniones propugnare ſtudent. Jactant zelum erga Auctores, quibuſcum nulla neceſſitudo, nulla amicitia, nihilque minus cordi illis eſt, quam præfatorum, quos nunquam cognoverunt, Auctorum exiſtimatio & obſequium. Sed vellent magno in pretio haberi auctores iſtos, ut eorum opiniones carni, & ſanguini accommodatæ impune, & ſecure incederent, plauſumque univerſalem ſibi conciliarent. Parcat lector, ſi ob temporum calamitatem tot, alioquin ſuperflua, verba fundimus. Revertatur ergo, unde diſceſſit, oratio.

IV. Dico itaque, Bordonium cum ſuo exſcriptore Brognolo, immo cum centum, & mille ſimilibus ſcriptoribus, qui ſine ulla ratione, aut legitima auctoritate laxas docent opiniones, nullius eſſe auctoritatis, nullumque vel minimum gradum probabilitatis ſuis afferre opinionibus. Quamvis ergo Bordonius, & Brognolus abſolute docerent, licitum eſſe Regularibus larvarum uſum; non propterea quidquam probabilitatis acquireret opinio iſthæc. Quid quod nec *Bordonius*, nec *Brognolus* defendunt cujuſque criminis expertem eſſe ejuſmodi uſum; ſed ſolum venialis culpæ

pæ limites non tranſilire. *Non eſt*, inquiunt, *plusquam veniale peccatum*: etiamſi Regulares e Monaſterio egrediantur, & in Parentum domibus ſaltent, ludicra repræſentent. Sed, ſi veniale eſt peccatum, cur licitum aſſeris propter receptam conſuetudinem, quæ, ſi vera foret conſuetudo, omnem tolleret culpam? Venialiter culpabilis eſt talis uſus etiam intra Conventum: venialis in domo Parentum. Fac in Cœnobio viginti eſſe Fratres ejuſdem Civitatis: Totidem iſti ſocios accipiunt tempore bacchanalium: Hodie unus cum ſocio aliquorum, cras aliorum Parentum domum adit. Alii ſimiliter domos ſuorum Parentum larvati viſitant. Quidni & propinquorum, affiniumque? Ibidem ſaltant, ſpectacula agunt. Jam habes non parvam Civitatis partem, Fratribus perſonatis plenam. Hæc omnia ſponte fluunt ex principio poſito. Utinam reapſe lacrymabili experientia alicubi hæc omnia oculis non obverſarentur. Quid reponis? Collige ergo, lector, quam verum ſit, infinita mala ex quorumdam Caſuiſtarum laxiſſimis opinionibus oriri. Concedunt, Regulares mendicantes, ſolemni voto paupertatis obſtrictos, poſſe ſex aureos, ſeu viginti ſcuta ludo exponere. Concedunt eoſdem larvatos poſſe in Parentum domibus ſaltare. Et en paſſim plurimos Religioſos totos in ludis, in oblectamentis inſanientis Mundi occupatos cum funeſto ſacrorum Ordinum, & ſtatus Monachalis dedecore & infamia. Conferas, velim, cum Conciliorum, Patrum, graviorumque Theologorum doctrina non paucorum recentium Caſuiſtarum opiniones ſuper ludis, habitu, & inceſſu Monachorum, & tu arbiter ſede, ſententiamque proferto, num ut probabiles propugnari licite valeant.

V. Octavius a S. Joſeph. *Tom.* 2. *tit.* 164. *num.* 1501. hæc ſcribit, ſeu tranſcribit. *Inter tres Clericus, vel Religioſus incedens perſonatus ſive larvatus vulgo* maſcherato . . . *peccat quidem mortaliter. Nam Clericis, & Religioſis eſt prohibitus ludus larvalis . . . Verum puto licitum talem ludum larvalem tam Clericis, quam Religioſis tempore bacchanalium, ſi fiat abſque ſcandalo, cum debitis circumſtantiis, & ſuperioris licentia, honeſtæ recreationis gratia, præſertim ſine præſentia ſæcularium, in aliquo privato loco Epiſcopi, vel Conventus Religioſorum, ut plures memini me vidiſſe, permittentibus Prælatis*. Primum putat, abſolute licitum eſſe Religioſis *tempore bacchanalium ludum larvalem*. Quid? Tempore bacchanaliorum, quo Religioſi Deo adſcripti deberent laicos a peccandi periculo vocare, ipſi ludos larvales peragant, innocentiam ſapit? Dummodo hoc fiat *abſque ſcandalo*. Id erat probandum. Et *Superioris licentia*. Sacrilega foret ejuſmodi licentia: & evince oppoſitum. *Honeſtæ recreationis gratia*. Turpis recreatio iſthæc. *Præſertim ſine præſentia &c.* Tunc nullus eſt ambigendi locus. Deinde, cur? Quia ipſemet P. Octavius plures Regulares larvatos vidit, permittentibus Prælatis? Egregie ſane. Quantæ ſit auctoritatis optimus hic compilator, aliorum eſto judicium.

VI. Inter laxiores colloco Caſuiſtas alium, licet domeſticum, ſcriptorem, in hac tamen cauſſa (in aliis id facturus, ſi æque ac hic laxus erit) Lopez de Texeda, qui *Tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *cont.* 5. *d.* 1. opinionem docet de habitus dimiſſione, quam vel ipſe Diana *tom.* 7. *tract.* 1. *reſ.* 209. ſatis latam appellat.

VII. Allegari ſolet etiam P. Joannes Baptiſta de Lezana Auctor pius, & doctus, atque adeo venerationi habendus. Sed, ut pateat, quam immerito tanti viri auctoritas opponatur, illius verba exponenda ſunt, quæ habentur *Tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. *Incurritur etiam hæc excommunicatio, etiam ſi habitus dimiſſio fiat intra Monaſterium, quia textus dicti cap. non petit Monachi evagationem extra Cœnobium . . . . Hinc dimittere Religioſum ſuum habitum etiam in Monaſterio, & indui veſte feminea per ludum larvarum, vel aliquam comœdiam faciendam, quidam dicunt eſſe peccatum mortale.* Addit vero immediate: *Si tamen fiat ob honeſtam recreationem, Eutrapeliam, vel alium honeſtum finem, debitiſque penſatis circumſtantiis, quantum eſt ex ſe, & ſua natura non erit peccatum, ſaltem mortale: licet ſemper ſit periculoſum propter infirmitatem & corruptionem naturæ. Graffis* 1. *p. deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 57.

VIII. Tria docet Lezana. Primum, excommunicatos eſſe Fratres dimittentes habitum, etiam intra Monaſterium. Secun-

cundo refert ſententiam illorum, qui ſuſtinent, peccare mortaliter Regulares, qui veſte feminea induti agunt comœdias. Tertio ipſe ſtatuit, quod ſi habitus dimiſſio fiat ob honeſtam recreationem, Eutrapeliam, vel alium honeſtum finem, & debitis ſervatis circumſtantiis, ex ſe, & ſuapte natura non ſit peccatum, ſaltem mortale: *licet &c.* Caute loquitur Lezana: quamquam vix adeo caute loqui poſſumus, ut aliquod periodi membrum ſeveræ critices regulis haud ſubjectum in pravum non poſſit ſenſum detorqueri. Aſſerit ergo, quod dimiſſio habitus, & ſi vis etiam, indui veſte feminea ad aliquam honeſtam recreationem, Eutrapeliam, aliumve bonum finem, non ſit abſolute, &, ut dicitur, per ſe, crimen mortale. Id quod & ego aſſero. Idque ex D. Thoma jam dixi, quod ejuſmodi veſtis commutatio non ſit natura ſua peccatum mortale. Fac Religioſum die alicujus magnæ lætitiæ, dum Religioſi recreationis tempore honeſto indulgent genio, feminea veſte, vel alio laicali habitu indutum/ apparere, & coram illis quidquam ludricum, innocens tamen, honeſtumque, aliquo temporis intervallo exercere, peccati mortalis reum nec ipſe damnarem, ob levitatem, & inconſiderationem, & temporis brevitatem: a peccato tamen inter venialia graviſſimo non liberarem, & ob periculum, humanæque naturæ fragilitatem, & abuſum ulterius progrediendi. Secunda vice ſi id ageret, gravioris culpæ reus eſſet. Quoniam licet, ut dixit Lezana, ſuapte natura non ſit peccatum mortale; eſt tamen res plena periculi, & in praxi vix eſt ſine culpa. Hinc ſane originem duxerunt Comœdiæ illæ, & Tragœdiæ Theatrales, quæ in cœnobiis aliquibus cum maximo omnium bonorum ſcandalo peraguntur. Hoc, & non amplius, dicit Antonius a Spiritu Sancto, Auctor alioquin nimium benignus, *tr. 3. diſp. 6. ſect.6.* §.1. *n. 956. Idem dicendum eſt, ſi hoc ex levitate faciat, ut ſi tempore recreationum quis habitum dimittat, ut induat ad modicum tempus in Conventu habitum hiſtrionum... Erit tamen ſemper veniale talis dimiſſio.* Audiſti Caſuiſtam benigniſſimum? Si etiam tempore recreationis Religioſus ex levitate, ideſt inconſiderate, ad modicum tempus induat habitum Hiſtrionum, peccat venialiter. Quid, ſi animo deliberato? Quid, ſi per plures dies? Quid, ſi coram amicis, Parentibus, propinquis, aliiſque laicis? Ex his collige, ne Caſuiſtas etiam laxiores docere, licitum eſſe Regularibus larvatas ex conſilio Comœdias profanas agere, & conſequenter ſecundum vel ipſos Caſuiſtas abuſum ſpectaculorum & larvarum hodie in aliquibus Cænobiis ſerpentem, illicitum eſſe & vitioſum: immo juxta communiſſimam ſententiam Theologorum excommunicationi obnoxium.

CAPUT VII.

Nonnullæ hoc de argumento quæſtiunculæ.

I. QUæres 1. *An, ſi in Monaſterio Regulares, vel Sanctimoniales Comœdorum veſtes ſumentes aliquas de pio argumento Comœdias agerent adeo ſecrete, ut nemini Sæcularium pateret aditus, quin nec notitia, peccarent mortaliter?*

II. ℞. *Joannes Pontas* tom. 1. verb. comœd. caſ. 4. refert, ſibi hunc caſum, qui reapſe Mediolani contigerat, ſolvendum propoſitum fuiſſe 18. Novembris 1716. & D. Thomæ auctoritate producta, peccare, & quidem graviſſime ejuſmodi Religioſos reſpondet; tametſi argumentum repræſentationis honeſtum & pium ſit. Et ratio clara eſt: quia ſola depoſitio habitus, temere facta, peccatum eſt. Augetur vero malitia ſi loco habitus Religioſi aſſumantur veſtes comœdiarum. Quoniam hoc ſpecialem redolet turpitudinem. Hinc eſt, quod Concilium Colonienſe ann. 1549. Sanctimonialibus vetat vel ipſa pia, & ſacra ſpectacula. *Quæ ſpectacula, etiam ſi de rebus ſacris, & piis exhiberentur, parum tamen boni, mali vero plurimum relinquere in Sanctimonialibus poſſunt, geſtus externos ſpectantibus, & mirantibus . . . ideo vetamus, & prohibemus poſthac, vel Comœdos admitti in Virginum Monaſteria, vel Virgines Comœdias ſpectare.*

III. Quæres 2. *An, ſi Regulares, a Parentibus, & amicis veſtibus ſecreto acceptis, piam aliquam, & omnino ſacram Comœdiam agerent, peccarent?* ℞. Quoties deliberato animo abſque rationabili cauſſa Regulares deponunt habitum ſuæ Religionis, ſemper peccant. Peractio vero Comœdiæ, quamlibet ſacræ, rationabilis

bilis cauſſa haudquaquam eſt habitum hunc deponendi. Inſuper: quid eſt, quod habitum deponas, & laicalem ſumas, ut rem ſacram repræſentes? Nonne rebus ſacris, melius quam profanæ, veſtes Religioſæ, & ſacræ congruunt? Sacra profanis permiſces, dum laicis veſtimentis ſacra pertractas. Et hoc verum habet, etiamſi ſolas viriles veſtes indueres. Quod ſi muliebrem quoque formam exprimeres, gravius procul dubio flagitium perpetrares. Quod a Parentibus, vel amicis veſtes conquirantur, nihil omnino refert. Quoniam habitus commutatio, temere facta, ſeipſa vitioſa eſt. In mutandis porro veſtibus ſcandalum majus, vel minus contingere poteſt.

IV. Quæres 3. *An, ſi Religioſi quid ludricum repræſentarent, quin proprium habitum deponerent, ſed illum retinentes ſub ridicula forma aptarent, aliquam culpam committerent?* ℟. dum proprium habitum non deponunt, & ludicram narrationem, aut factum, quod repræſentant, honeſtum eſt, ego exiſtimo eos non peccare ſaltem graviter. Ridicula autem habitus ſacri diſpoſitio; ut riſus materia evadat, ſeu ut riſum foveat, non videtur ab aliqua culpa immunis. Habitus enim ille ſacer eſt: indulgentias conſequuntur illum deoſculantes. Quamdam ergo deformitatem ſapit, dum illo abutimur ad riſum excitandum. Ut ludrica licita ſint, ad Eutrapeliam pertinere debent, ideſt congruant, oportet, loco, tempori, perſonæ; & ſumma opus eſt moderatione. Sexcenta, inquit Chryſoſtomus, ſunt quæ animum recreare innocen er, honeſteque valent. Relinque ergo ejuſmodi ſpectacula, licet ſacra, ob facilem tranſitum ad profana: vel, ſi ſacra repræſentare aves, habitu ſacro indutus, atque convenient gravitate illa peragito. Paucis dicam: Res ſacras ſumma animi demiſſione, & pia meditatione venerari debemus: qui eas in ludricas repræſentationes convertit, profanationem committit. Tempore bacchanaliorum Regulares potiſſimum juges preces Deo offerre, ſanctis exercitiis ſedulam navare operam convenit calamitoſiſſimo illo tempore, quo cujuſque generis ſcelera, ſeu æſtuans Torrens, quoquo verſum induant. E ſuggeſtu in ſuis Eccleſiis Religionis Chriſtianæ præcipua Myſteria repræſentent. Sanctiſſimam Euchariſtiam adorandam populo exponant. Hæc præſtant plurimi Regulares; qui a quocumque ſpectaculorum genere alieniſſimi, lætitiam, gaudium maximum ſpirant. Caveant ergo Superiores, ne ſub aſpectu devotionis & pietatis, abuſus ſpectaculorum in propria introducatur Cœnobia. Quædam enim ludrica ejus ſunt naturæ, ut nunquam, ubi incipiunt, ibi ſiſtant, pedemque figant; ſed ultra ſemper procedant. Idcirco ſumma opus eſt vigilantia.

CAPUT VIII.

Nonnullæ animadverſiones in Libellum Inſcriptum. SAGGIO Iſtorico-Canonico &c. Dedicato agli Ordini Regolari in Palermo 1751. *Quam ſint libelli iſtius errores craſſi, & Regularibus pernicioſi.*

I. NOn puduit Auctorem hunc libellum ſuum *Ordinibus Regularibus* inſcribere, ut eoſdem (inquit in Epiſtola dedicatoria) ab infamiæ labe, quam illis aſperſit Auctor *Epiſtolæ adverſus Theatra, & Comœdias Regularium Palermi* editæ an. 1748. purgaret. Anonymus hujuſce Epiſtolæ Auctor eſt P. Magiſter PRESTI Ord. Præd. doctrina, morum integritate, & Regularis obſervantiæ promovendæ ſtudio clariſſimus, qui, ut decorem, & famam Ordinum Clauſtralium intaminatam aſſereret, dictam Epiſtolam edidit. Sed ea eſt infeliciſſimi ſæculi noſtri calamitas, ut, cum viri Dei adverſus putidiſſimas corruptelas, & uſquequaque graſſantes abuſus vocem extollunt, calamumve acuunt, acerbiſſimas cenſuras evadere vix poſſint. Præfatum *Specimen Hiſtorico-Canonicum* ita profligavit P. Magiſter *Preſti* altero opuſculo inſcripto *Eſame del Saggio Iſtorico-Canonico &c. Palermo* 1751. ut nihil fere adendum ſuperſit. Quare pauciſſima ego adiiciam, non tam ut male confarcinatam opellam confutem, quam ut eamdem deteſtabiliorem reddam, Auctoremque ad meliorem, ſi fieri poteſt, frugem ſtudeam revocare. Is quippe infamat, & in contemptionem deriſionemque adducit Sacros Regulares Ordines cum apud Catholicos, tum apud Hæreticos ipſa opellæ ſuæ dedicatione; quaſi Regulares Ordines Theatra, & Comœdias, quas alicubi a quibuſdam ſubditis propriæ profeſſionis prævaricatoribus repræſentari dolentes, & gemebundi tole-

ſerant, conſenſu ſuo probarent. Abſit tam tetra, & indigna de Regularibus Ordinibus ſuſpicio.

II. Ut paucis rem concludamus, intra juſtæ controverſiæ limites coercendus adverſarius eſt. Plurima ille infarcit, & agglomerat, ut evincat licita eſſe Regularibus honeſta ſolatia, Theatra, & pudicas repræſentationes, quaſi repertus quiſpiam fuerit, qui id vel in diſputationem traduxerit umquam. Quare in magna ſuæ Epiſtolæ parte aerem verberat, & continuo in fumum abit univerſum *ſpecimem Hiſtorico-Canonicum*. Contendit Hiſtorico-Canoniſta, omnia Regularium Theatra honeſta eſſe, atque pudica. Inquit enim Num. XXII. „ Or eſſendo i Teatrali divertimenti de' Religioſi TUTTI oneſti, ſparſi di ſentenze di un'etica Criſtiana, e riſtretti finalmente tra' limiti accordatigli da più rigidi Teologi, può l' Eccleſiaſtico Religioſo ſenza ripugnanza veruna montare in iſcena, rappreſentar la perſona non già *di una vile*, *e sfrontata meretrice*, come gli appone il voſtro Autore, ma di una Santa Verginella, che ſparge il ſangue per amor del ſuo celeſte Spoſo: o al più *di una donna virtuoſa*, *che ſi affanna al pericolo del ſuo legittimo Spoſo*." Quænam hæc Virguncula pudibunda? Quænam hæc mulier præſtans? Cleopatra, Argenes, Ariſtea &c. Fallit, & ſupra quam dici poteſt, decipit Auctor iſte lectores ſuos.

III. Repræſentationes, quæ fieri in quibuſdam Regularium Clauſtris carnis privi tempore conſueſcunt, Diſſertationis initio deſcripſi, & iterum revocandæ ob oculos ſunt. Eriguntur in Sacris Clauſtris profana theatra, aperiuntur ſcenæ. Ipſæ Comœdiæ, & Tragœdiæ, quæ in publicis Theatris recitantur ab Hiſtrionibus, repræſentantur intra Sacra Clauſtra: Plurium hebdomadum intervallo memoriæ mandantur, & non raro, tempore quo in Choro celebrandæ Divinæ laudes eſſent. Veſtes laicales conquiruntur. Sacerdotes Dei Sacram veſtem exuunt. *Qui amaſiunculæ feminæ* perſonam ſuſtinent, muliebres veſtes induunt, *& Batali* atque *famelli*, ut cum Cyrillo Alexandrino loquar, evadunt. Qui *Amatorculorum* agere partes debent, comis aſcititiis caput operiunt, Comicorum indumentis ſplendidiſſimis ornantur, ut polituli, formoſuli, & pulchelli ſui appareant amaſiunculis. In ſcenam prodeunt profanas recitaturi Comœdias. Ultro, citroque mutui amoris cauſſam agunt coram ſpectatoribus, & quiſque in hoc amatorio certamine arripere palmam ſtudet. Femineam teneritudinem, & illicia vivide imitari, dulces, molleſque exprimere corculi affectus, & præſtigia omni arte conantur. Exodia, ſeu actus intermedios ſcurrilitate, & ludricitate pleniſſimos miſcent: Ne multa. Reciproci amoris furtivas artes, irritamenta, & laudes voce, geſtu, atque nutibus exprimunt Sacerdotes, & Sacerdotiſſæ, trium, aut quatuor horarum ſpatio in hebdomades plures. Et ſæpe cantant, ſaltant, tripudiant.

IV. En Comœdiarum, quæ in quibuſdam Sacris Clauſtris recitantur, ſincera notio, & germana imago. Aliquid ne plus juſti exaggeratum? Negabunt ne illa ipſa drammata amatoria typis edita, quæ ab Hiſtrionibus recitantur in publicis, repreſentari in privatis Clauſtralium Theatris? Immo ſeliguntur comœdiæ celebriorum Poetarum, qui quo ſunt peritiores, doctioreſque, eo ſunt pernicioſiores, cum promovendi cordis, emolliendi animi, & excitandorum affectuum artem apprime calleant. Negabunt ne Clauſtrales, viros alios veſtes feminea, & ceteris muliebribus ornamentis comptos, alios Hiſtrionum veſtibus indutos cauſſam amoris ludere? Hæc omnia Urbi, & Orbi comperta ſunt.

V. Has autem Comœdias turpes, obſcœnas, & impudiciſſimas eſſe, nemo niſi fatuus inficiabitur, atque adeo Chriſtianis ipſis, nedum Sacerdotibus vetitæ eædem ſunt. Ergo viri Clauſtrales illas repræſentantes, & ſpectantes, ſacrilega flagitia, graviſſima ſcelera, & funeſtiſſima ſcandala perpetrant. Hæc omnia fuſius expoſita ſunt *Diſſert.* 1.

VI. Sed ob oculos redeant Hiſtorico-Canoniſtæ verba ſupra reſcripta. „ Or eſſendo i Teatrali divertimenti de' Religioſi TUTTI oneſti, ſparſi di ſentenze di un' Etica Criſtiana, può l' Eccleſiaſtico Religioſo montar in iſcena, rappreſentar la perſona di una *Santa Verginella*, *che ſparge il ſangue per amor del celeſte ſuo Spoſo*." Quot hic antilogiæ, ne dicam quot ſacrilega commenta! Sanguinis ergo Sacrarum Virginum effuſio, materia erit ſolatii, & re-

laxationis Clauſtralium? Sanctiſſimum Virginis Martyrium bacchanaliorum tempore repræſentatur in Theatro? Cur? Ut Religioſi ſolatia inde capiant, recreentur, relaxentur, lætentur, & tripudient? Quod Sacrarum Virginum Sanguinaria Martyria, tormenta, carnificinæ referantur ad devotionem, ad pœnitentiam, ad carnis conflictationem, & Chriſtianæ fortitudinis virtutem excitandam, Sancta eſt repræſentatio: at qui hæc omnia in ſolatii, relaxationis, & vanæ lætitiæ argumentum converteret, ſacrilegus foret, & ſceleſtus. An Indos, an Æthiopes ſe alloqui arbitratur *Hiſtorico Canoniſta*? Mentitur iniquitas ſibi, & miſcet Sacra profanis, & ſus deque omnia perturbat, ut ſplendidiſſimæ veritati tenebras offundat. De Sacris Martyrum repræſentationibus nullus nunc ſermo eſt, ſed de profanis comœdiis, quæ reipſa repræſentantur in nonnullis Clauſtris, diſputatur.

VII. *Pag.* 60. *num.* 16. laudat Canoniſta noſter Ludovici Antonii Muratorii auctoritatem *Perf. Poeſ. l.* 1. *cap.* 4. ubi dicitur: *Dalle tragedie ſi raffrena la ſuperbia de' Principi, de' potenti, de' ricchi ec.* Ineptum iſtud commentum *Diſſ.* 1. rejectum eſt. Sed audiat adverſarius quæ Muratorius in Opere, cujus titulus eſt: *Della pubblica felicità cap.* 26. *pag.* 375. ſcribit adverſus Clauſtralium Theatra. „ Mi conviene ora aggiungere, eſſervi „ perſone di molto ſenno, all'occhio delle „ quali fa un *brutto vedere*, la cotanto „ dilatata licenza di alcuni non pochi „ Chioſtri, dove ſi rappreſentano Trage„ die, e Commedie, e per dar anche „ ſpaſſo al popolo, che a gara vi con„ corre. Non è mai veramente entrata „ uſanza tale, e libertà *ne' Moniſteri, e* „ *Conventi, dove abita una modeſtia ſta*„ *bile, e una eſemplare morigeratezza*; „ ma in altri non pochi poſſiam trova„ re, che chi ha rinunziato ai ſolazzi del „ ſecolo, torna ai medeſimi, *nè ſi fa* „ *ſcrupolo alcuno di rappreſentare amoreg*„ *giamenti, e tenerezze fra l'uno, e l'al*„ *tro ſeſſo, e di comparire con abiti don*„ *neſchi in Teatro* (il che troppo inde„ cente ad uomini Religioſi, ſi dee con„ feſſare) e di ſpacciar anche *merci proi*„ *bite* in qualche intermezzo con *render*„ *ſi poi ridicoli, e dilegiati* preſſo gli „ ſpettatori Secolari: Il Chioſtro è, o „ dovrebbe eſſere *Teatro di penitenza*, e „ di ritiratezza, ſpecchio d'ogni virtù al „ guardo de i Popolari. “ Hæc ſerio expendat hiſtoricus & Canoniſta noviſſimus ſerioque meditetur, a Cl. Muratorio Comœdiarum, atque Tragœdiarum, quæ repræſentantur in Clauſtris, notionem, atque deteſtationem exhiberi.

VIII. Pag. 82. Nimis impudenter, & ignoranter Auctor obtrudit abuſus, qui ſerpere Romæ poſſunt. Leges, quæ Romæ pro morum reformatione rogantur, non hominum undique huc confluentium vitia conſulat. Quæ de Juvenum Collegiis narrat, aut falſa ſunt, aut vitioſa. Præterea, numquid, quæ juvenibus laicis permittuntur, Dei Sacerdotibus, & quidem Cœnobitis expediunt? Fraude indigna abutitur pag. 121. piiſſimi viri *P. Pauli Segneri* auctoritate ad honeſtanda Clauſtralium Theatra. Tempeſtive vero in ſui patrocinium aſciſcit *pag.* 122. ſeu ultima, libellum *Nicolai Barbieri*, inquiens: *Voi potrete leggere quel librettino da me donatovi, che porta per titolo*: „ La ſup„ plica ricorretta, ed ampliata: Diſcorſo „ famigliare di Nicolò Barbieri detto Bel„ trame “ *nel qual libro l'Autore ſenza valerſi di autorità veruna, con la ſola ragione graziosamente, e ad evidenza dimoſtra la verità*.

IX. Nicolaus Barbieri dictus *Beltrame* famoſus Hiſtrio fuit, & cauſſam propriam Hiſtrionicam oravit. Quemadmodum Hiſtoricus Canoniſta Patres, Theologos, & Canoniſtas, quos ad confirmandam ſuam Theatralem, & erroneam opinionem, aut rara inſcitia, aut fide minus ſincera adulteravit, & in pravos ſenſus detorſit, ita Hiſtrionem *Beltrame* ſincere, & fide bona ſibi in Patronum adducit. Et ſane quis eſt, qui ſuam defendere profeſſionem & artem ſive honeſtam, ſive turpem non ſtudeat? Sed derelinquamus hunc Hiſtoricum Canoniſtam ſub patrocinio ſui Hiſtrionis *Beltrame*. Nec enim ſuſius cetera, quæ in ſuo opuſculo penitus diſparata congeſſit, refellere convenit, cum ſeipſis labantur. Utinam Auctor iſte retractare erroneam doctrinam, ſuumque libellum perpetuis addicere flammis velit; ut ſuæ conſulat æternæ ſaluti. Quod ut efficacius præſtet, eidem meditanda ſubjicio, quæ adverſus Theatra *lib 6. de Guben.* ſcribit Salvianus. *In Spectaculis quadam apoſtaſia fidei eſt, & a ſymbolis*

ipſius

ipſius, & cæleſtibus Sacramentis lethalis prævaricatio. Quæ eſt enim in baptiſmo ſalutari prima Chriſtianorum confeſſio? Quæ ſcilicet, niſi, ut renuntiare ſe diabolo, ac pompis ejus atque ſpectaculis, & operibus proteſtentur? Ergo ſpectacula, & pompæ, etiam juxta noſtram Profeſſionem opera ſunt diaboli. Quomodo, o Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, quæ opera eſſe diaboli confiteris? . . . Et quid plura? Credo, inquis, in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus. Ergo primum renunciatur diabolo, ut credeatur Deo, quia qui non renuntiat diabolo, non credit Deo: Et ideo, qui revertitur ad diabolum, relinquit Deum: diabolus autem in ſpectaculis eſt, & pompis ſuis, ac per hoc cum redimus ad ſpectaculum, relinquimus fidem Chriſti. Si hæc adverſus Chriſtianos Theatra frequentantes ſcripſit Salvianus, quæ non dixiſſet adverſus Cœnobitas Mimos, & Mimas agentes?

X. Gratiæ tamen Deo referendæ ſunt, quod præclariſſimus Superior quidam Cœnobita ſanioris doctrinæ vindex, & morum integritate ornatiſſimus, occaſione præfati libelli, re ſerio expenſa, Theatrum intra Clauſtrum erectum demoliri penitus curavit, atque a ſuo Cœnobio Comicas repræſentationes prorſus exterminavit. Quo ſolo facto validius & efficacius quacumque Diſſertatione, & oratione, dictum libellum, & alia id genus commenta omnino profligavit.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA
DE
PRESBYTERIS PERSONATIS
PRÆLOQUIUM.

ALterum Divini furoris, atque vindictæ in humanum genus argumentum eo funeſtius, atque horrendius, quo Presbyteros, Clericoſque ſacris initiatos ſpectat, exponendum deliberavi. Quod in ipſo ſacro cœtu flagitia ſerpant dolendum, ſed minime mirandum eſt, cum ipſi Deo ſacrati Viri carne originalis culpæ labe inquinata conſtent, & in Apoſtolico Collegio unus repertus Judas fuerit. Verum quod Sacerdotes Populorum Magiſtri, Evangelicæ legis interpretes, interceſſores Chriſtum Jeſum inter, & Populum, dicant malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, hoc eſt tremendiſſimum cæleſtis vindictæ flagellum expreſſum ab *Ezech. cap.* 26. clamante, *Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum, & quærent viſionem de propheta, & lex peribit a Sacerdote, & Concilium a ſenioribus*. Ipſo Bacchanalium tempore, quo dæmones ultimas exercent in animas Chriſti ſanguine redemptas vires, & furorem, Sacerdotes Dei, qui contra rugientem leonem vigilare, fideique ſcutum ſumere deberent, larvas a Diabolo, non a Deo invectas ſumunt, Theatra adeunt, & ſpectaculis aſſident. Et hanc corruptelam ipſis ſacrilegam exercent, ceu honeſtum ſolatium, & licitam recreationem, quin nec tantillum ſibi eam vitio vertant. Quod cæcitatis portentum quam ſit terribile, ut percipias, illud in anteceſſum pro certo habeas, omnes Patres, ſacros Canones, Theologos omnes, ipſos Caſuiſtas benigniores damnare Presbyteros perſonatos in publicum prodeuntes peccati mortalis. Verumne hoc? Veriſſimum. Quam facti veritatem, adductis Dianæ, Bonacinæ, Trullenchi, & aliorum Caſuiſtarum laxioris Ethices teſtimoniis infra demoſtrabo. Et qui fieri malum poteſt, inquis, ut vel ipſi Sacerdotes honeſtum reputent, quod omnium ſapientum conſenſu ſcelus eſt? Miraris? Obtupeſcis? Scripturam ſanctam legito, & invenies hoc eſſe cæcitatis formidandum ſupplicium, quod jam indicavi. Audi c. 29. Iſaiam. *Quoniam miſcuit vobis Dominus Spiritum ſoporis, claudet oculos veſtros: Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones operiet, & erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litteras, dicent: lege iſtum; & reſpondebit: non poſſum.* Legent fortaſſis & librum hunc meum, ſed illum ut immanis rigoris plenum ridebunt, deſpicient. Quæ omnia luculentius confirmant, quod dixi, cæcitatis nempe caliginem vel ipſius Chriſtianiſmi Sacerdotum aliquorum mentes obſcurare. Expergiſcimini ergo viri fratres, & in lucem veritatis mentes intendentes ſerio expendite, quæ ad veſtram utilitatem, atque ad ordinis Clericalis ignominiam auferendam ſum dicturus.

CAPUT I.

Peccant mortaliter Presbyteri, qui Clericali veſte poſita, laicorum veſtes induunt, & vultu larva abſcondito, diſcurrunt per vicos, & plateas, Theatra adeunt, ludentibus, & choreas agentibus ſpectatores adſunt.

I. JAM ab anno 1736. diſſertationem edidi de Regularibus perſonatis, & paulo poſt Appendicem *Diſciplinæ Apoſtolicæ monaſticæ* adjeci adverſus

ſus

ſus Clericos ſæculares larvatos. Hanc ſecundam paucis perſtrinxeram: idcirco lubet nunc ſecundo recognoſcere, & fuſius idem illuſtrare argumentum.

II. Cum autem de Presbyteris perſonatis ſermo inſtituitur, in quæſtionem minime revoco, fortuitos quoſdam, raroſque eventus, in quibus aut neceſſitas tuendæ vitæ, aut alia gravis, & urgens cauſſa licitum Presbyteris larvarum uſum efficere, aut ſaltem a gravi culpa excuſare temporis brevitas valet. Sed id inveſtigamus, peccent ne mortaliter Presbyteri, & Clerici ſacris initiati, qui neceſſitatis cauſſa ſublata, larvati incedunt?

III. Concluſio adfirmans communis eſt, & invictis rationum momentis evincitur. Prima autem, & potiſſima ratio ab ipſa Sacerdotali dignitate repetitur. *P. Hieronymus dal Portico* Congregationis Matris Dei, qui hanc Provinciam erudite, & docte lingua vernacula illuſtravit, exhauſitque, indicatam rationem Sacerdotis dignitati inſitam fuſe exponit, eamque ceteri quoque Theologi, & Patres omnes altius inculcant.

IV. Penes ipſas barbaras, & ſuperſtitioſæ Religionis nationes Sacerdotium ſummo ſemper in pretio habitum fuit. Chriſtianæ profeſſionis Presbyteros Tertullianus *lib. Scorpiac. cap. 9. appellat Hæreditarios diſcipulos, & Apoſtolici ſeminis frutices.* S. Joannes Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerd. cap. 3.* inquit: *Sacerdotium in terris peragitur, ſed in rerum ordinem, claſſemque Cæleſtium referendum eſt.* Sacerdotes Magiſtri, & Patres ſunt Chriſtiani Populi. Ipſi ſecundum Chriſtum Jeſum inſtituti ſunt mediatores Deum inter, & homines, ut Apoſtolus Paulus 2. *Corinth. cap.* 5. ait: *Dedit nobis Miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Nulla ſive Regum, ſive Imperatorum poteſtas cum Sacerdotum ſublimitate comparari ullo modo poteſt. Immo S. Bernardus *Ser. ad Paſt.* & S. Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerd. cap.* 5. hæc habent. *Prætulit vos Deus Regibus, & Imperatoribus: prætulit Angelis, & Archangelis, prætulit Dominationibus.* Paucis verbis præ ceteris Patribus incredibilem Sacerdotis excellentiam, & poteſtatem exponit in *pſal. 37. conc.* 2. S. Auguſtinus, & in Sacerdotum manibus Filium Dei incarnari quodammodo aſſerit. *Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in utero Virginis incarnatur.* Quid plura? Poteſtas illa, quæ Deo ſoli convenit, peccata nempe condonandi, collata Sacerdotibus eſt. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quam facultatem recogitans Chryſoſtomus *Lib. 3. de Sacerd.* 1. 4. exclamat: *Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? Pater omnimodam poteſtatem dedit filio: Ceterum video ipſam omnifariam a Deo filio Sacerdotibus traditam.* Tribunal Dei in Cælis, & Sacerdotum in terra unum quaſi efficitur. Et quemadmodum Chriſtus humanam ſibi copulavit naturam, ut inſtrumentum univerſæ ſanctificationis peccatorum: ita Sacerdotes evexit, ut eſſent peculiaria inſtrumenta criminum remittendorum, animarumque Divina gratia ſanctificandarum. Quis meditari tam excelſas, Divinaſque dotes valet, quin gradum Sacerdotalem demiſſo animo ſuſpiciat, & veneretur?

V. Hinc Patres, & Theologi omnes colligunt, Sacerdotum inceſſum, geſtus, veſtitum, & actiones reſpondere ſublimi dignitati debere. *Ideo cunctos* (inquit Lib. 2. ad Eul. Cath. Salvianus) *qui Sacri Altaris ſuggeſtu eminent, tantum oportet excellere merito, quantum gradu. Nihil enim eſt turpius, quam excellentem eſſe quemlibet culmine, deſpicabilem vilitate.* Et S. Leo Papa *Cap.* Omnium *diſt.* 32. ſcribit. *Tam excellens eſt Sacerdotum electio, ut quæ in aliis Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.* Et innumeris aliorum Patrum teſtimoniis miſſis, ipſum Concilium Tridentinum *Seſſ.* 22. *Cap.* 1. inquit. *Levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant.*

VI. Quis nunc continere ſe valet, quin exclamet: Presbyter perſona tam gravis, tam ſancta, tam excellens, Sacerdotali veſte poſita, & dignitate ſua occultata, laicorum veſtes inducit, larvas ſumit? Cur? Ut Bacchanalium præſtigiis delectetur, ut ludentium intereſſe menſis, ut ſpectare comœdias, cho-

choreas, & inſanientis mundi, & paganicæ ſuperſtitionis ſpectacula valeat? Mane ad Sacrum Altare ipſum Filium Dei, cujus ſuſtinet vices, Æterno Patri offert in peccatorum remiſſionem, atque, ut Deo homines reconciliet, propitiamque reddat infinitam Dei clementiam: Poſt meridiem vero, tam Divina, & præſtantiſſima dignitate neglecta, inſignia Mundi, & ne dicam Diaboli ſumit, & cum laicis, diſſolutoque populo larvatus ſpectaculis aſſiſtit, mulierculas viroſque converſantes, & ſubimpudica duella exercentes delectabundus proſpectat? Mane Deo, ſero Mundo, & Satanæ pompis ſuum offert obſequium? Sola aſſuetudo, & familiaritas efficit, ut abſque horrore maximo tam horrendiſſima ſpectari monſtra valeant, & tantum non laudari. Quamobrem clamat S. Auguſtinus. *Væ peccatis hominum! Quæ ſola inuſitata exhorreſcimus, uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei Sanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſe faciant Regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Enchirid. cap.* 80. Ex ſumma igitur, & manifeſta larvarum contrarietate cum Sacerdotali dignitate, gravitas peccati mortalis evidenter colligitur.

VII. Auget peccati malitiam in Sacerdotibus larvarum uſus, quod ludibrio, & deriſioni gradum Presbyteralem, & Eccleſiaſticum ſtatum exponat. Dictum ſupra eſt, Sacerdotalem gradum eminere ſupra ipſam Regiam excellentiam. Differunt vero, quod regalis dignitas ſua habeat fulgida inſignia ſenſibus obvia, ſubditorum nempe obſequia, miniſtrorum, ſervorumque magnificum, & refulgentem apparatum. Sacerdotalis majeſtas ſpiritualis eſt, & ſenſibus occulta. Extrinſecus ſe prodit unice gravitate morum, ſanctitate vitæ, virtutum exercitio. Hæc ſunt, quæ ſacerdotibus obſequium, reverentiam, & venerationem conciliant. Contra, ſi mores corrupti fuerint, ſi mundi ſpectaculis, & oblectamentis ſe ſe immiſceant, tum in contemptionem, & deſpectum veniunt Populi Chriſtiani. Hinc Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. hæc ſtatuit. *Moneant Epiſcopi Clericos ſuos, ut converſatione, ſermone, & ſcientia Dei populo præeant, memores ejus, quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum; & juxta Apoſtoli vocem: nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus ſe exhibeant ſicut Dei miniſtros.* Hæc eſt S. Pauli Apoſtoli, hæc omnium Conciliorum, & Patrum doctrina. Brevitatis cauſſa ſola S. Ambroſii verba ex *lib.* 3. *Epiſt.* ad Irenæum tranſcribo. *Vides nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihil commune cum ſtudio, atque uſu, & moribus inconditæ multitudinis. Sobriam a turbis gravitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vindicat Sacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſervari a populo, qui nihil habet Secretum a populo, diſpar a multitudine? Quid enim in te miretur, ſi ſua in te recognoſcat? Si nihil in te aſpiciat, quod ultra ſe inveniat? Si quæ in ſe erubeſcit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur plebejas opiniones, & ſtrata quædam gregalis Converſationis, ac detritæ viæ orbita declinemus, ac vulgaris ſemitæ ſolum, quam currit ille, cujus vita levior curſore: Sed quæramus nobis viam inacceſſam ſermonibus inſolentium, inviam operibus imperitorum, quam nullus maculoſus deterat.*

VIII. Quid, ſi non modo populus Presbyteros ſanctiores; ſed contra corruptiores populi mores ſectantes videret! Quodnam tunc ſcandalum, quæ ſtatus Eccleſiaſtici contemptio, quæ animarum ruina, qui ad flagitia graviora auſus ſi populorum Magiſtri, Doctores, & Spirituales medici tempore bacchanalium, quando Dæmon, & mundus directe aggrediuntur Chriſtianæ Religionis ſanctitatem, ſuaque validiora ad caſtitatem deturpandam arma tractant, inſanienti multitudini, & ſolutioris vitæ Laicis miſceantur? A quo tum corrigi errantes, a quo ſanari infirmi poſſent, ſi leproſi ſunt medici ipſi?

IX. Muſitant Sacerdotes nonnulli, quos ipſemet audivi, populum grave ſubire ſcandalum, ſi Presbyteros Clericali veſte indutos ſpectaret aut per plateas vagari, aut ſpectaculis, comœdiis, theatriſve intereſſe. Quare ut offendiculum evitent, ſacra veſte poſita, larva ſuum ſtatum occultant. Næ hæc robuſta ratio? Scandalum patitur populus Chriſtia-

ſtianus, cum Sacerdotes recenſitis oble-ctamentis, ſpectaculiſque adeſſe conſpicit? Ergo ſpectacula iſta, & ſolatia ipſius turbæ populique Chriſtiani communi ſenſu Sacerdotibus illicita & interdicta reputantur. Scandalum ſuffert Chriſtianiſmus, ſi videat Clericos Sacris initiatos frequentare Theatra, & Comœdias ſpectare, choreas, & ludos? Ergo gravius recipit ſcandalum, dum eoſdem videt perſonatos, vulgo *Maſcherati*. Verum haberet, ſubdunt, ſi populi id deprehenderent: at ignorant illi, Sacerdotes eſſe larvatos. Ita ne vero? An populi una voce non clamant? *Il Prete, il Frate in Maſchera*: An non ſibi illudunt illi, qui exiſtimant hæc occultari laicis poſſe? An hæc ignorant domeſtici, vicini, ſocii, qui veſtes porrigunt, aut locant? Ergo ex ore tuo te judico. Scandalum exciperent laici, te fatente, ſi viderent Presbyteros clericali veſte indutos, aut manifeſte larvatos adire Theatra, plateas, in quibus ſpectacula aguntur, domos, ubi ludi, vel choreæ fiunt. At reipſa populi Presbyteros vident, & ſciunt ad præfata perſonatos incedere. Ego Presbyteri larvati incedentes mortaliter peccant.

X. Reponit Marcus Vivaldus in *Append. ad Candelab. Aur. c.* 78. alicubi nullum perferre ſcandalum laicos talia conſpicientes, *Bononiæ autem* (inquit) *ubi ipſimet laici Clericos ad hoc incitant, dicentes, licet falſo, larvarum uſum maxime propter Clericos eſſe inventum, nullum eſt ſcandalum*. Hæc eſt Caſuiſtica argutatio. Hic eſt Doctor temporis. Alibi quoque circumfertur hæc barbara paraemia. *Maſcheræ inſtitutæ ſunt pro Pretis, & Fratis*. Pudere deberet rei moralis tractatorem erronea corruptæ plebis axiomata in medium afferre, ut errori velamen aliquod obtenderet. Larvarum uſus in Sacerdote, natura ſua, ſcandalum parit, ob maximam cum gradu Sacerdotali oppoſitionem. Quod autem hic, aut alibi ſcandalum ſequatur nec ne, per accidens eſt. At propterea a gravi crimine liber eſt Sacerdos perſonatus?

XI. Quæ hactenus dicta ſunt luculentius confirmantur. Adfirmant communiter Theologi, & vel ipſi benigniores Caſuiſtæ, peccare mortaliter laicos qui veſte aut Clericali, aut Monachali perſonati publice incedunt. Quam ſententiam docent Sylveſter *v. habitus*. Et poſt ipſum, Comitolus, Riccíullus, Navarrus, Fumus, Corradus, Rodriquez, Corduba, Portellus, Wigandt, Bordonius, Lezana, Barboſa, Naldus. Hi omnes docent: *Habitum Religioſum deferens perſonatus, ſeu larvatus, vulgo* Maſcherato, *peccat mortaliter*. Quid plura? Non modo communis eſt doctrina hæc penes Theologos & Caſuiſtas; ſed vel ipſe Imperator Juſtinianus in ſua celebri authentica *de* 55. *Epiſt. tit.* 15. 44. hæc decernit. *Omnibus itaque generaliter in ſæculari vita converſantibus, & maxime theatralia exercentibus, nec non proſtantibus interdicimus uti ſchemate Monachi, aut Monaſticæ, aut* Aſceteriæ, *aut cujuſvis perſonæ hujuſmodi imitari ſchema, ſcientibus univerſis præſumentibus, aut uti tali ſchemate, aut imitari, aut illudere in quacumque Eccleſiaſtica Diſciplina, quia & corporalia ſupplicia ſuſtinebunt, & exilio tradentur.*

XII Cur vero peccant Laici Religioſa veſte larvati incedentes? Quia habitum Sacrum, & Religioſum profanant, contemnunt, & deriſioni exponunt atque ludibrio. Eccur tantus Religioſæ veſti honos debetur? Quia Teſſera eſt, & inſigne gradus Sacerdotalis. Ergo gravius perpetrat ſcelus, qui ipſam Sacerdotalem perſonam larvis induit, eamque deturpat, infamatque. Veſtis Religioſa ſacra, & venerabilis eſt propter Characterem, & gradum Sacerdotalem: Sacratior itaque & reſpectabilior eſt ipſa perſona presbyteralis indelebili inſignita Charactere. Quid? Majori ne honore, & veneratione digna erit veſtis, quam perſona deferens veſtem? Peccat mortaliter, qui veſtem in larvam aſſumit; & non peccabit mortaliter, qui ipſam perſonam larvatam efficit? Argumentatio luculentiſſima communis eſt inter Theologos. Duorum tantum verba tranſcribo. Celebris Jeſuita P. Paulus Comitolus; *Reſp. Mor. lib.* 6. *q.* 28. hæc habet: *Profanis hominibus perſonatos prodire Religioſo habitu eſt noxa mortifera, ut Sylveſter, Angelus &c. Quia magna eſt irriſio Dei in Sanctis ſuis; ergo multo magis tum Clerici, tum Monachi peccant, qui habitu perridiculo, & ſumme indecoro Sacrorum Ordinum, quorum inſtituta ſequi debent, ſanctitati, & Dei*

optimi Maximi, ac Sanctorum gloriæ inſignem contumeliam imponunt. Ricciullus Epiſcopus Coſentinus, *lib.* 4. *cap. de ſpect. pub.* Similia ſcribit: *Si laicus citra crimen non poteſt induere per jocum veſtes perſonæ Eccleſiaſticæ, uti Doctores paſſim affirmant; equidem multo minus licet eiſdem Eccleſiaſticis larvis uti: quia ubi prohibetur figura, multo magis cenſetur prohibitum figuratum*. Veſtes Religioſæ inſignia ſunt Ordinis Sacerdotalis, & ſtatus Religioſi. Sacerdotes referunt perſonam ſummi Sacerdotis Jeſu Chriſti, quem mane offerunt ad Altare Æterno Patri, ut propitium illum reddant plebi: Ergo tanto ſceleſtius peccant Sacerdotes perſonati, quanto eminentius veſtibus ſacris præſtat ſummum Sacerdotium.

CAPUT II.

Auctoritate ſacrorum Canonum demonſtratur, Presbyter larvatos prodeuntes peccare mortaliter.

I. Antequam antiquos Canones refero, animadvertam oportet, larvarum uſum apud Chriſtianos ſaltem, ita priſcum non eſſe. Nam Joannes Vives, qui ſcripſit ſæculo ſexto decimo ineunte, *lib. de Chriſt. femin. inſtitut. tit. de ſalt. inquit*, *Inventus eſt mos, non ita pridem, ut viri, & feminæ perſonati urbem totam circumſitent ſaltantes per celebres domos . . . atque huic ludicro ita aliqui ſunt deditι; ut nihil affirment eſſe paris oblectamenti, quam eum in modum capite circumvoluto, domos circumire*. Polydorus Virgilius *lib.* 51. *de inv. rer. cap.* 1. teſtatur ſuo tempore hanc corruptelam Angliam non penetraſſe. *Una omnium Regionum Anglia Perſonatas belluas hactenus non vidit, nec quidem vult videre: quando apud Anglos in re hanc præ ceteris ſapientiores lex eſt, ut capitale ſit, ſi quis perſonam induerit*. Hanc corruptelam in Gallia obtinuiſſe ſeculo XVI. exeunte narrat Thieres *de lud. cap.* 25. Quare ab antiquis Canonibus expectandæ non ſunt expreſſe larvarum prohibitiones. Principia tamen conſtituunt, unde evidenter tantæ corruptelæ proſcriptio inferatur.

II. Martene *lib.* 5. *cap.* 7. Chriſtianus Lupus in *notis ad Can.* 14. *Concil* 7. *General.* Ludovicus Thomaſinus *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *de vet. & nov. Diſcip.* innumeros Canones referunt, quibus ſevere præcipitur Clericis, ut & tonſuram, & veſtes Eccleſiaſtico ſtatui præfinitas, & a laicalibus diſtinctas publice deferant. Paucos ego colligam. *Cauſ.* 21. *Can.* 5. *q.* 4. hæc jubentur. *Præcipimus, ut tam Epiſcopi, quam Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant; & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura intuentium, quorum forma, & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum: ſed potius quod eorum deceat ſanctitatem præferant. Quod ſi moniti ab Epiſcopo, emendare ſe noluerint, Eccleſiaſticis careant beneficiis.*

III. Concilium Romanum ſub Zacharia Summo Pontifice *cap.* 8. hæc decernit: *Si Clericus, & Monachus comam laxare præſumpſerit, anathema ſit.*

IV. Concilium Toloſanum anno 1119. celebratum ſimilia præſcribit. *Si quis Eccleſiaſticæ Militiæ titulo inſignitus, Monachus, & vel Canonicus, aut quilibet Clericus primam fidem irritam faciens, retrorſum abjerit, aut tamquam Laicus comam nutrierit, Eccleſiæ communione privetur.*

V. Severiores infligit pœnas Concilium Eboracenſe anno 1194. celebratum in Clericos nutrientes comam his verbis. *Clerici, qui ab Epiſcopo coronam ſuſceperunt, Tonſuram habeant, & coronam: quam ſi habere contempſerint, ad hoc beneficiorum, ſi quæ habent, privatione cogantur.*

VI. Qua lege ſacri Canones nutrire comam vetant, eadem laicales veſtes induere prohibent. Concilium Romanum anno 743. celebratum inquit: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ſæcularibus veſtibus non utantur . . . . Quia ſicut mulier non velato capite deturpat caput ſuum juxta Apoſtoli vocem: ita Sacerdos ſine operimento deturpat Sacerdotium ſuum: quod ſi temere præſumpſerit contra ſtatuta agere, communione privetur.*

VII. Concilium Viennenſe ſub Clemente V. habitum, hæc præcipit. *Quoniam qui abjectis veſtibus proprio congruentibus Ordini alias aſſumere, & in publico portare, rationabili cauſſa ceſſante præſumit, profeſſorum illius ordinis prærogati-*

va

va ſe reddit indignum; præſenti conſtitutione ſancimus, quod quicumque Clericus virgata, vel partita veſte publice utetur, niſi cauſſa rationabilis ſubſit, ſi beneficiatus extiterit, per ſex menſes a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Si vero Beneficiatus non fuerit, in ſacris tamen ordinibus citra Sacerdotium conſtitutus, per idem tempus reddatur eo ipſo inhabilis ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum. Dignitatem vero, perſonatum, ſeu Beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non ceteri in Sacerdotio conſtituti, ac Religioſi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinſeci morum extrinſecam honeſtatem oſtendere, ſi præterquam ex rationabili cauſſa publice veſtem ferant hujuſmodi, aut infulam, ſeu pileum lineum publice portent in capite; ſint eo ipſo, beneficiati videlicet a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, ſuſpenſi per annum; ceteri vero Sacerdotes, & Religioſi quilibet, per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum.

VIII. Concilium Tridentinum, ut plura priora omittam *Seſſ.* 14. *cap.* 6. hæc definit: *Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religioniſque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem clericalem parvipendentes, veſtes etiam deferant publice laicales, pedes in diverſis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per Edictum publicum, moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem illorum Ordini, & dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi Ordinationem, & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipſorum beneficiorum hujuſmodi, coerceri poſſint, & debeant.*

IX. Rurſus idem Tridentinum, *Seſſ.* 22. *cap.* 1. hæc alia adjicit: *Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exempla, qui ſe Divino Miniſterio dedicaverint: cum enim a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tamquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitetur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moreſque ſuos componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nihil niſi grave, modeſtum, ac religione plenum præſeferant.*

X. Gravis temeritatis reos Concilia, præſertim Tridentinum, damnant Sacerdotes, qui neglecta clericali veſte, laicales, quæ vanitatem, pompam, faſtumque produnt, induere non erubeſcunt. Cujus igitur culpæ ſontes erunt, qui non modo laicas Chriſtianorum veſtes, ſed ipſas vanas, & ſuperſtitioſas ethnicæ impudentiæ veſtium formas ſumere, eiſdemque operti publica ſubire loca non reformidant? Beneficiorum fructibus privant beneficiatos: inhabiles ad Sacerdotium Diaconos Concilia declarant, qui inſignia Clericatus non explicant, dum in publicum prodeunt. Qua igitur pœna plectendi illi ſunt, qui Paganorum inſignia præferunt? Si uno pede Cælum, ut inquit Tridentinum, altero terram calcant Sacerdotes, qui minus quam decet ſtatum Eccleſiaſticum, veſtiunt: ambobus ſane pedibus viam inferni inambulant, qui occultata vultus imagine a curatore Deo impreſſa, larvas a Dæmone excogitatas propriis vultibus ſuperimponunt.

CAPUT III.

Poſteriores Synodi declarant peccare mortaliter Presbyteros perſonatos, dum eoſdem graviſſima excommunicationis, vel ſuſpenſionis pœna mulctant.

I. ANtiquiores Canones, & Concilia larvarum non meminere, quia tanta adhuc corruptela non inoleverat, ut ſupra indicavi. Invecto abuſu poſteriores Synodi non ceſſarunt graviſſimis coercere pœnis Clericos perſonatos. Ex plurimis ſynodorum decretis adverſus presbyterorum larvas pauca colligam.

II. S. Franciſcus Saleſius in ſua Synodo, ut refert Baptiſta Zier *tract. de lud. cap.* 25. hæc ex lingua Gallica, & Latine reddita contra perſonatos Clericos decernit: *Si Clerici forent adeo proprii ſtatus immemores, ut perſonati prodirent.*

dirent, incurrent ipſo facto excommunicationem, cujus abſolutionem nobis reſervamus.

III. Celeberimus Godeau Epiſcopus Virenenſis in ſua ſynodo *tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. eamdem Excommunicationis pœnam tulit in Clericos perſonatos. *Les Ecleſiaſtiques* (inquit) *qui iront en maſque encorerant l' excommunication ipſo facto, dont Nous reſervons l' abſolution a Nous ſeuls*. Quæ latine verſa hoc ſignificant: *Eccleſiaſtici, qui larvati incedent, ipſo facto excommunicationi obnoxii erunt, cujus abſolutionem nobiſmetipſis reſervamus*.

IV. Joannes Lucidus Cattaneus Epiſcopus Mantuanus in ſua ſynodo anno 1679. celebrata, ultra excommunicationem mulcta pecuniaria Clericos perſonatos plectit: *Quicumque Clericus, qui larvatus, ſeu perſonatus inceſſerit, ultra excommunicationis incurſum* XX. *aureorum inſuper pœna plectetur*.

V. Idelfonſus Columna Epiſcopus Barchinonenſis in ſynodo habita anno 1600. *Tit. de vit. & honeſt. Cleric.* ſequentia ſtatuit: *Nullus Clericus poſt hac exerceat ſaltationes, aut choreas, neque larvatus incedat ſub excommunicationis pœna*.

VI. Hieronymus Giovanelli in ſua ſynodo Sorana anno 1641. hæc decrevit: *Choreas exercere, perſonatos incedere . . . hæc omnia Clericis prohibemus . . . . ſub pœna, pro prima vice carcerationis per menſem; quod ſi iterum moniti non deſiſtant, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant*.

VII. Georgius Bolognetti in ſynodo celebrata anno 1545. *tit. de vit. & honeſt. Cleric.* has pœnas impoſuit Clericis perſonatis. *Clerici cujuſcumque gradus, & Ordinis ſint, larvati, ſeu perſonati non incedant, ſub pœna pro prima vice carcerationis per menſem; quod ſi iterum moniti non deſiſtant plectentur aliis pœnis gravioribus etiam excommunicationis, pro arbitrio noſtro*.

VIII. Synodus 9. Faventina a Cardinali Roſſetti celebrata *p.* 4. *c.* 1. *num.* 10. hæc habet. *Larvatos ſeu perſonatos incedere, ac tripudia cum mulieribus ducere . . . . . Clericis prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis nobis reſervatæ ipſo facto incurrenda conſtitutis in ſacris*.

IX. In Synodo Tortonenſi ab Epiſcopo Carolo Franciſco Ceva anno 1690. habita *cap. de vita, & honeſt. Cleric.* hæc decernuntur: *Imponimus pœnam ſuſpenſionis nobis reſervatæ Clericis in ſacris conſtitutis, ſi larvata facie incedere auſerunt*.

X. In Synodo Piſaurenſi anno 1690. ab Epiſcopo Alexandro Avio habita *cap. de vit. & honeſt. cleric.* ſuſpenſionis pœna Clericos perſonatos plectit: *Non relaxat animos, ſed corrumpit Bacchanalium turpitudo: ideo Clerici, ſi in ſacris fuerint conſtituti, larvati non incedant ſub pœna ſuſpenſionis nobis reſervatæ ipſo facto incurrendæ, & ſi fuerint in minoribus quinque aureorum*.

XI. Synodus Florentina anno 1691. *Nullus Clericorum quocumque prætextu audeat e domo exire larvatus, ſeu perſonatus, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda*.

XII. Synodus Piſana anno 1708. Sub Epiſcopo Froſini celebrata: *Nullus Clericorum ſæcularis, vel Regularis perſonatus incedat ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda*.

XIII. Synodus Anconitana a Cardinali Ruffi celebrata *p.* 3. *c.* 1. hæc decernit: *Turpe & intollerabile eſt, Eccleſiaſticos tempore bacchanalium perſonatos incedere, vel larvam induere; ſi quis igitur in his depræhenſus per legitimos teſtes convictus fuerit pœna carceris formalis, vel aliis ad noſtrum arbitrium mulctabitur*.

XIV. Synodus Neapolitana anno 1680. a Cardinali Caraccioli habita: *Clerici perſonati, ideſt cum Maſchera tempore Bacchanalium non incedant, ſub pœna carceris formalis per bimeſtre prima vice, & aliis noſtro arbitrio infligendis*.

XV. Synodus Piſtorienſis ab Epiſcopo Carolo Viſdomini celebrata: *Præcipimus, ut Clerici omnes nullo modo perſonati incedant; quod ſi Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, perſonati incedere auſi fuerint ipſo facto per decem dies ſint a Divinis ſuſpenſi*.

XVI. Synodus Ravennatenſis a Cardinali Petro Aldobrandini celebrata: *Clerici non ducant choreas, neque larvati, ſeu perſonati incedant ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda*.

XVII. Synodus Feſulana anno 1720. ſub Ludovico Maria Strozzi habita: *Suſ-*

Suſpenſionis pœnæ ipſo facto obnoxios declaramus quoslibet Clericos, qui larvati, aut perſonati inceſſerint.

XVIII. Synodus Volaterrana anno 1724. quam habuit Ludovicus Pandolfinus: *Meminerint Clerici non poſſe ſine lethali culpa larvatos incedere: ideoque ſub pœna a nobis taxanda, & locis piis applicanda omnino prohibemus.*

XIX. Synodus Cortonenſis anno 1731. ab Epiſcopo Ludovico Gherardi congregata: *Clerici non incedant perſonati: Meminerint ſe non poſſe ſine lethali culpa larvatos incedere.*

XX. Communis eſt Theologorum ſententia, pœnas adeo graves, præſertim excommunicationis ferri minime poſſe ob culpam levem. Communiter omnes ad excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam requirunt peccatum mortale. Plures ex laudatis ſynodis excommunicationis pœnam infligunt Sacerdotibus larvatis, aliaſque pœnas pecuniarias adjiciunt. Aliæ ſynodi ſuſpenſionis pœnam imponunt, & carceris ſupplicium. Aliæ denique perſpicue declarant mortaliter peccare Clericos perſonatos. Quid amplius ad manifeſtam, & evidentem ſententiam requiritur? Plurimas alias ſynodos colligere potuiſſem, quas brevitatis cauſſa prætereo.

CAPUT IV.

Benignorum Theologorum communi Sententia peccati mortalis damnantur Clerici perſonati incedentes.

I. IN laudata appendice jam pridem a me edita aliquos dumtaxat citavi Theologos, & laxiores etiam Caſuiſtas. Plures nunc dabo, ut larvatis Presbyteris omne elabendi effugium præcludam. Superfluum revera foret poſt tot canones, tot Synodorum decreta, ſuffragia advocare benignorum Caſuiſtarum. Verum, quia ii, qui noſtri corruptiſſimi ſæculi mores, novaſque vivendi corruptelas honeſtare conantur, ad Caſuiſtarum, quos benignos vocant, aſylum ſe recipiunt, plus iſtis, quam Conciliis, & Patribus ſuas fidentes animas, lubet & hac quoque parte illos revincere. Omnes quippe laxiores Caſuiſtæ peccati mortalis damnant Presbyteros perſonatos in publicum prodeuntes. Et ne gratis aſſerere hoc videar, teſtimonium adduco Marci Vidal, qui in laxanda ethice Chriſtiana palmam præripuit ipſi P. Antonino Diana. Porro P. Marcus Vidal in ſua *Arca Vitali de Stat. Eccl.* hæc teſtatur: *Doctores fere omnes, quos legi, tractantes hanc quæſtionem, ſentiunt, & affirmant Clericos incedentes perſonatos mortifere peccare.* Teſtimonium iſtud non modo verum eſt, ſed etiam ineluctabile. Siquidem Marcum hunc Vidal, qui fatetur omnes Doctores damnare peccati mortalis Presbyteros larvatos, non puduit ſeſe Doctorum torrenti opponere, & ab hac culpa mortali eoſdem purgare. Sed illius auſus dignas luit pœnas: cum ejuſdem proſcripta, ob nimiam laxitatem, doctrina ab Eccleſia fuerit. Vaniſſima, & ridicularia ſophiſmata hujuſce Caſuiſtæ infra rejiciam, nunc teſtimonia Theologorum & Caſuiſtarum tranſcribo.

II. S. Antoninus *p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 7. „ Aſpicere Chorizantes, ſaltantes, „ currentes ad bravium, in palæſtra ſe „ exercentes, vel haſtiludiis, vel aliis „ ludis, de ſe non videtur mortale, „ quamvis vanitas ſit, & amiſſio temporis. Poſſet tamen ibi eſſe mortale „ per accidens, propter aliquod malum „ ſuperveniens, vel malam intentionem. „ *Clericis etiam & Religioſis talia aſpicere magnum peccatum videtur propter ſcandalum populi. Unde dicitur de Conſecratione diſt.* 55. *Non oportet, ideſt non congruit Miniſtros altaris, vel quoslibet Clericos ſpectaculis aliquibus intereſſe: & in capite præcedente dicitur, quod larvas Dæmonum arte ſe ferri non conſentiant.* Sanctiſſimus Archipræſul magnum peccatum reputat, ſi Presbyteri vel aſpiciant choreas ducentes, & larvatos ſpectaculis aſſiſtentes. Maximum ergo peccatum reputat, ſi ipſi presbyteri larvati incedant, theatraque adeant.

III. Sylveſter Prierates Apoſtolici Palatii Magiſter in Sum. *V. ludus*, de Clericis hæc ſcribit: *Similiter prohibetur illis . . . . . ratione honeſtatis clericalis omnis ludus, in quo ex propria perſona facerent ludum in publico, ut ſaltatio, chorizatio, & hujuſmodi: unde eſſet eis hujuſmodi mortale: ſecus in ſecre-*

creto cum aliquibus domeſticis : & ſimiliter interdictus eſt eis ludus larvalis, quia habitum mutare non poſſunt, niſi cauſſa rationabili.

IV. Joannes Cagnaſſo in ſua ſumma Tabiena *v. ludus* hæc ſcribit : *Tertio poſſet eſſe mortale ratione loci, vel Perſonæ . . . . . Larvæ dicuntur deformitates hominum ſive per oppoſitiones pellium, ſive colorum, & in vulgari dicuntur Maſchere, & tales ludi non debent fieri . . . . . per Clericos ubicumque; quinimmo dicit Canon, Clericum non debere intereſſe iſtis ludis : immo ſi Clerico exiſtente in menſa venit Hiſtrio, vel buffo, debet Clericus de menſa ſurgere, & potius recedere quam iſta videre, vel audire, ut in Cap. non oportet de Conſec. diſt.* 5. Cagnaſſus hanc ſummam dicavit Cajetano, cujus verba infra dabo. Scripſit ergo Auctor iſte tempore antecedente Concilium Tridentinum, quando diſciplina ad extremum collapſa erat. Et tamen peccati mortalis rei judicabantur Clerici ſacris initiati, qui vel intereſſent ſpectaculis, ludis Maſcherarum, & *chorizantium*.

V. Percelebris Jeſuita Paulus Comitolus laxioris ethices ſtrenuus oppugnator *lib. 6. Reſ. Mor. q.* 8. hæc habet. *Semper tum in publicis meis ſcholis, tum in privatis reſponſis profeſſus ſum, cunctos Clericos, qui ſacris initiati ſunt, omneſque Religionis approbatæ profeſſos, ſacrum habitum, quem tueri eos oportet, in illum fœdum, qui ludionum, Mimorum, & Lupercorum eſt, convertentes, culpam æterno ſupplicio dignam contrahere, & profeſſos Religioſos excommunicationis cenſura implicari . . . . Inſigni injuria atque dedecore tum Eccleſiaſticum Ordinem, tum Divinum Cultum afficere, lethale ſcelus eſt : id faciunt omnes, quicumque caput ſuum ſacrum, ſacramque perſonam illa infami larva, & perturpi veſtitu dedecorant. Ergo lethale ſcelus admittunt.*

VI. Martinus Navarrus *in Manuali cap.* 25. hæc docet : *Trigeſimo tertio : peccant mortaliter Clericus ſacri ordinis, Beneficiarius, vel Monachus, qui habitum non geſtant, & tonſuram, aut veſtes ſibi indecentes induunt.*

VII. Bartholomæus Solone in 2. 2. *S. Thom. q.* 5. *ar.* 6. *Concl.* 2. hæc habet : *Non deſinam admonere Clericos, juxta Angelum, v. Ludus, Ludum larvalem, quem exercent perſonati, quos Hiſpane vocamus Maxcaras, eſſe Clericis interdictum ſub mortali.*

VIII. Antonius Ricciullus Archiepiſcopus Coſentinus *de jure perſonarum in ſtatu reprobo exiſtentium*, plurima contra larvas ſcribit, & inter alia hæc quæ ſequuntur : *Hæc inſaniendi licentia Laicos tantum complectitur, nec Eccleſiaſticis perſonis ſuffragatur, ne larvarum turpitudine Clericalis honeſtas deformetur : Qua ratione cum Epiſcopi maxime omnium teneantur exemplo ceteris eſſe, merito Juſtinianus Imperator pronunciavit, Epiſcopum uti larvis, etiam joci cauſſa, aut ſcenicis, atque plebeis ſpectaculis intereſſe, rem eſſe præter communem rerum fidem, & incredibilem : L. certiſſime §. hæc igitur : & §. Sancimus C. de Epiſc. audient. Et propterea Mortaliter in omnibus prædictis peccare Epiſcopum ſcribunt Cajetanus, Armilla, Sebaſtianus Med. Hoc idem puto dicendum de Sacerdotibus & aliis in ſacris conſtitutis. Licet enim in eis non poſſit conſiderari tanta deformitas, quanta conſideratur in Epiſcopo larvis ſe tegente, nihilominus & ipſis ſpecialiter eſt interdictus larvarum uſus.*

IX. Verum miſſis pluribus aliis Theologis, benigniorum Caſuiſtarum chorum ducat P. D. Antoninus Diana qui *tom.* 7. *tract.* 5. *Reſol.* 6. *pag.* 225. docet : *Non puto recedendum eſſe a communi ſententia Doctorum, nempe Clericos ſæculares, & regulares incedentes perſonatos tempore Bacchanalium peccatum mortale committere.* Serio hæc recogitent Venerandi Presbyteri. Diana ille, qui ut ſcribit Caramuel in Epiſt. præmiſſa ad Theol. Fundam. merito dicitur eſſe Agnus Dei, qui abſtulit peccata mundi, in ampliſſima benignitatis, ſeu laxitatis Apotheca invenire haud potuit vel unicam diſtintiunculam, qua Clericos perſonatos a peccato mortali eximeret; ſed candide teſtatur, communem Doctorum ſententiam eoſdem peccati mortalis ſontes declarare.

X. P. Antonius Cortonius *lib.* 3. *contr. cap.* 7. *num.* 146. *Dubitatur, an Clerici incedentes per urbem larvati peccent mortaliter.* ℞. *Affirmative cum Diana, propter injuriam ſtatus Clericalis, etiam*

iam citra ſcandalum, quia incedere larvate, eſt incedere immodeſte.

XI. P. Candidus Brognolo, *tract. 3. de ſtat. & vit. Regul. cap. 6.* inquit: *Quamvis dimiſſio habitus in ſe ſpectata non ſit peccatum ſaltem mortale, immo quandoque nullum, ut dixi reſol. 3. quandoque tamen eſt peccatum mortale, cum ſcilicet fit cum ſcandalo aliorum, ex turpi cauſſa fornicandi, furandi, choreas ducendi, larvis utendi extra clauſtra. Ex his, & ſimilibus circumſtantiis deducitur peccatum mortale, ut docent omnes citati Doctores.*

XII. Caſſianus a S. Elia in arbore opinionum v. Larva: *Clerici utentes larvis, etiam ſine malo fine, ſcandalo . . . longe probabilius eſt, quod peccent mortaliter, etiam præſcindendo a ſcandalo, & a quavis mala circumſtantia; præſertim ſi ſint in ſacris, aut beneficiati. Ratio eſt, quia natura talis actus repugnat ſpecialiter ſtatui Clericali.*

XIII. Nicolaus Baldellus *lib. 3. de vit. & pecc. Diſp.* 32. *num.* 9. docet *peccare mortaliter Clericos larvatos etiam præſcindendo a ſcandalo & malo fine, & quavis alia mala circumſtantia* (addens.) *Tum ſolum ſuperfluitas ludi ex inepta lætitia, vel ex animi levitate Clericis eſt venialis, quando natura actus, quem aſſumunt, non repugnat ſpecialiter ſtatui Clericali, ut notat Cajetanus 2. 2. qu. 169. art. 4. §. ad 3. quo tamen modo repugnat ſi aſſumant arma, & larvas. Et pro eadem ſententia etiam facit idem Cajetanus in ſumma v. Larvarum uſus, ubi ait eum reddi illicitum, non ſolum ex malo fine, & incongruo tempore, & loco, & modo, ſed etiam plurimum id eſſe penſandum ex conditione perſonæ: quia juventutis licentia eſt, ut tempore, quo licet inſanire, larvas aſſumant, & a viris gravibus, quales ſunt Eccleſiaſtici, & præcipue Prælati, valde alienum cenſetur. Quod idem habet etiam Armilla, v. Larvæ, & poſſunt addi Sylveſter, Angelus v. Ludus, ubi docent, ludum larvarum eſſe prohibitum Clericis, quia non poſſunt mutare habitum. Si enim ex Tridentino Seſſ. 14. cap. 6. temeritas eſt, & contemptus Religionis, & propriæ dignitatis, & honoris, quod Clerici non ſemper deferant veſtes ſuo ordini congruentes, ſed aliquando publice portent veſtes laicales, & debet id puniri per ſuſpenſionem ab ordine, & ab officio, & beneficio: Quanto magis ſi Larvas aſſumant, & publice larvati incedant?*

Ratio hæc peremptoria eſt. Peccant mortaliter Sacerdotes ſi neglecta tonſura, & veſte Clericali, veſtibus laicorum induti publice incedant, ut ex Tridentino habetur; Gravius ergo peccant, dum larvas, quæ ſunt inſanientis juventutis, & diſſoluti populi, atque Mundanæ ſtultitiæ inſignia, aſſumunt.

XIV. P. Theophilus Alarius *lib. 2. v. Clericus num. 38. Clericum incedere perſonatum & ludum larvalem exercere mortale eſt.*

XV. P. Octavius a S. Joſeph interrogatione 1501. *Clericus vel Religioſus incedens perſonatus, ſive larvatus, vulgo Maſcherato, peccat ne mortaliter? Peccat mortaliter, & ita tradunt Sylveſter &c.*

XVI. Andreas Bertone *lib. de negligentia, & remiſſione part. 2. art. 17. Si omnino illicitum eſt, quod habitus Clericalis induatur a larvatis per jocum, quia nimis habitus Sanctitas dehoneſtatur: multo magis ſi perſona Sacerdotis larvam ipſam induat &c.*

XVII. Martinus Bonacina Diſp. 2. de reſt. quæſt. 3. punct. 1. num. 17. *Quæres utrum Clerici poſſint ludos larvales facere? Reſpondeo negative. Dedecet enim perſonam Eccleſiaſticam fictam perſonam hoc modo repræſentare. Propterea eos tamquam reos mortali culpæ damnat Angelus &c. nec ipſe excuſarem a mortali, niſi forte hoc raro facerent, brevi tempore, & abſque ſcandalo. Breve autem tempus hoc loco appellarem unam horam.*

XVIII. Franciſcus Monarelli in ſuo formulario *lib. 1. tit. 5. form. 11. annot. 7. Non debent Clerici incedere cum larva, quia qui hoc facit, lethalis culpæ reus eſt. Item lib. 2. tit. 15. annot. 2. Præter alias occupationes indecentes Clericis a jure prohibitas ſubjacent cenſuræ etiam ſequentes, nempe ſi tempore bacchanalium incedant perſonati. Nam per Epiſcopos pœnam excommunicationis imponi potuiſſe contra illos hæc agentes, declaravit Congregatio Concilii in Mantuana 10. Aprilis an. 1645.*

XIX. Hieronymus Garzia *tract. 1. diſt. 2. dub. 2. num. 5.* hæc lingua Hiſpanica latine reddita docet: *Ad larvas, quod attinet, Armilla & Sylveſter defendunt peccare mortaliter Clericum perſonatum, niſi id præſtet ad declinandum aliquod damnum. Hæc opinio nititur* Cap. cum decorem:

rem: *& eruitur ex Clementina ubi damnatur Clericus, qui proprium exuit habitum, ut ſumat larvam. Et hoc patet, quia actio hæc cedit in grave dedecus Ordinis Sacerdotalis . . . . Nemo excuſat Clericum perſonatum a peccato mortali.*

XX. Ægidius Trulench *lib.* 7. *cap.* 27. *Denique peccat mortaliter Clericus more laicorum larvatus incedens: Dedecet enim Perſonam Eccleſiaſticam fictam perſonam hoc modo repræſentare: ideoque non excuſat eos a mortali Bonacina.*

XXI. P. Thomas Sanchez *lib.* I. *Conſil. cap.* 8. *dub.* 28. *num.* 11. docet: *Nota quod Clericis, & multo magis Religioſis prohibetur ludus cum armis Cap. continebatur de homicid. . . . . Et generaliter prohibetur ratione honſtatis Clericalis omnis ludus, in quo ex propria perſona facerent ludum in publico, ut ſaltatio, chorizatio . . . . Ludus larvalis, quia habitum mutare nequeunt, ſine juſta cauſſa.*

XXII. P. Adamus Burgaber *Cent.* 2. *num.* 59. ait: *Narſes Clericus Beneficiatus in nuperis Bacchanalibus larvatus per Civitatem inceſſit, aliiſque perſonatis laicis ſe jungens poſt varios jocos exercitos, tandem cum uno eorum rixas excitavit, & inſigniter ab eo, licet ignotus, vapulavit. Quæritur primo, utrum Narſes larvatus incedendo per civitatem peccaverit mortaliter. Secundo, utrum percutiens Narſetem excommunicationem incurrerit? Ad primum reſpondeo Narſetem peccaſſe mortaliter. Ita Hieronymus Garzia, Barboſa &c.*

XXIII. Martinus Wigandt *tract.* 6. *Exam.* 4. *nu.* 52. Peccata Clericorum recenſens inquit: *Peccant quarto exercendo officia ſæcularia, ut Advocati in foro civili, Procuratoris, Medici, Mercatoris, Hiſtrionis &c. ludos, choreas faciendo, larvas portando.* Et rurſus *tract.* 15. *exam.* 2. rationem aſſignat, *quia* inquit, *cauſſa principalis, ob quam jura Clericis præcipiunt geſtare habitum clericalem, eſt dignitas, & excellentia Sacramentorum; ut eorum Miniſtri decenter incedant, velut a plebeis & laicis ſegregati, ut laici ſciant eos præ ceteris honorare. Ergo ſi Clerici ſine juſta cauſſa, & ex mera quaſi laicali libidine, non portent habitum Clericalem, quantum eſt ex parte ſua, gravem Sacramentis irrogant injuriam, violando eorum dignitatem; ergo mortaliter peccant.*

XXIV. Gregorius Sairus *lib.* 9. *cap.* 12. *Quibus addo ex Angelo v. ludus, & Salono, Clericis omnibus interdictum eſſe ludum larvalem, quem exercent perſonati ſub peccato mortali.*

XXV. Plurimos alios laudare Moraliſtas poſſem, niſi veritas reipſa luculentiſſima eſſet. Unum addere liceat Scriptoribus Catholicis ex Hæretico Auctore teſtimonium, ut prævaricationem ſuam evidentius agnoſcant, & ſinceris pœnitentiæ lacrymis deteſtentur Sacerdotes Catholici illi, quos larvatos incedere non puduit. Itaque Chriſtophorus Henricus de Berger in ſuo de perſonis commentario *cap.* 4. §. 18. plurima adverſus Clericos perſonatos congerit, quorum aliqua iſthuc tranſcribo.

XXVI. Inquit enim: „ Ad Clericos „ quod attinet, hos, qui Divinis officiis „ mancipati ſunt, ab omni ſtrepitu alie„ nos eſſe decet. Qui ſi prætulerint vi„ tam honeſtam, & nullo reprehenden„ dam modo, quam Apoſtoli monita po„ ſtulant (I. Timot. 3. 2. Tit. 1. 7.) po„ pulumque decenti induſtria inſtruxerint „ ut is ad illorum hominum honeſtatem „ reſpiciens [illegible] peccatis abſtineat, fo„ re certum eſt, ut æterna hominum „ ſalus rectius ſe habeat, & nobis tribue„ tur a maximo Deo, & Salvatore No„ ſtro Jeſu Chriſto clementia conveniens „ ut ait Juſtinianus (*in l.* 34. *pr. c. de* „ *Epiſc. Audient.*) Quam ob cauſam Ju„ ſtinianus eadem lege prohibuit, ne Cle„ rici cubos, ſeu teſſeras contrectent, „ nec his ludentes ſpectent, nec manus, „ oculos, & aures prohibitis ludis pol„ luant, alios ad ea ludicra invitent, „ aut ſcenicorum vel Thymelitarum ſpe„ ctatores fiant ludorum; aut quæ in „ Theatris certantium ferarum fiunt, pu„ gnarum. Quale interdictum etiam ex„ tat (*in novel.* 123. *cap.* 10. *Auth.* in„ terdicimus *c. de Epiſc. & Cleric.*) quod „ factum eſt ante Juſtinianum ab Hono„ rio, & Theodoſio Imperatoribus (*in* „ *l.* 17. *c. de Epiſc. & Cleric.*) quæ eſt „ *l.* 42. *cap. Theodoſian. de Epiſc. & Cleric.*). . . immo adeo horrent Sacra ju„ ra larvarum inſaniam, ut velint Cle„ ricum aſſidentem conviviis, ſuperve„ niente Hiſtrione, de menſa potius ſur„ gere, & abire debere, quam ejus mo„ tus ac geſtus videre, aut ipſum audire. „ Ita *Concil. Tolet.* III. (*in Can.* 2. *ir*„ *religioſi de conſec. diſt.* 3.) Quorſum et„ iam pertinet Innocentii III. *Conſtitu-*

„ *tio*

„ *tio* (*in cap.* 15. 10. *de vit. & hon. Cler.*) „ Clerici Mimis, joculatoribus, & Hi„ ſtrionibus non intendant &c. . . . *Ex* „ *quibus omnibus ſatis, abundeque appa-* „ *ret, utroque jure tam Canonico, quam* „ *Civili, pariter ac Divino Clericis, ſi* „ *non diſerte, per bonam tamen ſatis con-* „ *ſequtionem, uſum Maſcherarum*, eſſe „ prohibitum. Quod ſi *Clericus* omnem „ reprehenſionis notam vitare, atque ſi„ niſtram ſuſpicionem debet, quod ſi lu„ dis, choreis, cœnis, ſpectaculis abſti„ nere, quod ſi niſi veſtitu decenti, & „ ordini convenienti incedere non lici„ tum: quis vellet dubitare, Clericum „ excludi jocis, luſibuſque *Maſcherarum*? „ *Immo ne monſtris larvarum* in ſolemni„ tatibus Clerici utantur, ſatis diſerte „ prohibet Innocentius III. (*in cap.* 12. „ 10. *de vit.*, *& hon. Cler.*) atque inde „ recte concludunt Zabarella (*in Clem.* „ 2. *qu.* 3. *de vit. & hon. Cler.*) Barbo„ ſa (*ad Canon. Nullus*, 7. *diſt.* 44.) „ Clericis prorſus interdictas eſſe larvas, „ nec perſonatos illos incedere poſſe. „ Idemque ſentiunt *Lambertinus* (*de jur.* „ *part.* 2. 2. *quæſt.* 265.) Belletus *diſ-* „ *quiſ. Cler. p.* 1. *tit. diſcipl. Cler.* §. 2. „ *num.* 7.) & P. Gabriel a S. Vincent. „ (*Reſponſ. mor. reſp.* 76. *num.* 1.) Porro „ Clericos, multoque magis *Regularem* „ *profeſſos vitam*, joculatores, atque in „ ſcenam, pretii, quæſtuſve cauſſa pro„ deuntes, eidemque arti aſſuetos, infa„ mes habendos eſſe ſecundum *Fructuo-* „ *ſum* tradit *Paciuchellus* (*de larvis c.* 6. „ *pag.* 79.) Atque P. Gabriel a S. Vin„ cent. (*Conſil. ſeu reſpon. var. reſ.* 73. „ *num.* 3.) concludit quod Epiſcopus, ac „ Sacrorum Antiſtes nullo modo licen„ tiam dare valet larvis ſe tegendis, cum „ per ſe malum ſit, & Clericorum, ac „ Religioſorum ſtatu indignum. Item „ quod Religioſi ambulantes perſonati, „ graviſſime Deum *offendat, ac incidant* „ *in* (*excommunicationem*) *propterea quod* „ *dimittant habitum*, *Paciuchellus* (*lib.* „ *de larv. cap.* 7.)

„ §. 19. Quamvis autem leges adeo ſa„ lutares ſuppetant, atque adeo ipſi Re„ ligioſo hac ratione nihil detrahatur, „ tamen omnis, qui in terris, Roma„ num Pontificem Eccleſiarum caput ve„ nerantibus, Italia præſertim, & Gal„ lia, verſatus eſt, vel cum venientibus „ ex regionibus iſtis collocutus, ſatis no„ vit, iſta omnia ibidem parum curari, „ Clericoſque ad unum fere omnes, ni„ hil minus cogitare, quam ut Regulas „ iſtas obſervent. Qua de re olim jam „ queſtus Philbertus Bugnonius (de leg. „ abrog. lib. 2. Sect. 25.) &c.

„ §. 20. *Inter Proteſtantes rarior eſt Ma-* „ *ſcherarum uſus*. Quod ſi tamen in au„ lis Evangelicorum Principum hæc gau„ dia admittantur, haud facile noſtris Cle„ ricis, & verbi Divini miniſtris jure de„ decus hoc poterit objici, quod perſona„ ti incedant, vel inter larvatos depre„ hendantur. Optime enim intelligunt, „ quid deceat venerandum hunc ordinem, „ quantumque ſuo exemplo proficiat, vel „ noceat.“

XXVII. Hæc fuſius ex homine Lutherano tranſcribere volui. Utinam ſaltem vel ab ipſa natura inſitus defendendi propriæ Religionis decorem inſtinctus revocaret Catholicos Clericos ab iis inaniſſimis fabulis, & corruptelis, quas vel ipſi Hæretici, tamquam Clericali ſtatui infeſtas deteſtantur. Ii omnes, quibus vera Catholica Religio cordi eſt, haud poſſunt non ſummopere commoveri, & rubore perfundi, & mœſtitia angi, dum talia in Hæreticis legunt. Quoniam hinc diſcunt, nil fortius Hæreticorum converſionem remorari, quam Catholicorum, & maxime Clericorum peſſimos mores. Iſtorum vitia in errore obfirmant homines a vera devios Religione, cujus tamen veritati nil mali evenire poteſt ex malitia eorum qui illam profitentur.

XXVIII. Expergiſcantur ergo tandem aliquando Lutherani, qui ob flagitia Catholicorum, & maxime Sacerdotum, utinam paucorum, in noſtræ Catholicæ, ſanctiſſimæque Religionis veritatem obganniunt. Si vicem illis reddere vellemus, non valde nobis laborandum eſſet, ut ſtupra, ſacrilegia, crapulas, & cetera immania flagitia, quæ miraculorum loco, in novæ, antievangelicæ Religionis confirmationem, patravit ipſorum Legislator Lutherus, ob oculos poneremus: Non deeſſent illius ſequacium pejora exempla: at nos ſcimus aliunde Religionis veritatem, quam ab eorum, qui illam profitentur, moribus hauriendam eſſe. Hinc noſtrorum, tum ſæcularium, tum Eccleſiaſticorum quorundam lapſus, & crimina lacrymantes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, candide fatemur, & execramur.

Utinam ſinceritatem noſtram imitarentur Lutherani, qui ſæpius calumniantur Religionem noſtram, eidem aliquorum Catholicorum vitia adſcribentes. Iſtius infamandi Catholicos, anſæ exemplum nobis in hoc, de quo agimus, argumento porrigit *D. Bergerus* qui Summiſtis noſtris imponit; Clericorum larvas approbaſſe, ait, notamque dementiæ Doctiſſimo Cajetano impingit (§. 19.) Eo dementiæ (inquit urbanus, & modeſtus Lutheranus) abrepti ſunt Summiſtæ, præſertim Cajetanus, verbo Larvæ, Vivaldus (cap. 13. vid. Paciuchel. cap. 7. pag. 99.) conſuetudinem hi probant, quæ in Lombardia eſſe dicitur, qua tempore carniſprivii, quod dicunt, Clerici incedere queunt perſonati. Quam putida, & homine honeſto indigna calumnia iſthæc ſit, ad Cajetanum ſaltem quod pertinet (nec enim nunc tantum adeſt otii, ut ſingulos evolvam Summiſtas) ex ſola Cajetani lectione conſtat. Sic autem habet.

XXIX. „ Larvarum uſus illicitus ex „ circumſtantia aliqua redditur, & non „ eſt ſecundum ſe illicitus: ut patet ex „ hoc quod in repræſentationibus eſt li„ citus. Nec ſolum redditur illicitus ex „ malo fine, & incongruo tempore, lo„ co, & modo, ſed ex conditione perſo„ næ plurimum penſandus eſt. Nam quia „ tempore, quo quaſi inſanire licet, lar„ væ aſſumuntur; juventutis hæc eſt li„ centia: & propterea a gravibus viris „ aliena cenſetur. *Et licet magnates, et„ iam Eccleſiaſtici, ad excuſandas excu„ ſationes in peccatis*; *dicant*, ſe maxi„ me decere, ut larvati incedant, ut „ poſſint libere diſcurrere incogniti, quod „ non deceret illos manifeſtos, *nihilomi„ nus non excuſantur*. Tum quia tales „ non egent propter graves toto anno „ occupationes. Tum quia, non ad re„ creandum animum, ſed ad ſuperfluam „ agunt delectationem. Tum quia, non „ curant cognoſci, immo plures eorum „ volunt cognoſci. Tum quia ſcandali„ zantur puſilli ex Prælatis præſertim Ec„ cleſiaſticis larvatis. Et merito, quia „ perſonas ſubeunt levium, & juvenum „ ſecundum morem. Et hoc eſt valde „ penſandum: ſcriptum eſt enim: *Qui „ ſcandalizaverit unum ex iſtis puſillis*, „ *expedit ei, ut ſuſpendatur mala aſina„ ria in collo ejus &c.* “

XXX. Ubi hic vel unicum verbum, quo Longobardiæ Clericis, ut licitam permittat Cajetanus larvarum conſuetudinem? An quod in Magnates, & Prælatos potiſſimum invehatur, idcirco Clericis favet, ſi expreſſe aſſerit ex Prælatorum larvis præſertim puſillos offendi; indicans abſolute populum ex Eccleſiaſticorum, licet præſertim ex Prælatorum larvis, ſcandalum perpeti? Quod confirmatur ex eo, quod initio ſtatuat larvarum uſum potiſſimum illicitum fieri ex conditione perſonæ. Quid quod apertis verbis Clericis ludum larvarum interdictum eſſe ſcribit in eadem *ſumm. verb. Clericus*. *Clericorum peccata ſpecialia ex tranſgreſſione juris poſitivi ſunt tot, ut vix numerari queant. Tenentur ſiquidem quoad habitum deferre raſuram, hoc eſt clericam, & tonſuram ... deferre habitum clericalem clauſum deſuper, non nimia brevitate, aut longitudine notabilem &c.*

Quoad artes. Artes Macellariorum ſeu Carnificum, Tabernariorum, joculatorum, ſeu Hiſtrionum, goliardionum, & buffonum, & Chirurgorum ab eis tolluntur.... Quoad actiones, arma portare, ad Tabernam ire, niſi in itinere, aves, caneſque ſequi ad venandum, accipitres, caneſque pro venatione habere, conducere a ſæcularibus agros, ad aleas, vel taxillos ludere, ludis hujuſmodi intereſſe &c. Clericis eſt prohibitum. Si Cajetanus vel ipſam venationem, quæ ſuapte natura nil turpitudinis olet, Clericis prohibitam ſcribit, quanto magis ludum larvarum? At argumentatione non eſt opus, ſi vel ludis intereſſe conceptis verbis, Clericis illicitum eſſe doceat. Sed de hoc pluſquam ſatis.

CAPUT V.

Nonnulla Sophiſmata exploduntur.

I. OPponunt 1. larvarum ludus non eſt natura ſua malus, alioquin neque in laicis licitus eſſet: eſt ergo honeſtus, cum ad animum exhilarandum ſit inſtitutus, & ab Eutrapelia præſcriptus. Ita argumentatur Marcus Vidal in ſua damnata *Arca vitali*, ubi præter alia *loc. cit.* hæc ſpuit: *Clerici exercendo ludos larvarum ſecundum ſe mortifere non peccant: neque etiam ſi licentioſe, & immodeſte tali ludo utantur, ſublato tamen gravi ſcandalo, ac omni pravo fine*. Poſſunt ne iſta abſque indignatione, & deteſtatione referri

ferri? Nec illum puduit S. Thomæ doctrinam adulterare, ut tantum errorem confirmaret.

II. ℟. Sit nec ne ludus larvarum natura ſua abſolute ſpectatus indifferens, diſputationem inſtituere in præſentia nolo. Illud mihi certum eſt, bacchanalium tempore vix ab ipſis laicis poſſe abſque culpa aliqua talem exerceri ludum. Sunt enim ejuſmodi ludi veluti bacchanalium diſſolutionum condimenta. Bacchanalia autem ſunt, ut Menagius, Polydorus Virgilius, Ferrari, & communiter Auctores docent, Carnalia feſta, ut ſaturnalia ſeu Ethnicæ ſuperſtitionis reliquiæ. Dallæus Calviniſta invehitur in Catolicos, quod his paganicis, ſuperſtitioſiſque ſtultitiis ſeſe ad Chriſtiana jejunia præparent. At ignorare non debuiſſet acutus Calviniſta, hæc a nobis improbari tanquam inſanientis populi deliria. Audiat vel unum Venerabilem Dei ſervum Cardinalem Bellarminum, qui ſexcentis inferioris ſubſellii Theologis longe antecellit. Hæc autem ſcribit: *Serm. XXI. in Quinq.* doctiſſimus Purpuratus. *Non ne hiſce diebus Orbis Chriſtianus ferme totus inſanit, ut non immerito Mahometanis, & Agarenis ludibrio ſimus? Ecce, inquiunt, qualis eſt natio Chriſtianorum? Nunc uſque ad fauces, ventrem, & ſtomachum implent. Nunc inedia ſemetipſos excruciant. Hodie tamquam inſani choreas ducunt, larvas induunt, bacchantur per Urbes: poſt duos dies cinere caput aſpergunt templaque, atque aras religioſiſſime frequentabunt. Neque Chriſtianos ſolum, ſed etiam Chriſtum irrident. Et qualem, inquiunt, Chriſtiani Deum habent, quem egregium Legislatorem, qui hæc vel præcipit, vel permittit?* Vivaldus, Leſſius, Vidal naturam larvarum a circumſtantiis abſtractam ſpectant, ſed hi omnes aberrant a ſtatu quæſtionis. Larvarum enim uſus conſiderari debet, prout reipſa contingit, & tempori, aliiſque corruptelis copulatus. Quare nec ipſis laicis ego uſum larvarum permitterem, in hunc finem adhibitum, ut liberius indulgere bacchanalium corruptelis valeant.

III. Ceterum, licitus nec ne ſit Laicis larvarum uſus, quid inde? Ideo ne Sacerdotibus permiſſus? Licitum, quin & meritorium eſt Laicis Matrimonium. Ergo etiam Presbyteris? Supra jam oſtenſum eſt, larvarum uſum pugnare cum gradu, & dignitate Sacerdotali. Quare ſupervacaneum foret leviſſimam objectionem pluribus explodere.

IV. Opponunt 2. Conſuetudinis larvam. In pluribus, inquiunt, Civitatibus, præſertim Italiæ in more habent Sacerdotes perſonati incedere, quin ipſis id vitio vertant. Numquid mortalis culpæ ſontes tot Sacerdotes, & etiam Epiſcopos damnare audebis?? ℟. Non ego, ſed ſacerdotalis dignitas, & ſtatus, & tot Synodorum Decreta, & communiter omnes vel benigniores probabiliſtæ peccati mortalis damnant Sacerdotes, & graviſſimi ſceleris Epiſcopos perſonatos prodeuntes in publicum. Spectrum conſuetudinis, quod obtruditur, eſt putidiſſima corruptela. Delere ne dignitatem, Majeſtatemque Sacerdotalem conſuetudo aliqua valet? Si quærerem ab illis, quid ſit conſuetudo, quas habere dotes debeat, ut leges abrogare valeat, quid reſponderent? Sane conſuetudo, ut legi prævaleat, majus præ ipſa lege ſpectare bonum debet, aut bono communi non repugnare? Numquid larvarum uſus in bonum commune Eccleſiæ confert? Numquid promovet decus, ſplendorem, & exiſtimationem Eccleſiaſtici gradus? Pudere ſummopere deberet paganicæ, & immaniſſimæ corruptelæ, quæ ad innumera flagitia, turpitudines, & ſcandala viam aperit latiſſimam, ſimulacrum affingere conſuetudinis. *Nemo* (inquit Auguſtinus lib. 3. de baptiſ. cap. 6.) *conſuetudinem rationi, & veritati præponat, quia conſuetudinem ratio, & veritas ſemper excludit.* Et rurſus *lib. 3. contr. Epiſt. Parmen. cap.* 11. *Quidquid ſceleris inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem.*

V. Opponunt 3. Principes, ipſique Pontifices uſum permittunt larvarum: Ergo malus non eſt. ℟. Conſequentia hæc vana eſt, & futilis. Multa Principes permittunt mala, ſicuti alias dictum eſt, ut graviora declinent. Verum, ut ut de hoc ſit, numquid Pontifices, & Epiſcopi permittunt, ſeu approbant uſum larvarum in Sacerdotibus? An ignorant Pontifices innumeras Synodos Diœceſanas graviſſimas pœnas infligere Clericis ſacris initiatis, qui perſonati incedunt? Pontificum eſſet improbare præfatas Synodos, quæ excommunicationis pœna plectunt Clericos perſonatos, ſi uſus larvarum licitus eſſet. Laquei enim pararentur Sacerdotum

tum animabus, excommunicationi ipſo facto incurrendæ ſubjicerentur propter uſum indifferentem. Ceterum ut evidentius appareat, recenſitam objectionem falſa hypotheſi unice niti, ſciendum eſt, Pontifices ſummos tantum abeſſe ab ejuſmodi permiſſione, ut innumeris edictis Clericos coerceant a tali corruptela. S. Pius V. in ſua Conſtitutione de *Reformatione Cleri Romani*, quam refert Barboſa *lib. de Jur. Eccleſ. cap.* 50. Clericis vetat larvas ſumere his verbis: *Arma ne ferant, neve perſonati incedant. Qui in aliquo horum deliquerit, præter veſtium, aliorumque rerum amiſſionem, viginti quinque aureis mulctetur, locis piis arbitrio noſtro applicandis, carcere etiam, ac beneficiorum privatione, majoribuſque pœnis, pro delicti, & perſonarum genere arbitrio noſtro puniatur.* Quid, quod Antonius Riciullus Romæ Vices-gerens ſub Urbano VIII. apertiſſime declarat in licentia quæ impertiri Romæ ſolet ultimis bacchanalium diebus, Clericos non comprehendi, inquiens: *Hæc autem licentia Laicos tantum complectitur, nec Eccleſiaſticis perſonis ſuffragatur, ne larvarum turpitudine Clericalis honeſtas deformetur.* Legantur ea, quæ pro vita, & honeſtate Clericorum ſtatuit Benedictus XIII. adjecta ad Concilium Romanum.

CAPUT VI.

Redargutio in Clericos perſonatos, & in Confeſſarios eoſdem abſolventes, & ſacrificium celebrantes. Doctrina P. Pauli Oliva *contra Confeſſarios benigniſtas. Non ſunt conferendæ eleemoſynæ Sacerdotibus perſonatis Theatra adeuntibus pro ſacrificiis celebrandis.*

I. NOn ita pridem Presbyterum redarguebam, quod pro more haberet larvatum incedere. Pro excuſatione obtrudebat, communiter in tali Civitate Clericos larvatos poſt prandium prodire. Objiciebam ei Synodorum Decreta, ſtatus ſui dignitatem, Theologorum, & laxiorum Caſuiſtarum teſtimonia. Sed corruptelæ faſcinii dementatum a pravo conſilio deducere vix poteram. Ad omnia reponebat rationum momenta, quæ afferebam, non eſſe evidentes demonſtrationes. Quæris ergo luculentam demonſtrationem? Scilicet reponebat ille, Mox tibi eam dabo, ſubjunxi ego. Non procul a colloquio noſtro aberat homo piſcator, ſimplex, ac bene moratus. Vocatum interpellavi coram Presbytero hoc modo. Cedo: ſi tu craſtina die Dominica ſacroſanctam communionem ſuſcepturus fores, larvatus ne hodie prodires? Accederes ne ad Theatra, ad choreas, ad ſpectacula conſpicienda? Ediſſere quod ſentis. Heu Pater! reponit Piſcator: hodie larvatus, & die craſtino communicaturus? Hodie in Theatro inter mimos, & pſaltrias, & cras ad Altare Corpus Chriſti ſuſcepturus? Abſit a me tam immane ſcelus. Hæc ille. Tum ego ad Presbyterum adſtantem: Audin', qui ſingulis diebus poſt prandium per Civitatem Perſonatus vagaris, Comœdias ſpectas, & ſingulis diebus mane ad altare accedis incruentum ſacrificium celebraturus? Pudore, & dedecore perfuſus Sacerdos obmutuit. Plus ponderis habuit ſimplicis Piſcatoris teſtimonium, quam omnes a me adductæ rationes. Sacerdotes pravis corruptelis aſſueti vix correctionis admittunt remedium. Maxima ex parte ſtatum illum non divino Spiritu, ſed mundi cupiditatis, & commodorum illicio amplexati ſunt. Quare vocationis gratia deſtituti obſtinatiores laicis in malo ſunt. Cum *S. Bernardo de Converſione ad Clerum*, Cap. 20. dicam: *Non accuſamus univerſitatem, ſed nec univerſitatem excuſare poſſumus. Reliquit ſibi Dominus multa millia. Alioquin niſi eorum nos excuſaret juſtitia, & illud nobis ſemen Sanctus Domini Sabaoth reliquiſſet, olim jam ſicut Sodoma ſubverſi eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiliter periiſſemus. Dilatata ſiquidem videtur Eccleſia: ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus Ordo, fratrum numerus ſuper numerum multiplicatus eſt. Verum etſi multiplicaſti gentem Domine, non magnificaſti lætitiam, dum nihil minus apparet deceſſiſſe meriti, quam numeri acceſſiſſe. Curritur paſſim ad ſacros Ordines, & reverenda ipſis quoque Spiritibus Angelicis Miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione.*

II. Quamobrem jure pronuntiavit S. Joannes Chryſoſtomus *hom. 3. in cap. 1. Act.* ſententiam illam altius animo figendam: *Non temere dico, ſed ut affectus ſum, & ſentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed plures, qui pereant.* Quoniam multi vo-

cantur ad Sacerdotium, ſed pauci electi ſunt. Ut vero luculentius refulgeat quam graviſſima ſint redargutione, & abominatione digni Sacerdotes perſonati incedentes, teterrimam paucis delineemus Bacchanalium imaginem. Duos circiter, & alicubi plures menſes ante Quadrageſimam inſanire Chriſtiani plurimi, non ſecus ac Ethnici ſolent. Perſonati mares, & feminæ ſimul diſcurrunt, & veluti in triumphum deferunt luxuriæ inſignia. Sexcenta flagitia quotidie perpetrant. Crapulæ, comeſſationibus, & choreis habenas laxant. Feminæ vultum operiunt, & tumentia pectora, nudoſque humeros oſtentant, ut vehementius venerem ſuccendant. Cantilenas impudicas canunt, axiomata libidinis eructant, harmonicis inſtrumentis, geſtu, lingua, nutibus ſenſus commovent, & nullum non movent lapidem, ut ad multiplicanda in Deum ſcelera, mutuo ſeſe provocent, roborentque. Plateæ, viæ, theatra, domus, fumum emittunt crapularum, libidinum, & diſſolutionum. Publica hæc & comperta omnibus ſunt.

III. Dum porro tanta ſcelerum illuvies inundat, dum Domus Dei a quatuor angulis ardet, & uſquequaque Catholicæ Religionis ſanctitas laceſſitur, & proſcinditur, unum ad omnium malorum cumulum accedit, quod Sacerdotes ipſi hoc eodem tempore, cum populo prævaricante fœdus ineunt, inſanientes & ipſi, ardentis Domus Dei exultabundi ſpectatores fiunt, & ſulphureis flammis ligna ſubminiſtrant. Presbyteri charactere Sacerdotali inſigniuntur, ut ſint ſecundarii mediatores, & interceſſores apud Deum pro populo. Si umquam orare, & in pietatis ſeſe exercere operibus debent, hoc ſane bacchanalium tempore extrema urget neceſſitas, tum placandi divinum furorem, tum exemplo præeundi populo, ut a tanta malitiæ phræneſi revocetur, ut confirmentur, qui ſtant, ne cadant, & ne a multitudinis torrente abripiantur. Cum autem ipſi Presbyteri larvas ſumunt, ipſum populum inſanientem magis confirmant, inſtigant, animant. Sunt Medici ſævi, & truces, qui infirmorum vulnera exaſperant. Sunt Lupi rapaces, qui gregem Domino ſurripiunt, & Diabolo devorandum præbent.

IV. Eo vero cæcitatis prolapſi ſunt, ut quamquam omnes vel ipſi benigniores Caſuiſtæ eos peccati mortalis, ut dictum eſt, damnent, nihiloſecius nec tantillum ſibi vitio vertunt mane Sacris operari, & ſero perſonati incedere. Non excommunicationis, non ſuſpenſionis pœnas metuunt, non ſcandala reformidant. Et quod eſt ſupra quam dici poteſt horrendum, Confeſſarii reperiuntur, qui ejuſmodi perſonatos Clericos abſolvunt, quin renuntiandi pravæ corruptelæ ſpondeant, & reipſa eam abrumpant. Quoniam, inquiunt, ſi perſonatis Sacerdotibus tempore carniſprivii abſolutionem denegemus, quinam Miſſas celebrabunt? Quinam ad Eccleſias noſtras accedent? Deſerta fierent templa noſtra, ſi rigidis doctrinis ſanare vulnera pœnitentium vellemus. Hinc collige, quam verum ſit quod ſcribit *tom. 3. ſer. 35. de amor. conter.* S. Bernardinus Senenſis: *Occurrit in Confeſſione ſicut in mercatoribus: nam ſicuti mercator, qui vendit minori pretio, habet majorem concurſum, ita qui dant minores pœnitentias, habent majorem concurſum. Et ſic fit mercatura de pœnitentiis.*

V. In has Confeſſariorum excuſationes his verbis invehitur *t. 2. edit. Venet. p. 10. ſer. 91. pag. 615. num. 47.* Reverendiſſimus *P. Paulus Oliva* Præpoſitus Generalis Soc. Jeſu. „ Chi vuole peccatori ravveduti ſia ſerio ne' pareri, ſia ſevero ne' „ conſulti, ſia cauto nelle dottrine, ſia „ efficace ne' rimedj. Se l'incontinente „ non fa in pezzi la pittura profana, ſe „ non dà alle fiamme il libro laſcivo, „ ſe non iſchiva la contrada pericoloſa, „ ſe non nega lo ſtipendio a chi l' affaſcina, non ſi aſſolva. Ciò che dico de' „ Confeſſori, molto più intimo agl' in- „ terpetri del Vangelo: Chi predica, „ tuoni. Chi diſcorre dal Pergamo, fulmini. Chi ſpiega Scritture, additi Epu- „ loni nelle fiamme: nè ci ſia ne' pub- „ blici ragionamenti periodo, che non „ iſpaventi, teſto che non convinca, ar- „ gomento, che non abbatta. *Direte:* „ *ove così ſi operi ne' noſtri Tempj, niuno* „ *ci aſcolterà ragionanti: niuno chiederà* „ *a noi o conſiglio per vivere, o aſſoluzione per riſorgere. Vuole la corruttela* „ *del ſecolo, e ſoavità di antidoti in chi* „ *ode, o amenità di eloquenza in chi par-* „ *la. Se non alletteremo con fiorite ghir-* „ *lande di facondia popolare uditori a' no-* „ *ſtri Pergami, predicheremo a' muri, e* „ *panche delle noſtre Chieſe. Altrettanto*

„ *ze-*

„ *accaderà, ſe non ſaremo indulgenti con* „ *chi ſi confeſſa, ſe non allargheremo il* „ *cuore a chi ſi conſiglia con larghezza di* „ *ſentenze malate, e ſenza aſprezza di* „ *Teologia rigoroſa. Adunque accomodia-* „ *moci alla fragilità de' tempi, e per non* „ *porre in fuga chi da noi verrebbe, git-* „ *tiamo il vino del rigore nel fango, e in-* „ *fondiamo nelle piaghe de' malvagi il ſo-* „ *lo olio di pronta miſericordia, di liquo-* „ *ri addolciti*. Io non nego così correre „ in più luoghi del ſecolo. Non perciò „ approverò giammai, che a chi chiede „ toſſico per cibo, e oppio per bevan- „ da, ſi cagioni o letargo, perchè ſi ad- „ dormenti ne' falli, o veleno, perchè „ muoja alla grazia. Se abborriranno il „ Vangelo interpetrato con ſerietà, tal „ ſia di eſſi, che odiano la ſalute. Noi „ certamente non porgeremo la ſpada a „ chi furibondo ſi vuole uccidere, e of- „ feriremo droghe medicinali a chi feb- „ bricitante deſidera vini navigati, che „ danno morte . . . . Chi vuol dannarſi „ ſi allontani dalle noſtre porte, non „ chiegga i noſtri afforiſmi: perocchè noi „ abbiamo da Criſto le chiavi bensì del „ Cielo per ſalvare *con ſicure opinioni* „ chi da noi ſi ammaeſtra; ma non già „ dell'inferno, per avviarvi con ripro- „ vati conſigli chi vorrebbe da noi ſo- „ ſcritte o le cupidigie delle ſue rapaci- „ tà, o le ſozzure della ſua concupiſcen- „ za. Per quanto eſclamino, ſe a me „ non allargate il ſentiero della gloria „ eterna, diſperato di ſalvarmi, entrerò „ nello ſtradone trionfale de' preſciti: „ noi ſordi a sì beſtiali clamori, fe- „ delmente ricuſiamo di tradire la ve- „ rità, e di cooperare alla perdizio- „ ne di chi antepone la Terra al Cie- „ lo, il diletto alla ſalvezza . . . . . „ Spade, che feriſcano, e non alaba- „ ſtri che profumino: dogmi di Evan- „ gelio, che vietino crapule, e non lu- „ ſinghe di Epicuro, che imbandiſcano „ menſe. *Occide*. Se l'idra non muo- „ re ſotto i rigori del noſtro correggi- „ mento, non diverrà mai pecorel- „ la di Criſto per mutare in latte di „ bontà il toſſico della malizia. *Occi-* „ *de*." Hæc latinæ ſic reddo.

VI. „ Qui vult peccatores emenda- „ tos, ſit maturus in deliberando, ſe- „ verus in conſiliis, cautus in doctri- „ nis, efficax in remediis. Niſi incon- „ tinens profanam picturam fregerit, „ flammis impudicum librum dederit, „ periculoſam declinaverit viam, faſci- „ nanti ſtipendium negaverit, non ab- „ ſolvatur. Quod Confeſſariis dico, „ longe altius denuntio Evangelii inter- „ pretibus. Qui concionatur, detonet: „ qui e ſuggeſtu loquitur, fulmina in- „ torqueat: qui exponit Scripturas, re- „ præſentet Epulones in flammis. In „ publicis ſermonibus nulla ſit periodus, „ quæ non perterrefaciat; textus, qui „ non convincat; argumentum, quod „ non deprimat. *Reponetis: Ubi hæc* „ *agendi ratio obtineat in templis no-* „ *ſtris, nemo a nobis aut conſilium,* „ *ut recte vivat, aut abſolutionem, ut* „ *reſurgat, requiret. Sæculi corruptela* „ *poſtulat, & in auditore antidotorum* „ *ſuavitatem, & in Concionatore elo-* „ *quentiæ amœnitatem. Niſi exquiſitis* „ *popularis eloquentiæ lenociniis ad ſugge-* „ *ſta noſtra populum allexerimus, ad* „ *parietes, & ſcamna Eccleſiarum no-* „ *ſtrarum conciones habebimus. Hoc idem* „ *eveniet, niſi indulgentes cum pœni-* „ *tentibus noſtris fuerimus: niſi melita-* „ *rum opinionum laxitate illorum cor-* „ *da, qui a nobis conſilia petunt, di-* „ *lataverimus, rejecta Rigidæ Theologiæ* „ *aſperitate. Igitur temporum conditio-* „ *ni accommodemus doctrinas noſtras: &* „ *ne in fugam agamus accedentes ad nos,* „ *in lutum rigoris vinum projiciamus,* „ *& iniquorum vulneribus merum oleum* „ *promptæ miſericordiæ, & blanditiarum* „ *infundantur. Ego non inficior, ſæ-* „ *culi morem ita reipſa pluribus in lo-* „ *cis obtinere. At non propterea com-* „ *mittam unquam, ut petenti pro cibo* „ *toxicum, & pro potu oppium porri-* „ *gatur aut faſcinium, quo in erroribus* „ *foveatur, aut venenum, quo moria-* „ *tur ad gratiam. Si Evangelium ma-* „ *ture expoſitum abominati fuerint, in* „ *eorum caput recidat, qui ſalutem odio* „ *habent. Nos ſane illis gladium non* „ *dabimus, qui furentes ſe occidere ve-* „ *lint: neque aromata febri obnoxiis,* „ *qui vina peregrina mortem inferentia* „ *appetunt. Qui æternum perire volunt,* „ *a januis noſtris recedant, nec axio-* „ *mata noſtra petant. Quoniam Cœli* „ *Claves a Chriſto habemus, ut ſecu-* „ *ris opinionibus ſalvemus illos, qui a* „ *nobis inſtruuntur: ſecus illas inferni,*

„ ut

„ *ut improbis conſiliis dirigamus alios*, „ *qui probari a nobis aut rapinarum ſuarum*, *aut nefandæ libidinis flagitia* „ *vellent*. *Exclament*, *quantum velint*: „ *niſi æternæ gloriæ ſemitam dilatetis*, „ *projecta ſalutis ſpe*, *triumphabundum* „ *reproborum iter arripiemus*. *Nos ſurdi tam funeſtis clamoribus ſtrenue*, & „ *veritatis proditioni* & *conſenſui in illorum perditionem*, *qui terram Cælo*, „ & *ſaluti voluptatem præferunt*, *reſiſtamus*. *Gladii*, *qui feriant*, *non* „ *blanditiæ*, *quæ demulceant*: *Documenta Evangelica*, *quæ crapulam prohibeant*, *non Epicuri præſtigia*, *quæ* „ *convivia parent*. Occide. *Niſi Idra* „ *ſub correctionis noſtræ rigore moriatur*, „ *numquam anima*, *Chriſti ovis evadet*, „ *quæ toxicum pravitatis in bonitatis lac* „ *tranſmutet*. Occide. "

VII. Doctiſſimi Jeſuitæ teſtimonium tranſcribere huc operæ pretium exiſtimavi, tum ut quilibet intelligat Sapientiores inclytæ Societatis Theologos a me ſtare, meque illos magno in pretio habere; tum ut palam facerem, *pluribus in locis*, ut inquit percelebris P. Oliva, corruptelam graſſari laxarum opinionum, quibus doctrina Chriſti moribus pœnitentium accommodatur.

VIII. Atque, ut eo, unde opportune, me quidem judice, diſceſſit oratio, revertatur, Presbyteri perſonati per compita platearum diſcurrentes, & Theatra adeuntes, ſimulque ad altaria quotidie celebraturi accedentes Confeſſarios inveniunt, qui eoſdem abſolvant, ne Templa deſerta evadant, & ne populorum frequentia amittatur. Huc tandem recidit opinionum hodierna benignitas, ut *Confeſſionaria* turbis Matronarum, Magnatum, & Sacerdotum circumvallata ſint. Omnium Caſuiſtarum voce mortaliter peccant Sacerdotes perſonati: & tamen plures duobus ante quadrageſimam menſibus quotidie fere larvas induunt: quotidie ergo ſacrilegia horrenda perpetrant. Pœnis ſuſpenſionis, carceris, mulctæ pecuniariæ, & excommunicationis a tanta corruptela coercere Sacræ Synodi & Epiſcopi conantur, ſed omnia fruſtra.

IX. Aliud remedium proponere ego auſim. Quodnam illud? Nullas iſtis Sacerdotibus larvatis pro miſſis celebrandis eleemoſynas fideles offerant. Diſſuadebis ergo Miſſarum celebrationem? Abſit. Immo ſuadeo, ut fideles eleemoſynas, & quidem redundantes præbeant, ſed Sacerdotibus optime moratis, qui ſuis ſacrificiis Dei vindictam placent, miſericordiam propitiam reddant, & bonorum operum exemplo peccatores ab iniquitatis via ſubducant. Denegent vero oblationes Sacerdotibus perſonatis, qui ſuis quotidianis ſacrilegiis Dei furorem ſuccendunt, ſuiſque publicis ſcandalis populum aut ad peccandum urgent, aut in ſcelerum cœno fovent, obfirmantque. Forte hujuſce remedii efficacitas plures ad meliorem frugem revocabit. Non me latet, Presbyteri etiam ſacrilegi ſacrificium infiniti eſſe valoris; at ſimiliter verum eſt, vel unum ſacrilegium indigni Sacerdotis celebrantis infinitam Deo irrogare injuriam. Præterquam quod verendum eſt ne iſti Sacerdotes perſonati plurimas accipiant oblationes, quin exactum Miſſarum numerum celebrent. An qui horrenda ſacrilegiorum ſcelera quotidie patrare non reformidant, retinere ſtipendia pro Miſſarum celebratione collata pertimeſcent? Multis iſti pecuniis indigent, ut ſplendidas veſtes comparent, ut convivia parent, ut munuſculis demulceant ſocias, quas ducere ſecum perſonatas ſolent. Iſtis ne eleemoſynæ pro Miſſis celebrandis dandæ ſunt? Si in civili commercio quiſque contractum inire cum rectæ fidei, morarææque conſcientiæ viris ſtudet: cur idem non adhibetur ſtudium in ſacro, & omnium maximo negotio? cur non inquiruntur Sacerdotes, qui ſint veri Dei ſervi, pro Miſſis celebrandis? Ira excandeſcent Presbyteri diſſoluti, & mundanis ſpectaculis dediti, quod aptiſſimum ad ipſorum licentiam coercendam ejuſmodi frænum adhiberi ſuaſerim. Sed ſibi vertere debent, quod ſuis publicis offendiculis populum Chriſtianum in perditionem detrudunt. Et hæc in præſens dicta ſufficiant.

F I N I S.

I N-

INDEX

Numerus Paginam *indicat*.

AGens omne propter finem operatur 13.
Ageſilaus Callipidem hiſtrionem dedignatus *96*.
Agones in Stadio reprobantur a Ss. Patribus 7.
Aguirre Card. Inſpectores, Auctores, Permiſſoreſque Comœdiarum reos plurium criminum cenſet 24.
Alarius Theophylus Clericum perſonatum damnat lethalis. 191.
De Albertis Albertus ſpectaculorum oppugnator. 24. Probat obſcœna ſpectacula tolerantem Principem peccare mortaliter. 83. 84.
Alipii caſus iis exemplo proponitur, qui æquabilem in Theatris animum jactant. 18.
S. Ambroſius Theatrorum, ludorumque ſpectacula feſtis diebus obtinuit removeri a Mediolanenſi Civitate. *6*. Acri ſtylo fertur in theatra. 17. A vanitatibus eum præcipit abſtinere, qui cum Chriſto eſt. 125. Quatuor turpitudinis cauſſas commemorat in ementita virilium, aut muliebrium veſtium ſpecie. 163. Vitam Clericorum ab inconditæ multitudinis ſtudio ſecretam vult. 184.
Amort Euſebius omnibus laxitatibus aperiri viam a Probabiliſmo; interque Probabilitas amandandum oſtendit Patrem la Croix, 131.
Antoninus Pius Imper. coercuit Theatrorum frequentiam. 4.
S. Antoninus docet irretiri Monachum excommunicatione, qui laicalibus induitur, ut comœdum agat. 172. Peccare lethaliter viros Eccleſiaſticos ludorum quorumdam ſæcularium inſpectores. 189.
Arcadius Imper. templa Paganorum deſtrui juſſit ad conſumendam ſuperſtitionis materiam. 5. Ludricas artes conceſſit. ibid. Theatrorum ſuſtulit copiam, 98.
Archimimi hiſtrionum genus. 163.
Ariſtides Orator multa graviter, copioſeque ſcripſit adverſus Comœdias. 135.
Ariſtides Sophiſta reprehendit Smirnenſes, quod feſta Deorum Comœdiis celebrarent. 158.
Ariſtoteles contra Comœdias vehemens diſputator. 19. de pueris inſtituendis tradit præcepta. 151.
Atellanæ Comœdiæ a Tuſciæ Villa nuncupatæ. 3.
Athenagoras theatris adverſus. 17.
Auctor Animadverſionum efficacitatem vindicat gratiæ divinæ, 97.
Auctor hiſtoriæ Theologicæ abſurdiſſimo invento omnem interpretandi S. Scripturas regulam pervertit. 102.
Auctor libelli inſcripti: Saggio Iſtorico-Canonico &c. notam inurit Regularibus Ordinibus, dum vindicare contendit, 178. Fallitur, omnia Regularium theatra honeſta eſſe. 179. Ejuſdem Antilogiæ. Ibid. Fraudes in aſſerendo a ſe ſtare P. Paulum Segneri, Ss. Patres, Theologoſque. 180. Hujus libelli cauſſa Præſul theatrum in ſuo cœnobio erectum deſtrui curavit, Ibid.
Auctor libelli Italici in artis comicæ commendationem ignorantiæ, ac temeritatis arguitur. 133. Tribuit impudenter S. Martyri Geneſio Theatrorum curam. Ibid. Scenicæ Cantatricis laudes extollit. Ibid. Hiſtriones colendi, obſervandique debitum arroganter imponit. 134.
Auctor Theatri Italici teſtatur, Ss. Patrum tempore feminas in theatris mimas non egiſſe. *36*. Sentit Comœdias eſſe ſcholas diſciplinæ moralis. *98*. Refellitur. Ibid. Suis finibus contineri judicat Comœdias, non penitus tolli. *94*. Refellitur. Ibid. Nullis legibus vitio data contendit omnia Comœdiarum genera. *95*. *96*. Refellitur. *95*.

S. Au-

S. Auguſtinus tradit fuiſſe ſcenicos ludos dæmonibus ſtatos. 17. Ejus crimina in Theatris colendis. Ibid. Infames habet, qui muliebri ſe veſte oſtentant. 34. Sua ætate Meretrices, & Hiſtriones ab Eccleſiæ Sacramentis prohibebantur. 127. Præclara ſententia: *quod inuſitata ſolum peccata exhorreſcimus; uſitata vero toleramus, & tolerando facimus*. 184. Spectaculorum ſtudioſos Diabolo ſimiles novit. 140. Docet gaudia hujus ſæculi univerſa finienda. Ibid. Spectacula vitari debere. ibid. Ridiculum, reformari. ibid.

Auguſto Imp. ſecundum ex lapide Theatrum Romæ erectum. 3. Ejus Regiminis ratio non debet Chriſtiano Principi ad imitandum proponi. 92. Corruptis ipſe, filiæ, & uxor moribus fuerunt. 110.

BAcchanalium Chriſtianorum corruptelæ. 32. 195. 197. De iiſdemque judicium Turcarum Legati. 87. Eccleſiæ conatus ad ea penitus exterminanda. ibid.

Balbus Cornelius Tertium ex lapide Theatrum Romæ erexit. 3.

Baldellus Angelus turpes ſenſit eſſe Comœdias, in quibus feminæ interlocuntur. 43. Quam futilis & ridenda ejus diſtinctio in primos, & ſecundos Comœdiarum turpium ſpectatores pro lethali culpa decernenda. 73. 75. Spondet ab ea, quam tenuerat, ſententia receſſurum; poſſe Principem obſcœnas Comoedias permittere. 82. & ſeqq. Damnat lethalis Clericos perſonatos. 191.

Barbierius hiſtrio famoſus: propriam oravit cauſſam. 25. 180.

Bardus periculoſam in praxi ducit Baldelli diſtinctionem. 73.

S. Baſilius Theatra eſſe inquit communem, & publicam laſciviæ officinam. 17. Familiaria cum mulieribus periculoſiſſima colloquia. 47.

Belaſius non eripit ab Excommunicationis pœna Religioſos, dimiſſo habitu, Comœdos. 174.

Bellarminus choreas virorum cum feminis lethales defendit. 113. In Bacchanalium, & Larvarum uſum invehitur. 195.

Beltrame. V. Barbierius.

Bielius Comœdiarum noſtræ ætatis Actores Spectatoreſque criminis eos judicat lethalis. 55.

Benedictus XIII. plura ſtatuit de vita & honeſtate Clericorum. 196.

BENEDICTUS XIV. commendatur. 112. Comœdiarum turpium ſpectatores vix aut ne vix quidem gravem culpam docet evadere 113. 169. Bacchanalia, & Comœdias interdixit Jubilæi anno. 86. Scripto reprobavit. 87. Itemque cantum in Eccleſiis Theatralem. 158. Quid de Clericis, & Religioſis Comœdis ſentiat. 169.

Bergerus Larvarum, Chorearum, & ſpectaculorum ludos agi in cœnobiis, flagitioſum oſtendit. 167. Clericis interdictum, imprimiſque Regularibus. 192.

S. Bernardinus Senenſis ſenſit de Confeſſariis, quod de mercatoribus frequentia emptorum præſtantibus. 197.

S. Bernardus contra Monachorum vitia ſcribens, pro Ordine diſputaſſe teſtatus eſt. 160. Multitudinem Eccleſiaſticorum expendit. 196.

Bertonus Andreas Clericalem a Laicis, aut larvalem a Clericis habitum ſumi, omnino illicitum cenſet. 191.

Boileau amoris argumentum in Theatris efficacius prædicat ad animos emolliendos. 100.

Bollanus Epiſcopus Brixienſis Comœdos, Mimoſque jubet evitandos. 23.

Bonaccina Religioſum in Monaſterio habitum non deferentem ſubjicere excommunicationi cenſendus eſt. 173. Eccleſiaſticos vero larvis utentes peccato lethali. 191.

Bordonus celebris opinionum laxarum auctor, & amplificator. 175. Hujuſmodi eſt de ſaltantibus, & Perſonatis monachis. Ibid.

Boſſuetus Eccleſiæ traditionem producit contra Theatra, 25. Turpia evincit, & Epiſtolam Franciſci Caffari refellit. 29. Mimarum corruptelis antiqua Theatra facit immunia. 37.

Brochmandii judicium contra Scenicos ludos. 121.

Brognolus exſcriptor purus laxæ Bordonii ſententiæ de Religioſorum larvis, & ſaltationibus. 175. Extra clauſtra ducit lethalem larvis utendis licentiam. 191.

Le Brun hiſtoriam texuit theatrorum. 3. Meminit ſanctionum Eccleſiaſticarum

rum adverſus theatra. 20. Narrat inſtitutum Pariſiis Comicorum Conventum, qui Sanctorum & Chriſti Domini acta referrent. 23.
Burgaber larvatum Clericum peccare lethaliter reſpondit. 192.
Buſembai laxa doctrina in turpium Comœdiarum, & Venereorum materia. 129.

S. CÆſarius contra ludos Theatrales invectus. 6.
Caffarus Franciſcus ſcripſit epiſtolam in Comœdiarum defenſionem. 25. Retractavit. 27. Impugnarunt viri doctiſſimi. 25. 28.
Cagnaſſus larvis Clericos intereſſe, aut induere vetitum docet ſub mortali · 190.
Cajetanus Card. peccato obnoxios ſtatuit Comœdiarum indecentium ſpectatores, imprimiſque graves, & Eccleſiaſticos viros. 118. Quid de larvatis ſenſerit. 194.
Caligola Imp. pulſos ab Italia Hiſtriones revocavit. 3.
Calviniani. Vid. *Hæretici*.
Cantimbanchi appellantur, qui ludicra proferunt in plateis, & comptis. 23.
Cantum ſcenicum nuncuparunt *fornicatorium* Ss. Patres. 150. Inter Theatralem, & Eccleſiaſticum diſcrimen habendum. 158. Vid. *Muſica*.
Carinus ſcenæ impudentiam laxavit. 4.
S. Carolus Borrom. bellum ſpectaculis, & Hiſtrionibus indixit, opemque ad conficiendum imploravit. 23. Ejus præſcripto Comœdi non obtemperantes abierunt. 25. Principes monet ſuis finibus eos longe removere. 83. Confeſſariorum culpæ tribuit morum corruptelas. 128. 159. Clericis larvas, choreas, Comœdias interdicit. 168.
Cartaginenſes ſtupidum in theatris animum occupantes pœnas dederunt obſidentibus Wandalis. 6.
Caſſiodorus execrator agitationis in Hiſpania Taurorum. 154.
Caſtitas quam facile, & occulte detrimentum patiatur. 53. 71. Tuendæ præſidia Religioſis tradita. 165.
Caſuiſtarum laxorum audacia reprimenda, opiniones exterminandæ. 126.
Cecchinus Ferrarienſis Hiſtrio famoſus. 23. Pro Comœdiis pugnavit. Ibid. Innuit ſuæ ætatis conſuetudinem, ut feminæ in ſcenam prodirent. 37.
Certamina corporibus exercendis idonea, & Chriſtiano digna. 157.
Chriſtianorum veterum a ſpectaculis fuga. 5 Templa precibus communibus deſtinata. ibid. Chriſtianæ profeſſionis quis ſermo eſſe debeat. 10. Quæ deliciæ, quis finis. Quæ morum ſanctitas. 11.
Cicero M. T. Theatrales improbat repræſentationes. 19. Muſicæ vim, & perniciem animadvertit. 100.
Circenſes ludos reprobant Ss. Patres. 7.
Claudius Imperator amore Theatrorum abreptus. 4.
Clauſtralium a ſæcularibus præjudicata diſtinctio. 93. V. *Monachi*.
Clemens Alexandrinus virorum, ac feminarum in theatris conventum eſſe cauſſam turpitudinis docet. 17. Non patitur virilis, aut muliebris veſtis perverſitatem. 34. Hiſtrionibus mentitis habitum ſuccenſet. 36.
Clemens VIII. publica ſpectacula haud permiſit. 27.
Clericorum ſpectacula adeuntium pœnæ. 20. Cœmedias ſpectantium crimina. 108. Quem corporis habitum, mentiſque ſanctitatem præferre debeant. 186. Vid. *Eccleſiaſtici*, *Larva*. *Monachi*, *Presbyteri*.
Cogitatio voluntaria de objecto inhoneſto, ſine gravi neceſſitate, mortalis eſt. 72.
Colendal laxam tradit de Comœdiarum turpium ſpectatoribus doctrinam. 131.
Collegia, quorum in theatris mendax veſtium uſus eſt, jure reprehenſa. 33. Collegia Soc. Jeſu commendata, quod mentitæ perſonæ, vel habitus non introducantur. Ibid.
Coma, & habitus Clericorum, Monachorumque præſcribuntur. 186.
Comitolus Paulus in theatra fertur. 24. Probat, Comœdiarum, actores, auſcultatoreſque turpium Comœdiarum peccare lethaliter. 55. Ut & Clericos Religioſoſque habitum dimittentes intra Clauſtra, & theatralem induentes peccare lethaliter, & excommunicatione implicari. 162. 186. 190. Laicos etiam perſonatos habitu Religioſo ſubicit noxæ lethali. 185.
Commodus theatrales ludos non fovit mo-

modo, ſed criminibus publicæ libidinis fœdavit. 4.
Comœdi. Vid. *Comœdiarum Actores. Hiſtriones. Scenici.*
Comœdia plurium partium compoſitio eſt, quarum una ſola ſi vitioſa ſit, totam inficit. 90. Comœdiarum turpium, ſeu vitioſarum notio. 22. 32. 35. 44. 46. 67. 70. 105. & ſeqq. Ex ſacris litteris interdictas eſſe colligitur. 138. 170. Reprobantur a Ss. Patribus, & Conci. quæ tunc temporis agi conſueverant, ob hanc turpitudinis, & vitiorum cauſſam, præter illam idololatriæ. 7. ad 24. Noſtra ætate dari ſolitæ ſunt etiam hujuſmodi. 22. 30. 31. 32. 41. 57. 90. 99. 103. & ſeqq. Immo turpiores. 4. 30. 36. 40. Merito damnantur a Doctoribus in omni facultate clariſſimis. 23. & ſeqq. 29. 56. & ſeqq. 103. & ſeqq. 113. 119. 141. & ſeqq. Vid. *Drammata. Ludi. Repræſentationes. Scenicæ artes. Theatra. Tragœdiæ.*
Comœdiarum turpium ACTORES lethaliter peccant. 12. 54. 75. 79. 103. 106. & ſeq. Eorum vivendi conſuetudo. 42. Infamis, & criminoſa eorum inſtituti ratio habetur. 47. 79. A ſacra Communione prohibentur. 23. 127. Sæpe in exilium acti, & ſpectacula agere prohibiti. 98. Maximum Reipublicæ damnum, ac malum inferunt. 153.
Comœdiarum INSPECTORES dividuntur in claſſes quatuor. 2. Diverſa eorum ſtudia. 48. Et quidem lethaliter peccant. 24. 47. 49. 50. 52. 53. & ſeqq. 62. 76. 79. 104. 107. & ſeq. 169. 181. Vel propter periculum conſentiendi iis, quæ ſpectant. 69. & ſeqq. 119. 152. Vel quia turpi Comœdorum actioni cooperantur. 77. & ſeqq. 120. 128. & ſeqq. Vel propter aliorum ſcandalum, maxime ſi viri Principes, & Eccleſiaſtici ſint. 107. 116. 117. & ſeqq. 139. 152. A ſacris myſteriis arcendi. 15. 120. 148. 150. Ut mos eſt in Eccleſia Pariſienſi. 128. Hujuſmodi ſpectatorum diſtinctio in primos & ſecundos allata a PP. Diana, Baldello, Bardo, Ferrantino. 72. 73. Quam ridenda, & enervis ad ſecundos vindicandos a peccato lethali. 73. 75.
Comœdiarum PATRONI. Hiſtriones, & Poetæ craſſiores eſſe ſolent. 25. Blaſphemiæ notantur. 128. Qui pravos mores reformari, virtutes promoveri autumant, refelluntur. 89. 98. 121. 136. 146. Qui Juvenum petunt inſtitutionem ex Comœdiis, errant. 136. 147. Qui vitari plura mala contendunt, non audiendi. 146. Qui corrigi, non penitus tolli debere theatra exiſtimant, vigilantes ſomniant. 98. 101. 110. 121. & ſeqq. 140. 153.
Concilia renaſcentem theatrorum licentiam proviribus tollere curarunt. 20. & ſeq. 23. 25. Tonſuram, & habitum Eccleſiaſticis præfiniunt animadverſione impoſita. 186. & ſeq. Vid. *Synodus.*
---- Arelatenſe I. & II. ſubjiciunt excommunicationi Taurorum agitatores. 155.
---- Bracharenſe transformantibus ſeſe in alieno habitu pœnas conſtituit. 34.
---- Cabilonenſe ab omnibus illecebris abſtinere, Hiſtrionumque ſcurrilia vitare Sacerdotes decrevit. 20.
---- Colonienſe ſacra etiam ſpectacula Sanctimonialibus vetat. 177.
---- Lateranenſe militibus congredi ad ſuarum virium oſtentationem prohibuit. 155.
---- Nicænum tulit anathema contra librum Arrii *Thaleja* inſcriptum. 19.
---- Tridentinum mandat Eccleſiaſticis, ut ſeſe exhibeant ſicut Dei miniſtros. 184. Eorum mores, habitus inceſſus, ſtatus, ſermoneſque componi. 187.
---- Trullanum prohibet mimorum, & Venationum Spectacula. 20.
---- Turonenſe vitiorum cauſſas ſpectaculis defert. 29.
Concionatoribus, & Confeſſariis ſevere conſulendi, docendi, medendique præcepta tradit P. Oliva. 197.
Confeſſarii Sacramenta cultoribus theatrorum denegare, vel ab ea turpitudine revocare tenentur. 128. 159. Sin minus, gravi ſcelere obſtringuntur. 110. & ſeqq. 127. Graviori etiam, ſi Clericos perſonatos abſolvant. 197. Quam ſeveras in conſulendo, docendo, ac medendo regulas ſervare neceſſe ſit. ibid. Quid, ſi majori Pœnitentium frequentia abundent, ſentiat S. Bernardinus Senenſis. ibid. Ipſorum culpa, & inertia innumeræ corrupte-

læ, & graviora delicta derivant. 128. 159.
Conſenſus in delectationem duplex: expreſſus, & interpretativus. 152. Fuerit nec ne in turpem cogitationem, unde dignoſci potiſſimum valeat. 72. Conſentire facientibus mala peccatum eſt. ibid. Sive directe, ſive indirecte. 73.
Conſtantinus Imp. Ethnicorum templis, & ſpectaculis bellum indixit, licet ea prorſus tollere non valuit. 5.
Conſtitutiones *Apoſtolicæ* dictæ theatris adverſæ. 19.
Conſuetudo, quas habere debeat conditiones. 170. 195. Ad protuendam Theatrorum licentiam adferri non poteſt. 124. Neque ad aliud, quod turpe eſt, honeſtandum. Ibid. Et nemo eam rationi, & veritati præponat. 195.
De Conti traditionem Eccleſiæ contra Comœdias expoſuit. 25.
Conureur ſuæ mimicæ artis pœnas dedit. 26.
Corneille ſuas Tragœdias licet caſtiores reprobavit ſenior factus. 26.
Cornelius Nepos teſtatur infame poſitum fuiſſe apud Romanos, in ſcenam prodire. 96. Græcorum hac in re conſuetudinem tradit. Ibid.
Cottonius cenſet lethale flagitium, Clericos larvatos incedere. 190.
Cottonius lethali peccato, & excommunicationi ſubeſſe Monachum putat larvis utentem in propria domo. 174. Quam inepte ob ſtatus relaxationem, & conſuetudinem veniale id modo eſſe decernat. Ibid.
La Croix celebris Probabiliſta. 131.
S. Cyprianus M. auctor operis de Spectaculis defenditur a clariſſimis Viris. 13. Spectaculorum Patronos inſectatur. Ibid. Pertinere ea ad Idololatriam oſtendit. Ibid. Continere etiam ſcurriles jocos, & inſaniam. 14. Incitamenta libidinis, & probrorum fomenta. Ibid. Ideoque Chriſtianis non adeunda. Ibid. Criminoſum exiſtimat, muliebri veſte virum indui, geſtuſque exprimere. 34. 36. Vera Chriſtianorum oblectamenta, hominumque Spectacula declarat. 81. 140.
Cyprianus Epiſcopus Tolonenſis tradit, D. Cæſarium adverſus ludos Theatrales fuiſſe invectum. 6.
S. Cyrillus Hieroſolymitanus Theatris adverſus. 17.

DAllæus exprobrat Catholicis, quod ſcenicis ſuperſtitionibus præparent ſe ad Eccleſiaſtica jejunia. 166.
Dianæ doctrina, quando fœmina peccare ſcandalo cenſeatur, ad rem theatricam facile inflectitur. 43. Spectatores turpium Comœdiarum in primos, & ſecundos diſtinguit inepte, ad vindicandos ſecundos a peccato lethali. 75. Non recedit a ſententia Doctorum, quam tradit communem, peccare lethaliter Clericos omnes perſonatos incedentes. 190. Vocatus a Caramuele, *Agnus Dei, qui tollit peccata*, propter ſummam in moralibus lenitatem. Ibid.
Diocletianus dicere ſolitus, caſtiores eſſe ludos oportere, ſpectante cenſore. 4.
Domitianus Theatris obſecundavit, intra domos tamen exercendæ artis jura conceſſit. 4. Cavit, ne Romani equites ludis intereſſent. Ibid. Pantomimos ſuſtulit. 151.
Drammatum duo genera: eaque noxiora, quæ fallacem pudoris imaginem præferunt. 45. Vid. *Comœdiæ. Ludi. Repræſentationes. Scenicæ artes. Theatra.*
Duella ſpectantes peccant lethaliter. 76. 107.

ECcleſiaſticorum munus. 116. 117. 187. Profanos ludos, choreas, ſpectacula, comœdias agere, aut ſpectare prohibentur. 3. 166. 169. 189. 192. & ſeqq. De eorum multitudine quid ſentiat D. Bernardus. 196. Quid de æterna ſalute S. Joannes Chryſoſtomus. Ibid. Vid. *Clerici. Monachi. Presbyteri.*
A S. Elia Caſſianus larvatos Clericos facit fontes lethalis. 191.
Elzana duorum annorum ſpatio fertur pluſquam 800. homines incitationibus peremiſſe. 59.
Epiſcopi habitu corporis, mentiſque ſtatu præferant Sanctitatem. 186. Doctrina, & moribus præſtantiores zelum ſuccenderunt adverſus reſtituta theatra. 25. 98. Africani ann. 399. ab Imperatore poſtularunt, ne SS. Martyrum natalibus ſaltationes exercerentur: ac ne Dominico, ceteriſque

Chriſtianorum feſtis potiſſimis theatra paterent. 5. Atrebatenſis arcendos comicos juſſit a ſacra Communione. 24.
Eſcobar Comœdias execratur. 24.
Excommunicationis, carceris &c. ſententia ferri minime poteſt ob levem culpam. 189. Incurritur ab Eccleſiaſticis omnibus larvas ſumentibus. Vid. *Presbyteri*. Et a Religioſis temere habitum dimittentibus. Vid. *Monachi*.
Eunodius refert Gelaſium Pontificem Theatrorum abuſum præcidiſſe. 6.
Euſebius narrat, obitu Conſtantini publica ſpectacula, & ſimilia vitæ oblectamenta remota. 5.
Exempla movent magis, quam verba. 152.

FEminæ in ſcenam cum primo invectæ. 146. Paucæ fuerunt priſcis temporibus. 36. Nec vero Chriſtianæ. ibid. Hiſtrionum ſequaces pudice vivere miraculum eſt. 147. Suntque ſpectantibus incitamento libidinis. 146. Vid. *Mulier*. *Veſtis*.
Ferrantinus rejicit ſententiam, quæ primos, & ſecundos peccato ſubjicit Spectatores turpium Comœdiarum. 75. Refellitur. 73. 75.
Ferraris Lucii erronea & ſcandaloſa doctrina de Clericis turpes Comœdias ſpectantibus. 168. Reprobata a BENEDICTO XIV. P. M. 186.
Finis operis ſi pravus eſt, haud bonus operantis eſſe finis poteſt. 13.
Florales ludi apud Romanos impudentiſſimi. 4. 36. Semel in anno dabantur infimæ plebi. Ibid. Tertullianum, & Chryſoſtomum impugnatores habent. 36.
Franciottus peccare lethaliter noſtri temporis Comœdiarum ſpectatores demonſtrat. 74.
S. Franciſcus Saleſius a Divinis ſuſpenſos ſtatuit Sacerdotes, qui choreis interſunt, ducuntve. 168. Fruſtra cum ad ſe ſtare contendunt theatrorum ſtudioſi. 27.
Frugoſus arguit lethalis actores, & ſpectatores Comœdiarum, in quibus ſaltant, pſalluntque feminæ. 43.

GAlba Imp. ſtudio Theatrorum abreptus, 4.
Gallia Sæculo XIII. Poetis abundavit, & Hiſtrionibus domeſticis. 20.
Garnerius Tragœdiarum auctor in Galliis ſæculo circiter XVI. 23.
Garzia Hieronymus Clerico perſonato noxam tribuit lethalem. 191.
Gaudia ſæculi pereuntia, & fallacia. 140. Vid. *Oblectamenta*. *Solatia*. *Voluptates*.
S. Gelaſius Papa Theatra ſuſtulit. 6. Hoc etiam tentaſſe ſuos Prædeceſſores opinatur. ibid. De avertendis Reip. malis rationem inſtituit. 84.
Geſticulatores qui. 9.
Gladiatores loco ſervorum ad placandos manes proprio ſanguine ſubſtituti. 154. A Coſtantino ſublati, penitus ab Arcadio, & Honorio ſuppreſſi. Ibid.
Gladiatorios ludos execrati ſunt Patres. 7.
Gonzalez artem ſcenicam probat infamem. 24.
Grabovus univerſæ Proteſtantium ſectæ judicium exhibet contra hodiernas Comœdias. 120. & ſeqq. ſuamque fuſe aperit hac de re ſententiam 121. & ſeqq. Turpitudinem a Comœdiis abeſſe ſine ipſarum interitu non poſſe defendit. 101.
de Graffis Monachum intra clauſtra dimittentem habitum cauſſa larvarum implicat peccato lethali. 162.
Gratianus in ſcenam, & Comœdos multa ſancivit. 5. Bacchanalia deteſtatur. 87.
S. Gregorius Nazianzenus reprehendit viros mulieribus indutos. 36. Theatrum appellat ſcholam fœditatis, & omnis laſciviæ. 17.
P. de Guzman Comœdias nequaquam poſſe ad honeſtatis regulas exigi contendit. 92.

HAbitus, & Coma Epiſcoporum, Clericorum, Monachorumque præſcribuntur a ſacris Canonibus. 186. Monachalis habitus Spoliatio a temeraria dimiſſione diſtincta. 161. Hæc peccato mortali, & Excommunicationi ſubjecta. Ibid. & ſeqq. Augetur malitia criminis, ſi theatralis ſumatur. 162. Rem turpem ſacro, aut ſacram turpi repræſentare monſtroſum, & flagitioſum eſt. 174. 178. At vero ſacri habitus incompta depoſitio in aliquo honeſto repræſentando

non videtur veniale excedere. Ibid. Clericali, aut Monachali perſonatus laicus peccat mortaliter, & Juſtiniani Imperat. lege prohibetur. 185. V. *Veſtis*.

Hæreticorum contra hodiernas Comœdias, aliaque theatrorum ſpectacula judicium: 185. & ſeq. Uſus larvarum penes eoſdem moderatior. 193. Vid. *Lutherani*.

Heliogabalus Imp. Comœdum egit, obſcœnaque in theatro referre non puduit. 4.

S. Hieronymi ſententia contra eos, qui corripienti potius indignantur, quam corrigantur. 160.

P. Hieronymus volumen edidit contra thatra. 24. Patrum teſtimoniis oſtendit feminas antiquitus ſcenicas non egiſſe. 36. Hiſtrioneſque olim mentitos inceſſum, veſtitumque ferminarum. Ibid. Ab annis vero 100. circiter, cum hæc ſcriberet, veras feminas in ſcenam prodiiſſe. 37. Firmat reos eſſe lethalis, qui turpibus Comœdiis interſunt. 72. 74. Tum qui eas probant permittuntve Magiſtratus, & Principes. 81. & ſeqq. Tum denique qui agunt. 127.

Hiſtoria theatrica a clariſs. P. Le Brun contexta. 3. Ex qua nonnulla delibantur. Ibid. & ſeq. 20. Hiſtoriæ Theologicæ auctor. Vid. *Auctor*.

Hiſtriones unde dicti. 3. 143. Tempore D. Thomæ erant ut hodierno Circulatores. 21. 22. Diverſi eorum ſtatus, & munia. Ibid. Noſtra ætate plerumque turpia repræſentant. Ibid. Eorum per ſe vitioſum eſt inſtitutum. Ibid. In ſtatu lethalis peccati verſantur. 74. 148. Infames habentur Ibid. Ab Eccleſiaſticis Sacramentis prohibentur. 128. Donari quidquam, aut merces ſolvi iis nequit abſque peccato. 22. Vid. *Comœdiarum Actores*.

Honorius Imp. templa Paganorum deſtrui juſſit. 5. Feſtos Civium Conventus non eſt paſſus ſubmoveri. Ibid.

Hurtado Thomas fallitur, Hiſtriones a Ss. Patribus, & Conciliis ideo reprehenſos, quod in ſcena turpiter miſcerentur. 37. Laxiſſime tradit, abſolvi tum eos poſſe in conſuetudine peccandi proxima. 131. Tum factorum turpium inſpectores. Ibid.

IDololatriæ duplex genus, Intellectus ſcilicet, & voluptatis. 12. Utroque Comœdiæ, & Spectacula polluuntur. 13.

Imperatores Romani quidam infenſi, quidam dediti Theatris fuerunt. 4. 5. Sæpe Urbem, & artem Hiſtrionibus prohibuere. 150.

Infamis dicitur, cujus vita, & mores deteſtabiles. 148.

Infirmus, qui idipſum quo infirmatur malum non novit, peſſimum habet. 71.

S. Joannes Chryſ. nullum theatrorum ſpectatorem excuſat a peccato. 16. Arcendum a ſacris Altaribus, ut graviſſimi noxium criminis ducit. 15. Rigida quibuſdam viſa hæc doctrina. Ibid. Omnia in theatris laſciviæ plena, iniquitatis ſummæ, impudentiæque oſtendit. 52. 77. 78. Iidemque affici, quæ audiunt turpia ſpectatores. 77. 78. Fruſtraque a nonnullis jactari Spiritus immobilitatem. 139. At etiam ſi habeant, alienæ tamen perniciei cauſſa peccare. Ibid. Cunctaque Theatrorum crimina in ſpectatorum capita transferri. 141. Paucos ſentit Sacerdotes ſalvari. 196. Scenicam Muſicam vocat *Meretriciam*, contumque *fornicatorium*. 101. Vitio dat, aſpectu, veſtituque muliebrem ſpeciem proferre. 37. Chriſtianorum oblectamenta, recreandique animi cauſſas exponit. 80. 171.

Joannes Sariſburgenſis narrat, anno 1172. diruta theatra, exterminatos Comicos, & Tragœdiarum auctor in Galliis ſæc. XVI. 23.

a S. Joſeph Octavius larvarum uſum Eccleſiaſticis concedit, quibuſdam adhibitis conditionibus. 176. Retunditur. Ibid.

Italici Libelli auctor. Vid. *Auctor*.

Italici Theatri auctor. Vid. *Auctor*.

Italicorum Scriptorum hodiernus Cenſor videtur abſurdiſſimum Hiſtoriæ Theologicæ inventum ſecus in ſcripturis explicandis. 102.

Julianus Apoſtata Sacerdotes Idolorum hortatus a Theatris, Tabernis, aliove probroſo opere abſtinere. 5. 118.

S. Juſtinus theatrorum oppugnator. 17.

Juvenalis Poeta irridet Romanos ventri, & ſcenæ vacantes. 7.

La-

Lacedæmonii nullam antiquitus Comœdiam, Tragœdiamve patiebantur. 150. Conſuetudine in luxuriam verſa, viduas etiam nobiles in ſcenam produxere. 151. Quam poſtea conſuetudinem ſuſtullerunt. 36.
Lactantius diris devovet Comœdias, Tragœdias, ſpectaculaque omnia, quod ad flagitia, idololatriamque animus concitetur. 14. Hiſtriones aggreditur mentientes habitum, geſtuſque feminarum. 36.
Lamy Barnardus Ethnicorum Comœdiis noſtras impudentiores oſtendit. 30.
Lanfredinus Card. voce, ſcripto, ac lacrymis rogat Populum, ne Piſauri Comœdiis trahatur, inhoneſta docens ſolatia iſthæc eſſe, & ſatis periculoſa. 113.
a Lapide Cornelii judicium de viro ſe feminam, aut femina virum veſte mentientibus. 33.
Larvæ dicuntur deformitates ſive per appoſitiones pellium, ſive colorum. 190. Quando fuerit apud Chriſtianos earum uſus invectus. 186. Sitne indifferens, ut a Laicis adhiberi poſſit. 195. An etiam Sacerdotibus, & Monachis. 182. & ſeqq. Vid. *Clerici*. *Eccleſiaſtici*. *Monachi*. *Presbyteri*. *Veſtes*.
Leo Iſauricus, aliique Principes Iconoclaſtæ, ut Catholicos affligerent, Monaſteria, pulſis Monachis, verterunt in domos Hiſtrionum. 20.
Lezana de Monachalis habitus dimiſſione, & Cœnobiticarum Larvarum, Comœdiarumque abuſu profertur, & exponitur. 176.
Libidinis concupiſcentia nulla vehementior. 165. Voto præſertim caſtitatis adſtrictis, niſi remedia, & præſidia, quibus abundant, adhibeantur. 166.
Lopex de Texeda laxe opinatur de Monachalis habitus dimiſſione. 176.
S. Ludovicus Galliarum Rex Hiſtriones Regni finibus juſſit excedere. 22.
Ludus unde dictus, a quibus inventus, in quoſque dividatur. 143. Ludi *Gymnici*, quibus actionibus contineantur. Ibid. Quibus vero ludi *Scenici*. Ibid. Ludi *Taurii* unde prodierint. 154. in Gladiatorium locum Romæ ſuceſſerunt. Ibid. Poſtea ceſſarunt. Ibid. Ab Hiſpania numquam ſublati, aut intervallo repetiti. Ibid. Vid. *Tauri*.
Ludos in hoc mundo diabolus dat, Deus autem preſſionem, & pœnitentiam. 140.
Ludiones generatim vocabantur, qui in theatro quidpiam agebant. 3.
Lupus Chriſtianus tradit, ſæculo X. & XI. Poeticam artem fere obſolviſſe. 20. Plures refert canones de habitu Eccleſiaſticorum, & Tonſura. 186.
Lupus Gregorius ſcenæ apparatum, Hiſtrionum artes, Taurorum agitationem nefas affirmat. 157.
Lutheranorum doctrina judiciumque adverſus hodiernas Comœdias. 120. & ſeqq. Uſumque Feminarum ſe viros, & virorum ſe feminas veſte ſimulantium. 121. Brittanicæ ſcenæ ſpectacula plena offendiculis fatentur. Ibid. Improbare tamen, quod tollere nullo modo poſſunt. 122. Vid. *Hæretici*.
Luxuria non habet materiæ parvitatem. 53. Eid. *Libido*. *Voluptas*.

Mallius a Catone extra Senatum pulſus, quod uxorem fuerat oſculatus coram filia. 58.
P. Mariana integrum contra ſpectacula edidit tractatum. 141. Laudatur. Ibid. Theatrorum licentiam certis legibus coerceri nullatenus poſſe arbitratur. 156. Eſſe ea omnis improbitatis officinam, animarum luem, morumque corruptelam graviſſimis teſtimoniis, & rationum vi demonſtrat. 142. & ſeqq. Exponit vim ſenſuum voluptatis ad quoſvis animos expugnandos. 143. & ſeqq. Rationes affert, cur tantopere homines Comœdiis delectentur. 145. Statuit amovendam Taurorum, ut mos eſt apud Hiſpanos, agitationem. 158. Improbat theatralem in Eccleſiis cantum 158.
Martene plures allegat canones de Habitu Eccleſiaſticorum, ac Tonſura. 186.
Maſſilienſes nullum ad ſcenas aditum mimis dedere. 150.
Megalius lethalis reos criminis ſtatuit Actores, & Spectatores turpium Comœdiarum. 55.
Mendoza peccare Magiſtratus docet Comœdias permittentes. 99.
Merbeſius fuſo calamo ſcripſit contra theatra. 25.
Meretrices, non diſruptis ſuæ iniquitatis vin-

vinculis, adChriſtiana Sacramenta prohibentur accedere. 127.
Mimi unde dicti. 3. 9. 143. Quid in theatris præſtent. 9.
Minutius Felix ludis, & ſcenicis inſaniam, ſævitiem, turpitudinemque ineſſe perſpexit. 12.
Moliere theatricarum voluptatum pœnas dedit. 26.
del Monaco omnes noſtri temporis Comœdias obſcœnas eſſe, & inhoneſtas probat. 43.
Monarellus larvatos Clericos peccare lethaliter, & cenſuris affici judicat. 191.
Monachorum, quæ debeant eſſe ſtudia, quæque officia. 160. Præſertim Bacchanalium tempore. 178. Eorum coma præſcripta a ſacris Canonibus. 186. Suum non diligunt Ordinem; quibus vitia reprehendi moleſtum eſt. 160. Graviter delinquunt, ſi Comœdiis ſæcularibus interſint. 107. Non videntur peccare mortaliter honeſtum aliquod intra clauſtra ſine habitus dimiſſione repræſentates. 178. Hodierna ipſorum in agendis drammatibus, & fabulis conſuetudo. 161. 173. 179. 180. Peccant lethaliter, & cenſuris Eccleſiaſticis obligantur, ſuum temere dimittentes, & laicalem habitum induentes. 161. & ſeqq. 173. Præſertim ſi larvales ſumant, & Comœdos agant. 117. 161. & ſeqq. 164. 168. Ob Chriſtianorum offendicula. 161. 166. Ob votorum, & Monaſticæ diſciplinæ læſionem. 165. & ſeqq. Ob Hæreticorum ſcandala, & Eccleſiæ ignominiam. 166. Ob Sacerdotalis Dignitatis proſtitutionem, locique ſacri profanationem. Ibid. Aliaque flagitia, & conſectaria peſſima. 160. Peccant vero omnium graviſſime Prælati. 167.
Monachorum lapſus non admiratione, ſed imbecillitatis humanæ recordatione ſuſcipiendi. 167. Vid. *Clerici*. *Eccleſiaſtici*. *Presbyteri*. *Sacerdotes*.
Moniales. Vid. *Sanctimoniales*.
Mulieres pudorem, ac verecundiam præſeferant. 42. Quis eſſe oporteat earum habitus, & ſtatus. 49. Quis ornatus. 151. Muliebris cupiditas latiſſime patet. 146. Ab earum viſu, colloquio, auditu, maximeque ſaltatricum præcipimur ſacris litteris abſtinere. 48. 53. Scenicarum vivendi ratio. 42. Theatra adeuntium deſcribuntur ornatus, geſtus, colloquia. 10. Quædam a Dæmone in theatro obſeſſa. 60. Vid. *Feminæ*. *Veſtis*.
Multitudo peccantium errori patrocinium nullum facit. 122. Neque eſt morum regula. 76.
Munera in Amphitheatro damnata a Ss. Patribus. 7.
Muratorius Ludovicus interpretatur, quid ſibi velint apud D. Thomam nomina Hiſtrionum, & munia. 22. Hodiernæ muſicæ mollitiem, effrænatamque licentiam inſectatur. 100. Impudentiorem antiqua eſſe adfirmat. Ibid. Hodiernas comœdias luteo amore inquinatas agnoſcit. Ibid. Theatrum tamen ſua natura haud illicitum, ejuſmodi docet fieri Scenicorum pravitate. 90. Expenditur hoc aſſertum. Ibid. Unde nequaquam tolli theatra, ſed ad honeſtatem, utilitatemque exigi oportere contendit. Ibid. Pulchrum id quidem dictu, haud reipſa eſſe oſtenditur. 91. 101. Tragœdiæ artem in commovendis potiſſimum voluntatis affectibus ſtatuit. 100. Amorem a theatris non omnino exulem vult. 99. Refellitur. Ibid. Docet præclariſſimos etiam viros interdum erraſſe. 102. Arguit hodierna Monachorum theatra. 180.
Muſicæ ratio, & effectus. 148. Maximaque vis ad inflectendos quocumque volueris animos, & mores depravandos. 100. 149. Theatralem appellavit *Meretriciam* Chryſoſtomus, aliique Patres. 150. in Sacra Chriſtianorum templa irrumpere, ſcelus ſummum, & Dei contemptio. 158. Vid. *Cantus*.
Muſſatus Patavinus Tragœdiarum auctor in Italia XVI. circiter ſæculo. 23.

NAvarrus peccare mortaliter Clericum, & Monachum docet, qui Tonſuram & proprium habitum non geſtant, aut indecentem induunt. 190.
Neceſſitatis triplex genus. 69.
Nerva Imp. in odium Domitiani Mimos reſtituit. 151.
Nero Imp. theatra perdite adamavit. 4.
Nicolaus Papa Bulgaris jubet vitare ſpectacula. 20.
Nicolaus integro tractatu comœdias exagitat. 24.

Oble.

OBlectamenta quas habere conditiones debeant ut ad Eutrapeliam referantur · 171. Vid. *Gaudia*. *Solatia*. *Voluptates*.
P. Oliva Concionatoribus, & Confeſſariis ſevere conſulendi, docendi, medendique regulas tradit. 197.
Otho Imp. voluptati theatrorum indulſit. 4.
P. Ottonelli Dominicus tria edidit volumina adverſus theatra. 24. Removet a ſententia P. Baldellum, exiſtimantem poſſe a Principibus permitti comœdias obſcœnas. 82.
Ovidius Naſo theatra execratus. 6.

PAlliatæ comœdiæ a Græcorum pallio nuncupatæ. 3.
Pamelius animadvertit. Ss. Patres quatuor imprimis genera ſpectaculorum improbaſſe. 7.
Pantomimi qui ſint. 143. Et unde dicti 3. 9. Sacris certaminibus olim admiſſi, deinde prohibiti. 158.
B. Paphnutio revelatum, quendam joculatorem futurum ſibi in Cœlo conſortem. 21.
Pariſienſis Univerſitas comicos mandat a Sacra Communione prohiberi. 23.
P. Paſſerinus a ludis Monachorum ſcenicis everti Ordines, & peccare mortaliter Prælatos permittentes decernit. 167.
Paſſionei Card. laus, ſuæque ampliſſimæ Bibliothecæ commendatio. 120.
Ss. Patrum, & quorumque Scriptorum mens non ex locis, in quibus obiter, ſed quibus ex inſtituto diſputant, haurienda. 8. Rethorice exageraſſe, non theologice pertractaſſe qui obtrudunt, robur addunt, hæreticorum perfidiæ. 67. Spectacula, comœdias, ludoſque ſcenicos improbaſſe ſuperſtitionis tantum cauſſa, non morum pravitatis, eſt ineptiſſimum commentum. 18. & ſeqq. 149. Vid. *Comœdiæ*. *Spectacula*. *Theatra*.
Patritii Senenſis teſtimonium adverſus theatra. 27. Ejus ætate vetera diruta, nec nova conſtructa. Ibid.
Peccata noſtræ ætatis quæ, & quanta. 126. Ab his ad hæreſim facilis aditus. Ibid. Inuſitata exhorreſcimus, uſitata ridendo toleramus, & tolerando perpetramus. 184.
Peccati mortalis a veniali eſt in praxi difficilis quæſtio. 51. Triplex venialium genus. Ibid. Ad mortalia diſponunt. 52. Peccat lethaliter, qui quod agit, ignorat, mortale ſit an veniale. 2. 54. 80.
a Penna feminas Theatrales impudicitiæ reprehendit. 43.
Periculum criminis certum ac probabile, leve, & remotum diſtinguitur. 69. Proximo mortalis criminis periculo ſe exponere, mortale eſt. 152. Sicut etiam probabili, ſi gravis neceſſitas abſit. 70. Imo qui non cavet, quantum cavere poteſt, magis tentat Deum, quam in ipſo ſperet. 70.
Permiſſio, quæ tolerat leviora mala, ut vitentur majora, diſtinguitur a permiſſione quæ probat. 84.
Perſona. Vid. *Larva*.
Petrarca juveniles ingenii partus deplorat ſenior factus. 26.
Peyerini de Monacho hiſtrionum habitum ſumente laxa ſententia. 173. Eamque injuria tribuit Sylveſtro. Ibid.
Philippus Franciæ Rex Hiſtriones proſcripſit, quod id genus hominum Reipublicæ perniciosum exiſtimarit. 23.
Philippus II. & IV. comœdos proſcripſere. 98.
Photius leges] colligit contra Spectacula editas. 20.
Phrynicus mulieres in ſcenam primus invexit. 36.
Pignatellus Jacobus turpes comœdias definit. 35. Validiſſimis omnis generis probationibus oſtendit turpes, & obſcœnas noſtræ ætatis eſſe comœdias. Actoreſque, & Inſpectores lethaliter peccare. 103. & ſeqq. Teſtatur, nemini datam ſuo tempore facultatem, publica agendi ſpectacula. 27.
S. Pius V. Clericis prohibet, arma ne ferant, perſonative incedant. 196.
Plato Muſicos, Comicos, Poetaſque e ſua Republica præcipit removendos. 19. 151. Graviſſimas ex muſica morum labes veretur. 100.
Plautus in ſuis comœdiis lubricus fuit. 4. Ad captivandam ſpectatorum frequentiam ſpondet honeſtati, pudorique, conſulturum. 5.
Plutarcus execratur comicas repræſentationes. 19. Narrat Comœdias, Tragœdiaſque non fuiſſe a Laconibus ſuſceptas. 96. Apud Athenienſes habitam rem hujuſmodi indecoram. Ibid.

A Lacedæmoniorum Sapientibus fuiſſe comicos infamia notatos. Ibid. Solonem cuidam Tragœdiæ auctori vehementer exprobraſſe. 151.
Pœnæ malum quodcumque ſubeundum potius quam levis culpa patranda. 82.
Pœnitentiale Romanum transformantibus ſe in habitu alieno animadvertit. 34.
Pompejus manſuram theatri ſedem primus conſtruxit: 3. Ex quo veritus ſuæ memoriæ cenſuram, Veneris ædem ſuperpoſuit, ut damnandum opus Templi titulo prætexeret. 8.
Pontas reſpondit peccare Monachos, vel Sanctimoniales lethaliter, comœdorum veſtibus agentes etiam de ſacro argumento, inſciis ſæcularibus. 177.
Ven. Poſſada Theatra Cordubæ demolitus. 98.
Presbyterorum quæ ſtudia eſſe debeant, quæque Officia. 183. 184. 186. Præſertim Bacchanalium tempore. 187.
Presbyteri, & Clerici Sacris initiati laicalem habitum, aut larvam induentes, choreis, theatriſque adſtantes mortaliter peccant. 182. & ſeqq. 194. Ob Eccleſiaſticæ dignitatis contemptum. 183. Chriſtianorum ſcandalum. 184. Perſonæ ſacræ profanationem. 185. Denique ob excommunicationis, aliarumque pœnarum incurſum. 188. & ſeqq. Hujuſmodi presbyteris eleemoſynæ Miſſarum dandæ non ſunt. 199. Exemplum de larvato incedere ſolito. 196. Vid. *Clerici. Eccleſiaſtici. Monachi. Sacerdotes.*
P. Preſti epiſtola contra Monachorum theatra. 178. Confutavit *Specimen Hiſtorico Canonicum.* Ibid.
Principis vita ſubditorum cenſura eſt. 89. Ipſius diſciplina capit omnes. Ibid. Ejuſdemque ſtudia ſequi, genus habetur officii. 152. In ſuis aulis comœdias agi, ſcandalum populo eſſe docet P. Mariana. Ibid. Multa perferuntur, quæ impedire non valent. 84. Comœdias turpes nec probare, nec pati debent. 83. & ſeqq. 84. 150. Immo pœnis hiſtriones obſcœnos afficere. 83. Utrum ferre ſpectacula, ne majora mala aggrediatur populus, licite poſſint. 153. Debent peccatis, præſertim publicis aditum intercludere. 96. Populorum bono conſulere. Ibid. 127. Terribilis hac de re S. Joannis Chryſoſtomi ſententia. 83.
Privatio appetitum parit. 165.
Probabiliſmus ad omnem laxitatem viam ſternit. 127. 131.
Provincialis lingua. 20. Provinciales Poetæ. 22.
Puerorum inſtitutio. 151.

QUintillianus ex theatrali muſica virile robur excidere profitetur. 101.

RAcine ſuas Tragœdias licet caſtiores exoſus ſenior factus. 28.
Rapin hodierna cum antiquis theatra collata turpia prædicat. 4.
Reginaldus Chriſtiano nomine ducit indignum, prodire in ſcenam fœminas. 43. Ac mortale, comœdiis turpibus intereſſe. 55.
Regulares. Vid. *Monachi.*
Reipublicæ bonum, & politica felicitas quibus rebus, & ratione comparatur. 114. 115. Quibus vero deſtruitur. 114.
Religionis Catholicæ ſanctitas aliunde, quam ex quorumdam illam profitentium lapſibus metienda. 172. 194.
Religioſi. Vid. *Monachi.*
Repræſentationum duo genera in Theatris veterum diſtinguenda, alterum eloquio aures, alterum geſtu oculos delectans. 9. Vid. *Comœdiæ. Ludi. Spectacula. Theatra. Tragœdiæ.*
Ribera Comicorum oppugnator. 24. Quæritur ſui temporis calamitatem, qua mulieres in ſcenam inducerentur. 37. Monet Principes, magiſtratuſque ad Actores, Actriceſque Comœdiarum procul relegandum. 35. Laudatur. ibid.
Ricciullus contra larvas ſcripſit multa. 190. Declarat, larvarum licentiam tempore Bacchanalium ad Eccleſiaſticos non extendi. 196. Gravius peccare affirmat Eccleſiaſticos larvis, quam laicos Eccleſiaſticis veſtibus utentes. 186. Omnium vero graviſſime Epiſcopos. 190.
Riccobonus Hiſtrio Comœdiarum vindex. 25.
Rituale Cabilonenſe arceri jubet a ſacra Communione Meretrices, Concubinarios, Comœdos, ut manifeſte infames. 23.
Rituale Metenſe donari prohibet Eccleſiaſtica ſepultura Comœdos, Hiſtrioneſque. 23.
Rituale Pariſienſe eadem decernit, quæ Cabilonenſe. 23.
Romani ſcenicas artes diu ignorarunt. 18.

158. Quibus mediis partum, & auctum ſit eorum imperium, contraque fractum corruerit. *92.* Moderate ſcenicis uſi ſunt; ſæpe etiam proſcripſere; ipſaque theatra demoliti. 109. Immo plura contra ſanxerunt. 150. Nec facile prodire in ſcenam feminas patiebantur. *36.* Erantque apud eos infamia notatæ. *96.* Morem habebant, ſervos in parentalibus mactandi. 154.
Romanzo, unde profectum vocabulum. 20.
Roncaglia turpes definit, indecoraſque Comœdias. 35.
Roſcius hiſtrio cur ad ſcenam non debuiſſet accedere. *96.*
Rotarius larvales, ac theatrales ludos ſua natura indecentes affirmat. 174. Regularibus vetitos; ſacram autem hiſtoriam, vel moralem, nulla habitus mutatione, conceſſam. Ibid.

SAcerdotum ignorantia, ſumma Populorum calamitas. 182. Dignitatis eorum præſtantia. Ibid. Vid. *Clerici*. *Eccleſiaſtici*. *Monachi*. *Presbyteri*.
Sairus Gregorius interdictum ſub mortali Clericis autumat ludum larvarum. 192.
Saltimbanchi eos appellamus, qui ludicra proferunt in plateis, & compitis. 23.
Salvianus omnem turpitudinem, inſaniam, & ſacrilegam ſuperſtitionem in theatris, & circis, aliiſque ludicris collocat. 15. 181. Adeoque probroſa duxit, ut ne nominari, nec argui poſſe, incolumi honeſtate, videantur. 125. Luxuriantes in theatris Cartagineuſes objurgat. *6.*
Satyros vocat Horatius, quos alii mimos appellant. 4.
P. Sanchez Monachalis habitus temerariam dimiſſionem eſſe tradit excommunicationi ſubjectam. 162. Larvarum, & chorearum uſum Eccleſiaſticis vetitum ſub peccato lethali. 192. Auctores, Actoreſque Comœdiarum turpium peccare lethaliter. 55. De ſpectatoribus quam laxe ſentiat. 130.
Sanctimoniales comœda veſte ſacrum argumentum, iniciis ſæcularibus, agentes peccare mortaliter docet Pontas. 177. Eiſdemque ſacra dari ſpectacula vetitum. Ibid.
Scandalum ineſt actioni publicæ turpi, etiamſi frequentiſſima. 130. 169.
Scenæ nomen unde prodierit. 3.
Scenicæ artes improbantur a Ss. Patribus. 7. Vid. *Comœdiæ*. *Ludi*. *Repræſentationes*. *Spectacula*. *Theatra*. *Tragœdiæ*.
Scenici appellabantur, qui in Theatro quidquam agebant. 3.
Scriptorum Italicorum hodiernus cenſor abſurdam interpretandi ſacras litteras adoptaſſe regulam viſus eſt. 102.
P. Segneri graviter, copioſeque diſſeruit contra theatra. 56. & ſeqq. Turpium, & ad flagitia concitantium indolem eſſe modernorum theatrorum oſtendit. ib. Comœdiarum hujuſmodi ſpectatores Dæmonibus actos, & maleficio affectos: Mimos vero conſcientiarum veneficos probat. ib. & ſeqq. Funeſtiſſimos effectus commemorat. *62.* Excuſationes ſcænæ ſtudioſorum retundit. Ib.
Senecæ Tgragœdiæ noſtris præſtant modeſtia, & honeſtate. 4. Nihil perniciofius arbitratur, quam in ſpectaculo deſidere. 7. *60.*
Senſus flagitiorum januæ. 49. Eorumque voluptates maximam habent vim ad excelſos quoſque animos expugnandos. 144. & ſeqq.
Severus Imp. paululum ſcenæ licentiam temperavit. 4.
Solatia homini propria, & Chriſtiano digna. 11. 81. 140. 157. 171. Vid. *Gaudia*. *Oblectamenta*. *Voluptates*.
Solon unus ex Sapientibus Græciæ quemdam Tragœdiæ auctorem increpavit. 151.
Solonus Bartholomæus aſſentitur docentibus larvalem ludum eſſe ſub mortali Clericis interdictum. 190.
Spectaculum quid. 143. Quatuor eorum præcipua genera. 7. Hæc in duo anguſtius concluduntur: aliud viribus corporum exercendis, aliud animis recreandis. 3. Unumquodque vero aut Deorum cultui, aut Populi oblectamento erat dicatum. 4. Reprobantur a Ss. Patribus. 7. & ſeqq. Omniumque nationum conſenſu. 150. His enim concitantur omnes animi motus. *9.* Sunt offendicula caſtitatis, & innocentiæ. 10. *46.* A divinis mentem avertunt. *46.* Vid. *Comœdiæ*. *Ludi*. *Theatra*. *Tragœdiæ*.
a Spiritu Sancto Antonius de Monachalis habitus dimiſſione, Cœnobitarumque larvarum, & Comœdiarum uſu ad Lezanæ mentem exactus. 177.
Suarez non favet Monachis habitum dimittentibus Comœdiarum cauſſa. 173.

Sylveſter a peccato non excuſat temere factam Monachalis habitus dimiſſionem. 163. Præſertim Comœdiarum cauſſa. 172. Choreas in publico, larvaſque Clericorum ab interdicto non ſolvit. 189.
Synodus VI. generalis ſævas prohibuit venationes. 155.
Synodus VII. generalis prohibet Theatrorum celebrationem. 20. Vid. *Concilia*.
—— Arelatenſis ſtatuit theatricos a communione ſeparandos. 6.
—— Eboracenſis privat Clericos beneficiis, qui tonſuram, & coronam ferre contempſerint. 186.
—— Eliberitana plura ſanxit adverſus theatra. 19.
—— Laodicena ſanctiones editas contra theatrorum ſectatores confirmat. 20.
—— Pariſienſis gravi prohibet animadverſione ſpectacula. 20.
—— Romana anathema tulit in Clericos, Monachoſque comam laxantes. 186. Altera Romana privat communione Sacerdotes laicalibus veſtibus utentes. Ibid.
—— Tolonenſis anno 1704. celebrata Eccleſiaſticis Comœdiarum ſpectatoribus excommunicationem ſtatuit, Laicis vero abſolutionem præcipit denegandum. 24.
—— Toloſana privat Eccleſiaſticos communione, qui comam nutrierint. 186.
—— Trullana pœnas infligit mentientibus habitum. 34.
—— Turonenſis comœdias, & ludos ſcenicos anathemate prohibuit. 23.
—— Viennenſis contra Eccleſiaſticos induentes Laicorum veſtes pœnas tulit. 186.

TAcitus narrat Romæ ante Pompejum ludos ſcenicos perraro, & ſine manſura Sede actos fuiſſe. 3. A ſapientioribus quippe Romanorum Comœdi, Comicique contempti. 7.
Tamburini laxa ſententia de turpia dantibus Comicis. 129.
Tapia Comœdiis adverſus. 24.
Tatianus Hiſtriones criminum doctores appellat. 12. Theatrorum fortis oppugnator. 17.
Tauri in Hiſpania ſæviſſimi. 154. Tauros agitantium Hiſpanorum temeritas. 156. Hanc execrantur Caſſiodorus. 154. Thomas de Villanova. Ib. P. Mariana. 156. Damnant Pontificia Diplomata. 154. Et excommunicationi ſubjiciunt. 156. Sit in præſentiarum licita necne Taurorum iſthæc agitatio definitur. 155.
Terentius ſuas Comœdias ad quem finem conferret. 4.
Tertullianus ſpectacula, Comœdias, ludoſque ſcenicos inſectatus non ſuperſtitionis tantum cauſſa, ſed morum corruptionis. 8. & ſeqq. Tantoque majus in iis docet extare periculum, quanto dulci, honeſtoque conditio. 10. Neminem putat ad ſpectacula ſine affectu, & voluptate venire. Ibid. Vel ſaltem ſine vanitate. ib. Revincit, qui in ſpectaculis jactat animi immobilitatem. 139. At ſi iiſdem non delectetur, tamen reus eſt, quod talia facientibus conferat. 10. 79. Narrat, in theatro feminam fuiſſe a Dæmone obſeſſam. 60. Exponit ludicra exercendis corporibus idonea, & Chriſtiano viro digna certamina. 157.
Theatrorum Hiſtoria. Vid. *Hiſtoria*.
Theatrum primum ex lapide Romæ erectum anno 699. Urbis conditæ. 3. Secundum, & tertium anno 743. Ibid. Theatrorum, Comœdiarum, & ſpectaculorum diſputatio graviſſima eſt. 102. Contra ea Eccleſiæ traditio. 7. & ſeqq. 25. Pernicioſiora ſunt, in quibus mares, feminæque inducuntur. 40. Ex theatris omne genus turpitudinis proficiſcitur. 142. 149. Imprimiſque luxuriæ. 8. Ideoque nemo jactet ſui animi firmitatem. 139. Summa etiam in univerſam Remp. oritur calamitas. 109. 150. Et ad Hæreſim facilis tranſitus. 35. 39. Quibus proinde ſublatis, nulla pejora extimeſcenda ſunt mala. 85. 86. Plura a clariſſimis viris diruta fuere. 6. 98. Vid. *Comœdiæ*. *Drammata*. *Ludi*. *Repræſentationes*. *Spectacula*. *Tragœdiæ*.
Theologorum libertas opinandi, & cupiditas placendi. 142. Clariores theatrorum ſpectacula inſectati ſunt. 25. Vid. *Comœdiæ*.
Theodoſius magnus vetuit, ne Judices Theatris vacarent, niſi iis tantum diebus, quibus in lucem editus, vel Imperii fuerat ſceptra ſortitus. 5.
Theodoſius junior Dominico, certiſque diebus omnem theatrorum, & Circenſium voluptatem ubique locorum ſubmovit. 6.
Theodoſii Italiæ Regis effatum: *Mores gra-*

gra-

graves in theatris fruſtrà requiri. 6.
Theophilus Theatrorum hoſtis. 17.
Thieres commemorat larvarum corruptelam in Galliis obtinuiſſe ſæculo XVI. labente. 186.
S. Thomas Aquinas conſenſum peccato alterius bifariam dividit, directe, & indirecte. 73. Quæ ad Eutrapeliam referri poſſint ludicra, exponit. 20. 171. Sui temporis Hiſtriones pluſquam genere diſtant a noſtris. 21. 22. Illos a peccato immunes facit, quibuſdam ſervatis conditionibus. 21. 22. Iſtos vero nequaquam. 24. 29. Hujuſmodi quippe hiſtrionatum comparat meretricio. 31. Immo eis opitulantes criminis damnat. Ib. Ad Idololatriam, luxuriamque declinandum prohiberi virilis, aut muliebris veſtis docet mutationem. 34. 153. Qualem, quibuſque feminis ornatum permittat. 152.
S. Thomas de Villanova blandienti Confeſſariorum adulationi tribuit Eccleſiæ perditionem. 128. Execratur Tauros in Hiſpania agitandi morem. 154. Sonteſque criminis facit inſpectores. 155.
Thomaſinus refert Canones de Eccleſiaſticorum Habitu, Tonſuraque. 186.
Thymelici Actores qui. 143.
Tiberius Imp. ſpectacula exoſus. 3. Hiſtrioneſque Roma, Italiaque proſcripſit. Ibid. & 150.
Togatæ (*Comœdiæ*) a Romanorum toga nuncupatæ. 3.
Tragœdi unde dicti. 3.
Tragœdiæ Ethnicorum modeſtia, & gravitate noſtris præſtant. 30.
Trajanus Imp. in theatrum redire hiſtriones juſſit. 4. Rurſum ſuſtulit, rogante Populo. 89. 151.
Triſſinus Vincentinus Tragœdiarum auctor in Italia ſæculo circiter XVI. 23.
Trullench Ægidius Clericum larvatum damnat lethalis. 192.
Turnely laxiorem vocat Natalis Alexandri ſententiam, quod *vix* inquit Chriſtianus ſine poccato poſſit ſpectaculis, & Comœdis intereſſe. 119. Qui vel ſemel Comœdiæ volens intererit, expertem noxæ non habet. 120. Auctoribus, Actoribuſque Comœdiarum, itemque Artificibus, qui ad Theatrum proxime ſpectantia concinnant, abſolutionem judicat denegandam. ib.
Turrecremata Card. perinde eſſe inquit cum beſtia, quæ dentibus, quam quæ cornu armata ſit, pugnare, cum par utrinque periculum immineat. 155.
Turrianus ſentit verſari hiſtriones in ſtatu peccati mortalis, Comœdiaſque in Europa dari ſolitas eſſe illicitas. 74.

VAlens Imp. contra ſcenam, & Comicos leges condidit. 5.
Valentiæ modernus Archiepiſcopus Theatrum evertit, in Xenodochiumque commutavit. 98.
Valentinianus I. Imp. contra Theatra, & ſcenicos multa ſanxit. 5.
Valerius Max. Romanam ruinam ex Theatris repetivit. 7. Laudat Maſſilienſes, quod a Theatris mimos prohibuerint. 150.
Venationes in Amphitheatro damnatæ a Ss. Patribus. 7.
Verborum, ac rerum turpitudo definitur, & dividitur. 32.
Veſte ſe feminam mentiens vir, aut virum femina Deo abominabiles ſunt, & peccato obnoxii, detracta neceſſitatis cauſſa. 33. & ſeqq. 36. 37. 153. & ſeq. Præſertim ſi in ſcenam prodeunt. 121. Clericalem a Laicis, aut laicalem ab Eccleſiaſticis ſumi, criminoſum eſt. 185. 191. Vid. *Clerici*. *Habitus*. *Larva*. *Monachi*. *Presbyteri*.
Vidal Marcus in laxanda ethice Chriſtiana palmam eripuit Dianæ. 189. Ejus doctrina merito proſcripta. Ibid. Fatetur, Doctores fere omnes damnare lethalis clericum perſonatum, tamen auſus ab iiſdem recedere. Ibid. 194.
Vir ſe feminam veſtibus mentiens. Vid. *Veſtis*.
Virgilius Polydorus capitale in Anglia fuiſſe ſuo tempore teſtatur, Perſonatum incedere. 186.
Vitellius Imp. nimia cupiditate theatra proſecutus. 4.
Vivaldus plebis proverbio fruſtra conatur, ſcandalo Clericorum Perſonatorum velamen obtendere. 185.
Vives Ludovicus larvarum meminit apud Chriſtianos inventi. 186.
de Voiſin tractatum Principis de Contì adverſus Comœdias vindicavit. 25. Auctorem Theatri Italici profligavit. 94. 95. 96.
de Voltaire Sannio opus cl. P. Le Brun contra ſpectacula impudenter aggreditur. 26.
Voluptates, quæ referri in Dei gloriam ne-

nequeunt, vetitæ ſunt, & diaboli pompa. 8. Ab iis penitus abſtinere facilius eſt, quam, conceſſis, intra honeſti limites contineri. 92. In præſenti, & futuro ſæculo voluptates aſſequitur nemo. 139. Vid. *Gaudia*. *Oblectamenta*. *Solatia*.

Vopiſcus Carinum Scenæ frœna laxantem objurgat. 4.

Urbanus VIII. P. M. quam valide ſpectaculis obſtiterit. 27.

Wigandt Martinus peccare lethaliter Clericos oſtendit obeundo ſæcularia munia, Hiſtrionatum, Choreas, & larvas agendo. 192.

Vulpius Antonius Comœdiarum nequitiam, perniciemque declarat. 30. Earumque imprimis, quæ colore venuſtatis, elegantiæ, leporis obteguntur. ib.

ZEch in pinguem incidit errorem, quod Urbem *S. Dominici* nuncupatam pro Dominicano Ordine intellexerit. 88. Irrito conatu Auctoris Ethicen carpit. ib.

Zeno (Apoſtolus) ſenior factus reparare ſtuduit ſi quæ antea ſuis Drammatibus animarum detrimenta feciſſet. 26. Laudatur. Ib.

F I N I S.

S. CA-

S. CAROLI BORROMEI
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS
ET S. R. E. CARDINALIS
OPUSCULUM
DE CHOREIS, ET SPECTACULIS
IN FESTIS DIEBUS NON EXHIBENDIS
ACCEDIT
COLLECTIO SELECTARUM SENTENTIARUM
EJUSDEM
ADVERSUS
CHOREAS, ET SPECTACULA
EX EJUS STATUTIS, EDICTIS, INSTITUTIONIBUS, HOMILIIS.

CHRISTIANO LECTORI

C*UM doctum, & luculentiſſimum, ſtudio* S. CAROLI *Archiepiſcopi Mediolanenſis, & S. R. E. Cardinalis, ad forenſem ſtilum Romanæ Curiæ, elaboratum Opuſculum* De Choreis, & Spectaculis in Feſtis diebus non exhibendis, *quod, ſecundum exemplar ex cod. Mſ. Bibliothecæ Eminentiſs. Cardinalis Franciſci Barberini ab Illuſtriſs. Epiſcopo Montiſpeſſulani Franciſco Boſqueto V. Cl. deſcriptum, Toloſæ editum eſt An. ſal.* CIↃDCLXII. *ſub auſpiciis Armandi Borbonii, Principis pluſquam atavis Regibus, rebuſque domi foriſque geſtis, ſingulari pietate inſignis & doctrina, adeo rarum factum ſit, ut Romæ unum vix repererim ejus exemplum in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Paſſionei, quæ ſcilicet ſi lautiſſimam ſpectes editorum librorum ſupellectilem, ditiores inter Bibliothecas non Urbis ſolum, ſed Orbis recenſenda facile eſt, ſin autem rariorum copiam, nulli eſt fortaſſis ſecunda; hinc eſt quod illius recenſendi ad fidem laudati MS. cedicis in Bibliotheca Barberina adverſati num.* 257. *nec non illius iterum vulgandi conſilium cepi, eo magis quod huic tempori, quo jam ſpectaculorum voluptati non modo excuſatio non deeſt, ſed ne patrocinium quidem, quam maxime opportunum eſſe videatur.*

Præfixa eſt in cod. Barberino, quæ in editione Toloſana ad calcem libri apponitur. Antonii Epiſcopi Anagnini Epiſtola ad Paulum V. Pontificem Maximum Anagniæ data XV. Kal. Jun. An CIↃDCXIV. *pro defenſione Synodalis Decreti, quo ipſe etiam, ut par erat, profana ſpectacula diebus Feſtis edere interdixerat. Hanc cum nonniſi vulgaria quædam de ſpectaculis, & de Epiſcoporum jure ad Feſtos dies ab eorum vanitate tuendos, contineat, integram non referam, ſed minime prætermittendum eſſe arbitror, quod habet illa de hoc noſtro* S. CAROLI *opuſculo teſtimonium.* Quoniam ego (*ſcribit Anagninus Epiſcopus*) non ſolum vitæ meæ cuſtos, & ſalutis alienæ proviſor a Sanctitate Veſtra conſtitutus ſum, Synodali decreto huic malo (*edendi nimirum profana ſpectacula Feſtis diebus*) conſulere volens decrevi, dominicos, & feſtos dies, religioſe, pie, & ſancte celebandos eſſe, nec deinceps tripudiis, comeſſationibus, luctationibus, & aliis theatralibus ſpectaculis profanandos, propoſita cenſura, non tamen eo ipſo incurrenda. Id autem facile pro voto aſſecutus eſſem, niſi obſtaret, exemplum cujuſdam conceſſionis alteri pio decreto adverſantis, Alatro civitati finitimæ permiſſæ, Sanctitate Veſtra, ut creditur, inſcia; cujus vigore populus ille feſtum S. Sixti Pontificis, & Martyris, ſui Patroni, choreis, aliiſque de more ſpectaculis celebrare poſſe confidit. Qui licet culpa non careat, cum id, quod Superiores permittunt, nolentes concedant, quia malas hominum voluntates ad plenum, ait Chryſoſtomus, prohibere non poſſunt; eo tamen exemplo populus hic meus ſuffultus, confugere proteſtatus eſt ad Sanctitatem veſtram, cui hæc pauca ſcribere auſus ſum, nec non OPU-

SCULUM ſtudio S. CAROLI eo de genere elaboratum mittere viſum eſt, quo Gregorius XIII. prædeceſſor Sanctitatis Veſtræ hanc Dei cauſſam cum populo Mediolanenſi egit, ſuiſque litteris Apoſtolicis finem controverſiæ impoſuit: atque, ut etiam legitur in vita S. CAROLI, tunc larvas & ſpectacula feſtis diebus, & feria ſexta Romæ fieri interdicit. Cujus rei obſervantia ita nunc viget, ut populus iſte abſque alio conſtituto Romanæ Urbis exemplum ſequi multo ante debuiſſet.

Itaque habes hic, Lector, opuſculum non ſolum Auctoris nomine, nec ſolum exquiſita doctrina, qua propoſitum in eo argumentum luculenter pertractatur, commendatum, ſed etiam Gregorii XIII. laudatiſſimæ memoriæ Pontificis adprobatione venerandum, cui adprobationi, licet ſibi ipſa ſatis ſit, novum modo, & plane maximum ex graviſſimo BENEDICTI XIV. judicio pondus acceſſit.

Scilicet de falſa novitatis nota, quæ Synodalibus Conſtitutionibus quandoque inuritur *verba faciens BENEDICTUS XIV. in doctiſſimo illo, utiliſſimoque Opere, quod inſcripſit* De Synodo Diœceſana, *poſtquam lib. 7. cap. 54. de Conſtitutionibus a* S. CAROLO *pro Mediolanenſi Eccleſia editis, præcipueque de Conſtitutione, qua ſpectacula & ludos quoſcumque profanos publice edi feſtis diebus vir Sanctus interdixerat, copioſe egerit, earumque Conſtitutionum æquitatem ſelectis rationum momentis ſtabilierit, atque illuſtraverit, celeberrimæ etiam hiſtoriam texit legationis Mediolanenſium civium ad Greg. XIII. miſſæ (cujus libellum ſupplicem querelarum plenum videre eſt in MS. Vatic. cod. 6210. c. 302.) & tandem ita ſubdit:* Pontifex, auditis Legatis, negotium examinandum commiſit nonnullorum Cardinalium Congregationi, a quibus aliquot Theologi, & Canoniſtæ fuere in conſilium acciti. Iſtorum ſuffragia nos præ manibus habuimus, atque ex iis pleraque S. CAROLI decretis, hanc unicam ob cauſſam obſtitiſſe, deprehendimus, quod inveteratis Diœceſis Mediolanenſis moribus contrairent. At meliori ſane conſilio Gregorius Caroli edicta, non cum hodiernis corruptelis, ſed cum priſcis Eccleſiæ inſtitutis, ſacriſque Canonibus, in quibus erat apprime verſatus, contulit, eaque his ad amuſſim congruere videns, ſpretis contrariis Theologorum ſuffragiis, ſuis Apoſtolicis litteris confirmavit, & Mediolanenſes Legati, qui a Romanis per jocum appellabantur ORATORES BACCHANALIUM, eo quod præcipue illuc acceſſiſſent, ut Bacchanalium jura tuerentur, & ampliarent, re infecta in patriam remearunt.

Neque vero S. CAROLI *zelum, & Gregorii XIII. ſummam prudentiam cum ſummo imperio conjunctam laudibus ſolum & votis proſecutus eſt BENEDICTUS XIV., ſed æmulatus eſt quoque factis. Decretoria Epiſtola Kal. Jan. data Anno* CIↃDCCXLVIII. *legem tulit, ut late per totum Apoſtolicæ Sedis Imperium ſæculare nec feria ſexta, nec feſtis diebus ſpectacula ulla profana ederentur, quod jam non uno in loco, præſertim vero Romæ a Gregorio XIII. temporibus ſervabatur, licet jamdiu multo religioſius, (quod plane mirum eſt) feria ſexta ſervetur quam feſtis nativa ſanctitate religioſis diebus; etenim horum quoque veſpertinis horis venalia ſcenicorum ludorum ſpectacula dari ſolent, quod feria ſexta nefas ducitur; & tamen, ut ſilentio prætercam, quod plurimum temporis ex diurnis etiam horis neceſſa-*

rio

rio ſibi rapit, quæ adhibenda eſt ad veſpertina Theatralia ſpectacula tum danda tum ſpectanda, multis operoſa, & omnibus certe profana præparatio, indubium plane eſt, præceptum ſervandi feſtos dies extendi apud nos ad omnes horas, quæ a media nocte ad alteram mediam noctem ſequentem dilabuntur. Sed hoc ſenſim fortaſſis irrepſit proceſſu temporis, atque, ut ita dicam, ſine ſenſu, non ſecus ac ſenſim, ac veluti ſine Theatralia ipſa venalia ſpectacula, quæ modo civica eſſe videntur, multo poſt Gregorii XIII. ætatem in Urbem, cujus ſanctitatem diu reformidarunt, irrepſere, unde illa ad Clem. IX. Pont. Max. & ſacrum R. E. Cardinalium Collegium Jo: Antonii Olivæ, Societatis Jeſu ſummi olim moderatoris, & apud Apoſtolicam Sedem a ſacris concionibus orator: Quando io fui trasferito in Roma, e pure non vi giunſi nei tempi o di Celeſtino primo, o di Agatone . . . neppure ſi dava paſſaporto anche per un ſol giorno a' commedianti mercenarj.

Verumenimvero optime quidem ac ſapientiſſime Eccleſiaſticarum diſciplinarum ſcientiſſimus Pontifex, Romanam qui nunc implet Cathedram, atque utinam impleat in annos plurimos feliciter! BENEDICTUS XIV. diſertis verbis in eadem Epiſtola profeſſus eſt, multa eſſe, quæ ejus animum commovent atque perturbant, dum, quæ ſuſtinenda ſunt, conſiderat, & præterea, Eccleſiam profanas quaſcumque voluptates, & quocumque tempore fiant & quocumque jure, invitam ſemper toleraſſe: ut ſcilicet blandiatur ſibi nemo, quod haberi facile poſſit pro licito quicquid eſt publicum. Pulcherrima ſunt, quæ ille ad propoſitum, Stapletonio indicante adhibet S. Auguſtini verba ex libris contra Fauſtum: Aliud eſt qnod docemus: aliud quod ſuſtinemus: aliud quod emendare præcipimur, &, donec emendemus, tolerare compellimur.

DE CHOREIS ET SPECTACULIS

IN FESTIS DIEBUS NON EXHIBENDIS.

CAPUT PRIMUM.

Choreas per ſe non eſſe malas.

I. Conclusio.

CUM Choreæ nihil aliud ſint, quam conventus hominum, qui muſica adhibita, & item corporis motu, quædam lætitiæ ſigna edunt: nihil prohibet, quin ſecundum Doctorum omnium ſententiam ponamus: Choreas per ſe non eſſe malas; quia etiam bonæ eſſe poſſunt. Clarum vero id eſt, quia & muſica, & motus corporis ad numerum temperatus, poteſt honeſte, pieque adhiberi, ut exemplo David apparet, de quo dicitur 2. *Reg. cap. 6. David ludebat coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris, & tympanis . . . Et David ſaltabat totis viribus ante Deum:* & Mariæ item Aaron ſororis, quæ cum ceteris mulieribus canens, & tympanum pulſans, gaudebat, & gratias agebat Domino ob ſubmerſum Pharaonem *Exod.* 15. Idem dici poteſt de filia Jephte, cum advenienti patri victori obviam proceſſit cum choro, & tympano, ut habetur *Judic.* 11.

Sed certe ejuſmodi exempla minime accommodata ad rem noſtram videntur. Illis enim muſica ſaltatio adhibita eſt ad honorem Dei, gratiaſque pie agendas: at Choreæ noſtræ ad corpoream quandam voluptatem capiendam, aut vita exercenda habentur: neque marium, & fœminarum conventum, ut apud nos, habitum fuiſſe, legimus. Itaque ad ejuſmodi profana, ſi non turpia, excuſanda, ſacra ejuſmodi exempla producenda non ſunt: ne, ut ait S. Cyprianus in *lib. de Spectaculis: vitia noſtra de ſacris Litteris, quod indigniſſimum eſt, vindicare videamur.*

CAPUT II.

Chorearum alterum genus bonum, alterum malum.

VErum ad hæc melius diſtinguenda, non abs re fuerit conſiderare, quod duo Chorearum genera videntur in Scripturis ſignificari; alterum, cujus exempla modo protulimus, bonum ſcilicet, & ad divinum cultum pertinens: alterum, de quo ſignificatum eſt *Eccleſiaſt. cap.* 9. ubi ſaltatrix caveri præcipitur. *Tob.* 3. in verbis Saræ Filiæ Raguelis, *Job.* 21. & *Iſai.* 3. quibus locis, id ludi genus malum, & cum pravi Dei offenſione conjunctum, indicatur. Atque ejuſmodi morem Judæis fuiſſe, argumento ſunt S. Baſilii verba *in cap.* 3. *Iſai.* ea ſcilicet: *Quin & in hodiernum diem videre licet Judæas ſuis quaſque pedibus lædentes.* Et item illa S. Auguſtini in lib. de decem Chordis: *Melius fœminæ Judæorum die Sabbathi lanam facerent, quam tota die in Neomeniis ſuis impudice ſaltarent.* Eodem ſpectare videntur verba *l.* 5. *C. Theod. de Spectac. Si qui etiam nunc vel Judææ impietatis amentia, vel ſtolidæ Paganitatis errore, atque inſania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum tempus noverint, aliud voluptatum.* Qua in lege cultus Feſtorum dierum præcipitur. Hæc genera Chorearum Gentiles videntur imitati: nam & eas falſa Religione ad Deorum ſuorum cultum adhibuiſſe traduntur, & ad voluptatem etiam capiendam exercuiſſe: qua de re Cœlius Rhodiginus *lib.* 5. *cap.* 3. & alii. Solet enim diabolus ad homines fallendos, verum Dei cultum adulterando imitari.

Primo autem genere fideles uti tunc ſolum dici poteſt, cum voce, & muſicis inſtrumentis, in ſacris ædibus, præcipue diebus Feſtis, canitur, Clericis, Laiciſque convenientibus. Quare Chorus etiam dicta eſt ea pars Eccleſiæ, ubi Clerici manent canentes. Partim vero etiam u-

tuntur, cum proceſſiones obeunt, in quibus eſt corporis motus, major tamen, iſque ad numerum, in certis Eccleſiæ partibus.

Altero autem genere, quod malum eſt, jam nimis frequenter, & vitioſe utuntur, ut dicturi ſumus. Quod quidem non tantum a Judæis accepiſſe videntur, ſed partim etiam a Paganis, ut S. Auguſtinus ſignificat in *ſer.* 215., & etiam Lex 5. modo citata. Atque hoc profanum Chorearum genus, quod a corruptis Hebræorum moribus, & a vanis Gentilium ritibus ad incautos Chriſtianos, ut leviter dicam, manavit: licet ſi uſus ſpectetur, a Juriſconſulto pure ſeu abſolute malum dici poſſit; etenim in hac diſciplina, quod plerumque evenit, id ſpectatur *l.* 3. *&* 4. *ff. de Leg.* tamen, quia negari non poteſt, quin aliqua animi recreatio muſicis numeris motibuſque ſine vitio comparari poſſit, qua de re Philoſophi quoque tractarunt, ut apud Platonem habetur 3. *de Leg.* ideo, inquam, prima concluſio manebit Doctorum ſententiæ conſentanea: Choreas per ſe non eſſe malas.

CAPUT III.

Choreas Eccleſiaſticis viris prohibitas eſſe.

II. CONCLUSIO.

Videndum vero quibus ex conditionibus malæ reddantur. Igitur Concluſio erit de conditione perſonarum: Choreas a Clericis, & aliis Eccleſiaſticis perſonis duci non poſſe, & quod ad eos attinet, eſſe prohibitas. S. Thom. *in cap.* 3. *Iſ.* S. Bonaventura *in* 4. *ſentent. d.* 16. S. Anton. *par.* 2. *tit.* 6. *cap.* 6. Angelus, Silveſter, & auctor Roſſel. & alii Summiſtæ in verbo, *Chorea*, ex Alexand. *in* 4. *qu.* 11. Citatur vero ab his Auctoribus *cap. Clericum d.* 46. & *cap. Nullu Presbyterorum*, *de Conſecr. d.* 5. In primo autem prohibetur ſcurrilitas, & jocus turpium verborum. In ſecundo ebrietas, riſus immoderatus, fabulæ inanes, ludi, qui urſo, vel tornatricibus, aut vero larvis fiunt: quia, ut in textu: *Diabolicum eſt*, *&* *a ſacris Canonibus prohibitum*. Rectius citatur *c. Presbyteri d.* 34. *c.* 16. quo Clericis prohibetur conviviis nuptiarum intereſſe, & iis cœtibus miſceri, *ubi amatoria cantatur & turpia, aut obſcœni motus corporum Choreis & ſaltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus, ſacris Miniſteriis deputati, turpium Spectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Hæc ſunt verba Canonis. Adde *cap. Non oportet de Conſecrat. d.* 5. *& cap. Cum decorem De vit. & honeſt. Cleric.* Quare iſtis perſonis hæc facere, ajunt Silveſter & Angelus, *videtur mortiferum peccatum, ratione prohibitionis & ſcandali; niſi forte qualitas & modicitas operis excuſaret, veluti ſi ſecreto fiant, & parum, quod quaſi nihil putatur.* Hæc ille.

Verum ne quem fallat ea conditio rei ſecretæ; ſive enim ſecreto, ſive publice fiat, ſemper prohibitum eſt, & locus eſt rationi in *d. Presbyteri* expreſſæ. Præter quam quod res non ſatis ſecreta eſſe poſſe videtur in Chorea: & ſi quis ea uteretur, jam alio quoque nomine peccaret.

Quod ſi quis dicat de turpibus tantum in Canone caveri; & ideo ſaltationes & ludos, qui turpes non ſunt, non prohiberi etiam Clericis; Reſpondetur: Canonem eſſe intelligendum, non de turpitudine, quæ peccatum mortale continet, ſed de ea, quæ committitur in quibuſdam liberioribus actibus, qui modeſtiæ & ſanctitati filiorum Dei non conveniunt. Neque dubito Choreas noſtri temporis, quæ minime turpes putantur, ex ſententia Canonis eſſe turpes. Secundo reſpondetur, quod recte dicitur turpe alicui hominum generi, quod ſimpliciter turpe appellari non poteſt; & quod omnia ejuſmodi ſpectacula omnino & indiſtincte Canon voluerit Clericis prohibere, apparet *ex d. cap. Non oportet* (*a*); ubi ſimpliciter Altaris miniſtris prohibentur.

CAPUT IV.

Choreas in locis ſacris eſſe prohibitas.

III. CONCLUSIO.

Choreæ in Eccleſia, aut alio loco ſacro haberi non poſſunt ſine peccato

(*a*) Non oportet Miniſtros Altaris, vel quoslibet Clericos ſpectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis, aut in ſcenis exhibeantur, intereſſe. *De conſecr. diſt.* 5.

to mortali . S. Antoninus & Silveſter . In iiſdem locis citatur in argum. *cap. Decet De Immunitate Eccleſiæ in 6.*, & recte poteſt addi *c. Cum decorem De vita & honeſt. Cleric.* ubi ejuſmodi turpitudo, & corruptela ludorum procul ab Eccleſia eſſe jubetur.

CAPUT V.

Peccare qui mala mente ad eas accedunt.

IV. CONCLUSIO.

AD Choream, qui cauſſa libidinis, vel alia, quæ ſit cum peccato mortali, accedit, peccat mortaliter. Si enim quod ſpectatur, ſeu intenditur, eſt peccatum mortale, etiam ipſum opus erit. *Cap. Militare 23. qu.* 1. S. Thom. S. Bonavent., Albert. Mag., Alexand. S. Anton., Angel., auctor Roſſel., Silveſt., Zabar., & alii locis citatis.

CAPUT VI.

Qui timet, aut timere debet animæ ſuæ periculum, peccat, ſi non abſtinet.

V. CONCLUSIO.

QUI ſibi ex Chorea periculum peccati mortalis timet, ſi accedit, peccat mortaliter; quia *qui amat periculum, peribit in illo, Eccleſiaſt.* 3. Angelus & Silveſter loco citato. Idem dic, ſi rationabiliter timere debeat; paria enim ſunt, neque venia datur temeritati, aut cæcitati, qua quis adit ſalutis periculum.

CAPUT VII.

Qui timent, vel timere debent, ne alii incidant.

VI. CONCLUSIO.

QUI timet, vel rationabiliter timere debet, ne alli incidant in peccatum mortale propter Choream, quam haberi curat, tenetur abſtinere, alioqui mortiferæ culpæ reus erit. Hanc concluſionem in hac materia Silveſt. *loc. cit.* commemorat. Et quidem ſi quis probabiliter credat certam perſonam ex Chorea peccaturam, conceditur teneri eum Choream omittere: quia tenemur, nedum talia, ſed omnia ea, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt, omittere, ne proximus peccet, quando ſcilicet quis ex malitia non eſt peccaturus, & ex prava voluntate, ſecundum ea, quæ tradit S. Th. 2. 2. *quæſt.* 43. *artic.* 7. Diſtinctius etiam Navar. in Manual. *cap.* 14. *num.* 31. *a Verſ. Dixi ſexto*. Qua de re idem ſit dicendum, ſi quis probabiliter ſciat aliquos ex Chorea peccaturos generatim, quia plerumque ſic evenit, non autem ſciat certam aliquam perſonam. Et mihi quidem vera doctrina videtur, quam & affert Angel., & item Silveſt. ex Raymundo & alii *in verbo Ars n. 3. &* 5. quod ſi quis rem faciat, quæ per ſe mala non ſit, imo etiam omnibus uſui eſse poſſit, & tamen ob conditionem temporum & corruptos mores advertat, vel advertere debeat, eam plerumque eſſe cauſsam mali, tenetur abſtinere. Tenetur igitur a qualibet Chorea celebranda abſtinere, quando ita in uſu eſt, ut plerumque in ea mortifera peccata committantur, licet perſona certa ignoretur.

CAPUT VIII.

Male permitti Choreas arbitrio privatorum, & ex quacumque occaſione.

VII. CONCLUSIO.

CHoreas ex quacumque occaſione haberi, & arbitrio privatorum, a recta ratione Reipublicæ alienum eſt, tum ex ſententia noſtrorum, qui eas faciendas permittunt, certis tantum de cauſſis, puta ob victoriam, nuptias, & ſimilia. S. Thom. *in d. cap. 3. Iſai.* S. Anton. *in 2. part. ut ſupra*, auctor Roſſel. Silv. & Zab. & alii eiſdem locis, qui quidem extra tales cauſſas eas judicant malas; & merito: niſi enim voluptati capiendæ modus & regula præſcribatur, ea mores corrumpit, & facile, ut Cicero ait, boni naturam fallaciter imitando adulterat, ut vel harum Chorearum eventus docet. Immo male faciunt, quibus populorum cura commiſſa eſt, qui Choreas ita permittunt.

CA-

CAPUT IX.

Male adhiberi immoderatos motus in Choreis.

VIII. CONCLUSIO.

TRipudiantes immoderatis corporis motibus a recta ratione recedunt. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 1. & Plat. idem, qui in Choreis moderatum modum requirit, niſi forte ſit potius exercitatio ad militaria exercitia accommodata. Quod ſi motus adhiberetur, turpitudinem continens, & in quo libido quæreretur, eſſet peccatum mortale. S. Th. 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 3. S. Bonavent. *in* 4. *D.* 16. Ang. *in verbo Chorea verſic. tertium, & quartum.* Roſ. *eodem loco.* Silv. *eo pariter loco ante numerum* 3. & ante hos omnes, Alex. de Ales *par.* 4. *q.* 11. *memb.* 2. *art.* 2.

CAPUT X.

Frequentiam Chorearum eſſe vitioſam.

IX. CONCLUSIO.

FRequenter Choreas celebrare vitioſum eſt. Licet enim recreatio aliqua fatigatis animo concedatur, ſi tamen modus non teneatur, jam non honeſta recreatio, ſed mollities erit. Immo ſecundum Roſſel. & Angel. peccant mortaliter, qui ex conſuetudine Choreas ducunt, licet id Silveſtro non probetur, quod frequentia ſola efficere non poſſit, ut quod alias mortale non eſt, mortale fiat. Retinet tamen ſententiam Roſſel. ex ea ratione, quod qui tali frequentia utuntur, Choreiſque adeo delectantur, fere ſemper in aliquod ex iis incidunt, quæ mortale peccatum in Choream inferunt, quæ ſi abeſſent, ſola conſuetudo hoc non efficeret. Et notandum eſt, hanc ſententiam de conſuetudine fluxiſſe ex Alex. de Ales, qui in loco ſuperius citato, eos in peccato mortali conſtituit, qui Choreas frequenter exercent. Loquitur autem ille de iis Choreis, quæ ſunt ad libidinem provocandam accommodatæ, ad quas qui aliquando, forte etiam quodammodo invitus accedit, eum ſe non excuſare a peccato mortali, dicit, licet non condemnet.

Quod ſi ejuſmodi immoderatus uſus Chorearum non contineat ſimpliciter peccatum mortale, eatenus tantum continebit, quatenus per ejuſmodi frequentem voluptatem diſponitur quis ad omiſſionem præceptorum Dei, vel Eccleſiæ, & ad faciendum cum luxuria, quod primum cum quadam voluptate tantum faciebat, ſicut dicitur de peccato veniali, quod ad mortale diſponat S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 3.

CAPUT XI.

Choreas prohibitas eſſe, & malas ratione temporis ſacri.

X. CONCLUSIO.

QUI Choreis utuntur tempore ab Eccleſia pœnitentiæ, ſive pietati præcipue exercendæ dato, peccant mortaliter. Ita Roſſel. & item Silveſt. ex Alex. Exemplum referunt de tempore, quod intercedit ab Adventu ad Epiphaniam, & a Septuageſima uſque ad Paſcha, & de Dominicis diebus. Hoc vellet intelligere Silveſter (qui quidem diſciplinæ relaxandæ in hoc genere videtur fuiſſe ſtudioſus) niſi fiant ob inſolitam aliquam honeſtam lætitiam, puta victoriæ cauſſa, & niſi fiant occulte. Verum hæ exceptiones, de tempore non prohibito accipiuntur, ut ſupra tetigimus in Concluſione ſeptima. Præterea, ſi occulte fierent, fortaſſe quidem ſatisfieret rationi ſcandali, ſed non rationi pœnitentiæ, aut ſpiritualis exercitationis, quam Eccleſia a nobis poſtulat.

Excipit etiam conſuetudinem loci in aliquo Feſto præcipuo; ſed neque hanc exceptionem accipiet, opinor, qui Eccleſiæ Sanctæ ritus in ſolemnitatibus noverit: neque lætitiæ indicia, quæ Feſti dies poſtulant, aliquid commune habent cum profanis iſtis Choreis. Sunt Chori Eccleſiaſtici, Hymni, Proceſſiones. Hæc Eccleſia admiſit: illa turpia judicavit, ut ex Canonibus ſupra citatis. Quod ſi Choreæ noſtræ ſacræ, & ſpirituali lætitiæ convenirent, nihil attinebat eas vel ex perſonarum qualitate, vel ex loco, vel ex frequentia improbare.

Illa exceptio de inſigni aliqua cauſſa, puta victoriæ, pariter accipi non debet; non enim deſunt alia lætitiæ ſigna minime

nime prohibita, & uſitata, quæ ſacris ejuſmodi temporibus edi poſſunt, ſi res tanti videretur, ut differenda non eſſet. Et vero minime hac ratione filii Dei gratias agere ob victorias conſueverunt. Jam enim oſtendimus, illas veterum Choreas (puta Mariæ ſororis Aaron, ob ſubmerſum exercitum Pharaonis) quod ad honorem Dei, divinaſque laudes celebrandas inſtitutæ eſſent, noſtris eſſe valde diſſimiles.

Quod dictum eſt de tempore pœnitentiæ, confirmatur per *c.* 1. *de pœnit. D.* 5. cum Turrecrem. ibi, & per Magiſtrum *l.* 4. *ſent. D.* 16. ubi dicitur: *pœnitentem a ludis & ſpectaculis abſtinere debere*. In tali autem tempore & Litaniarum dies cenſendi erunt, & item quatuor, immo omnia jejunii ex eadem ratione tempora, quæ idem jus poſtulat.

Illud autem de tempore præcipue devotionis, & de Dominicis debet, & de omnibus diebus Feſtis etiam intelligi, qui ab Eccleſia obſervari præcipiuntur: eodem enim jure cum Dominis a DD. cenſentur.

Sed quod attinet ad dies Feſtos, fuere aliqui Summarum ſcriptores, qui limitationes quaſdam attulerunt, quibus Choreæ, & ſpectacula non omnino a Feſtis diebus arceantur. Modo enim tempore Divinorum Officiorum non fiant, neque major diei pars in eis conſumatur, eas permittere niſus eſt Angelus, atque hoc ipſum poſtea Silveſter ad Miſſæ Officium, quod ſolum ſit de præcepto, reſtringere voluit, & ita paulatim uſus Chorearum amplificatus eſt. Multo rectius facturi illi, ſi veterum Doctrinam potius tueri, & eodem tempore morum licentiam refrænare ſtuduiſſent. De pœnitentiæ tempore maneat ſententia Doctorum, Choreas eſſe illicitas, quia adverſantur Eccleſiæ conſtitutioni, quæ id temporis pœnitentiæ, non voluptati tribuit, & *muſica in luctu quaſi importuna narratio*, *Eccleſiaſt.* 22.

CAPUT XII.

De Dominicis, & Feſtis diebus.

De Dominicis, ceteriſque Feſtis diebus videndum eſt. Primo autem de cauſſa Feſtorum, & de occupatione illis accommodata aliqua ponemus, ut appareat, an Chorearum exercitatio Feſtorum cultui conveniat; omnia tamen eis remittentes, penes quos Legum poteſtas eſt. Feſtorum igitur cauſſa fuit, ut memoria illa renovaretur, cum Dominus poſt ſex dierum opus quieviſſe ſcribitur, ut *Exod.* 20. expreſſum eſt. Quare iis diebus Deo rebuſque divinis eſt vacandum; & hoc eſt diem ſanctificare, quod eodem *cap.* 20. dicitur. Ita cautum eſt Conſt. Apoſt. *l.* 7. *c.* 31. & 37. & *l.* 8. *c.* 32. ſecundum editionem doctiſſimi Turriani. Quibus etiam exprimitur, dies Feſtos ad cultum Dei pertinere, ut ſcilicet illius recordemur propter nos nati, mortui, & ſuſcitati; ad cujus etiam cultum pertinent Sanctorum Feſti dies, quorum ſcilicet ipſe caput eſt, & quos ipſe fecit ſanctos. Verum & Feſtis Sanctorum ad eorum vitam imitandam excitamur, dicente S. Paulo ad Hebr. 13. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini Fidem*. Quo loco Theodoretus de mortuis, inquit, loquitur, ut Jacobo fratre Domini, & Jacobo fratre Joannis, qui jam erant interfecti. Qua de re ita etiam S. Baſilius in *ſerm. de Gordio Mart. Igitur noſtri tantum cauſſa profectus, ſat fuerit illorum celebrare memoriam: non enim noſtris indigent laudibus ornari, ſed nos ipſorum vitæ hiſtoria, & commmemoratione, imitationis gratia, indigemus*. Hæ ſunt Feſtorum dierum occupationes. Sed addamus alia.

Nicolaus I. Pont. in Reſp. ad Bulgar. *c.* 11. *Sane*, inquit, *ſciendum eſt*, *idcirco in diebus Feſtis ab opere mundano ceſſandum eſſe, ut liberius ad Eccleſias ire, Pſalmis & Hymnis & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis divinis intendere, eleemoſynas indigentibus mittere valeat Chriſtianus*. Item Alex. 3. *in c. Licet*, *Extra de fer.* Dominicum diem dicit, alioſque Feſtos dies Majeſtati Altiſſimæ deputatos etiam Eccleſiæ conſtitutione obſervandos.

Non videtur etiam prætereunda pulchra verba Conc. Forojul. *cap.* 3. *Abſtinendum Feſtis diebus ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam a propriis conjugibus; & ab omni opere carnali terreno, & ad nihil aliud vacare*

debe-

debere, niſi ad orationem, concurrere ad Eccleſiam cum ſumma mentis devotione. Item in Concil. Matiſcon. hæc habentur. *Omnes Chriſtiani, qui non incaſſum hoc nomine fruimini, noſtræ admonitioni aurem accommodate, ſcientes, quod noſtræ eſt auctoritatis utilitati veſtræ proſpicere, & a malis operibus coercere. Cuſtodite diem Dominicam, quæ nos denuo peperit, & a peccatis omnibus liberavit.* Et infra: *Eſtote omnes in hymnis & laudibus Dei, animo corporeque intenti. Si quis veſtrum proximam habet Eccleſiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lacrymiſque afficiat. Sint oculi manuſque veſtrum toto illo die ad Deum expanſæ, ipſe eſt enim dies requietionis perpetuus: ipſe nobis per ſeptimæ diei umbram inſinuatus noſcitur in Lege & Prophetis. Juſtum igitur eſt, ut hanc diem unanimiter celebremus, per quam ſumus, quod non fuimus.* Et infra. *Si quis itaque veſtrum hanc ſalubrem exhortationem parvipenderit, aut contemptui tradididerit, ſciat ſe pro qualitatis merito principaliter a Deo puniri, & deinceps Sacerdotali quoque iræ implacabiliter ſubjacere &c.*

Conſtantinum quoque *lib.* 4. *de ejus vita c.* 18. ſcribit Euſebius, ex interpretatione Chriſtophorſoni, multa conſtituiſſe de die Dominico, Sanctorumque Martyrum Feſtivitatibus pie in Eccleſia celebrandis, aliis omiſſis occupationibus, otio omnibus dato, ut Eccleſiam Dei frequentarent. Quorum ſimilia, & aliorum quoque Imperatorum, paulo poſt afferemus. Ex quibus apparet, quantum a ratione, divinaque, & humana conſtitutione ſit alienum, dies Deo dicatos voluptatibus dare, non autem rebus divinis.

Quare graviſſimus Doctor Alex. de Ales *d. part.* 4. *q.* 11. *memb.* 2. *art.* 2. contra præceptum Feſti celebrandi eos facere, ſaltem ex conſequenti judicavit, qui feſtis diebus Choreas ducunt, magiſque violare Feſtum diem eos, qui tali die tripudiant, & cantant, quam ſi lanificio operam darent, ſecundum dictum S. Gregorii: *Melius eſſe die Dominico fodere, arare, quam Choreas ducere.* Quod ſimil eſt ei, quod S. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3. ex S. Auguſt. profert: *Melius faceret Judæus in agro aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditioſus exiſteret, & melius fœminæ eorum die Sabbathi lanam facerent, quam quod tota die in Neomeniis ſuis impudice ſaltarent.*

CAPUT XIII.

Choreas & Spectacula prohibita Feſtis diebus a Legibus Civilibus.

HActenus loquuti ſumus tamquam de re prohibita, quia mala, licet tamen interim non ignoremus quot ex capitibus ſchola violationem Feſti ducat. Nunc dicendum de re mala, quia prohibita. Videbimus igitur utrum Choreæ Feſtis diebus expreſſe ſint prohibitæ; ſi enim lege prohibitæ ſint, ex Summiſtarum ſententia ad violationem Feſti pertinebunt.

Primo affero verba *l.* 2. C. *Theod. de Spectac. lib.* 15. *tit.* 5. cui Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii nomina inſcripta ſunt. *Illud etiam præmonemus, ut quis in legem noſtram, quam dudum tulimus, committat: nullum ſolis die populo Spectaculum præbeat, nec divinam venerationem confecta ſolemnitate confundat.* (Ita legendum videtur, cum nonnihil diverſe in libro legatur, quo ego uſus ſum). Item *l.* 5. *eod. tit.* cum ſolius Valentiniani nomine: *Dominico, qui ſeptimanæ primus eſt dies, & Natale, atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchæ etiam & Quinquageſimæ diebus, quamdiu cœleſtis lumen lavacri imitantia novam Sancti Baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur, & quo tempore* (ſic enim emendo, tum ex ratione, tum *ex l. omnes c. De fer.*) *commemoratio Apoſtolicæ paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ a cunctis jure celebratur, omni Theatrorum, atque Circenſium voluptate per univerſas Urbes earumdem populis denegata, totæ Chriſtianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. Si qui etiam nunc vel Judææ impietatis amentia, vel ſtolidæ Paganitatis errore atque inſania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum noverint tempus, aliud voluptatum. Ac ne quis exiſtimet in honorem Numinis noſtri, veluti majore quadam Imperialis officii neceſſitate compelli, & niſi divina Religione contempta ſpectaculis operam præſtat, ſubeundam forſitan ſibi noſtræ Sereni-*

ſenitatis offenſam, ſi minus circa nos devotionis oſtenderit, quam ſolebat; nemo ambigat, quod tunc maxime manſuetudini noſtræ ab humano genere defertur, cum contutibus Dei Omnipotentis ac meritis, univerſi obſequium orbis impenditur. Dictæ legi addo *l. Omnes c. De fer.* Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii, in qua poſt alios feriarum dies additur: *Sacros quoque Paſchæ dies, qui ſepteno numero vel præcedunt, vel ſequuntur, dies etiam Natalis, atque Epiphaniorum Chriſti, & quo tempore commemoratio Apoſtolicæ Paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ a cunctis jure celebratur, in quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus, neque ſpectaculorum copiam referamus, in eadem obſervatione numeramus, & dies ſolis, quos Dominicos recte dixere majores, qui repetito in ſe ſe calculo revolvuntur, in quibus parem neceſſe eſt habere reverentiam.* Addamus legem Leonis, & Anthemii, quæ eſt *l. ult. c. eod. Dies Feſtos Majeſtati Altiſſimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus prophanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus, & venerandum, ut a cunctis executionibus &c.* Et infra. *Nec hujus tamen religioſi diei otia relaxantes obſcœnis quemque patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die ſibi vendicet ſcena Theatralis, aut Circenſe certamen, aut ferarum lacrymoſa ſpectacula. Et ſi in noſtrum ortum aut natalem celebranda Solemnitas inciderit, differatur. Amiſſionem militiæ, proſcriptionemque patrimonii ſubſtinebit, ſi quis unquam hoc die Feſto ſpectaculis intereſſe, vel cujuſcumque Judicis apparitor, prætextu negotii publici, vel privati, quæ hac lege ſtatuta ſunt, crediderit temeranda.*

Hæc boni Principes de Feſtorum cultu obſervando, ſacrorumque temporum obſervatione, ſpectaculiſque, & voluptatibus ab eis removendis, ut divino cultu tantum occuparentur, conſtituerunt, graviſſimis etiam pœnis propoſitis: in quibus præter dies, & tempora, quæ nos ſuperius ex Doctorum ſententia obſervanda numeravimus, etiam tempus Paſchale obſervandum notare licet.

CAPUT XIV.

Choreas, & Spectacula prohibita Feſtis diebus a Canonibus.

Videamus vero, an ejuſdem generis aliquæ ſanctiones Eccleſiaſticæ inveniantur. Eſt C. *Qui die. De Conſ. d.* 1. *Qui die ſolemni, prætermiſſo Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur.* Qui quidem Canon habetur in *Concilio Carthaginenſi* IV. *num.* 88. Atque circa eadem tempora celebratum traditur, quibus & recitatæ leges Valentiniani, & aliorum conditæ ſunt. Eſt etiam *c. Irreligioſa. De Conſecr. D.* 3. Qui Canon habetur in *Concil. Tolet.* III. *c. ult.* his verbis. *Exterminanda omnino eſt irreligioſa conſuetudo, quam vulgus per Sanctorum ſolemnitates agere conſuevit. Populi, qui debent officia divina attendere, ſaltationibus, & turpibus invigilant cantibus, non ſolum ſibi nocentes, ſed & Religioſorum Officiis perſtrepentes. Hoc enim ut ab omni Hiſpania* (in Decreto legitur *ab omnibus Provinciis*) *depellatur, Sacerdotum & Judicum a Concilio ſanctæ curæ committitur.*

Verum dicendum eſt de interpretatione horum Canonum, & aperienda origo opinionis vulgaris Summiſtarum. Ex quo enim ex his Canonibus exprimitur de conventu Eccleſiæ, & de divinis Officiis, hinc aliqui occaſionem habuere dicendi, ſpectacula prohiberi quidem, ſed tantum habita divinorum Officiorum ratione; ita ut, niſi fiant eorum tempore, videantur permiſſa. Is autem fuit Angelus. Quod conſiderans poſt eum Sylveſter, ita accepit, ut nimis etiam auſterum Angelum judicarit, qui in eo Officiorum tempore incluſerit etiam veſperas, & ſacram concionem, & non excuſaverit eos, qui per notabile ſpatium, puta per majorem diei partem, ejuſmodi rebus vacant. Mihi vero tantum abeſt, ut Angelus videatur hac in re auſterus, ut etiam nimium auſum eſſe affirmem, eos Canones in limitando. Verum hujuſmodi ſcriptores ſua tantum tempora conſideraverunt.

Dico autem ideo expreſſum eſſe in Canone de divinis Officiis, quia eodem die non videbatur, & ipſis & ludis operam dari poſſe. Licet enim poſterioribus tem-

temporibus, pietate frigeſcente, diebus Feſtis parum divinis Officiis vacare Chriſtiani cœperint; apud veteres tamen modicam diei partem a Divinis vacuam fuiſſe, non videtur dubium, cum Miſſæ ſolemnes frequentabantur, & ſacris lectionibus, concionibuſque in Eccleſia fideles occupabantur, ut ex Patrum lectione diſcitur: & innuit recitatus Canon Matiſconenſis: *Sint oculi manuſque veſtræ toto illo die ad Deum expanſæ*: & quod etiam hodie uſu venire videmus, ubi divini cultus reſtituendi ſtudium viget; nam Miſſarum ſolemnia, conciones, horæ canonicæ, Doctrina Chriſtiana a Concilio Tridentino præcepta, totum diem inſumunt. Quod ſi divina Officia totum diem non occuparent, non ideo tamen ludos, aut ſaltationes die Feſto permittere voluerunt. Una enim ratio eſt Canonis, ut ſcilicet dies ſecundum legem divinam, ſupra ex Exodo prolatam, ſanctificetur. Atque id præſtatur quidem per conventus Eccleſiaſticos rite & recte. Sed etſi tales conventus forte ex aliqua parte ceſſarent, deberent tamen Fideles diem ſanctificare.

Eadem vero fuit ratio ſtatuendi, ut ab humano opere abſtineremus. Quod præclare expreſſit Nicolaus Pontifex loco ſuperius recitato. *Idcirco in diebus Feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, ut liberius ad Eccleſias ire, Pſalmis & Hymnis & Canticis ſpiritualibus inſiſtere, omnino vacare Chriſtianus valeat.* Ex cujus verbis videmus rationem prohibitionum, quæ pro cultu dierum Feſtorum factæ ſunt; quæ quidem recte convenit cum aliis auctoritatibus eodem loco a nobis ex divino, & humano jure recitatis.

Confirmo vero hanc ſententiam ex Legibus Imperatorum, quas citavimus; qui cum expreſſerint rationem prohibitionis ſuæ eſſe divinum cultum, ſeu diei feſti ſanctificationem, qua nefas judicarunt voluptatibus inſervire, ut ex illis verbis apparet: *Omni Theatrorum, atque Circenſium voluptate populis denegata, totæ Chriſtianorum ac Fidelium mentes Dei cultibus occupantur*: & ex illis: *Aliud eſſe ſupplicationum noverint tempus, aliud voluptatum*: & ex aliis: *Dies Feſtos Majeſtati Altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari*; Cum, inquam, tam abſolute Imperatores ludos prohibuerint & voluptates, talemque rationem expreſſerint, non eſt credibile Sacerdotes levius eadem voluiſſe prohibere, præſertim cum ii ſemper, ut infra oſtendetur, magnopere ludos & ſpectacula ſint deteſtati.

Addo quod Concilio Toletano, ex quo *c. Irreligioſa* ſumptum eſt, adjiciuntur litteræ Regiæ, ubi Concilii ipſius conſtitutiones numerantur, in quibus ſimpliciter habetur: *Ballimachiæ & turpia cantica prohibenda ſunt a Sanctorum ſolemniis*. Et eodem modo in ejuſdem Concilii capitulorum enumeratione, his verbis: *Ut in Sanctorum natalitiis Ballimachiæ prohibeantur*. Et ex his apparet ſpectacula, ludos, ſaltationes, ſimpliciter, & abſolute diebus Feſtis eſſe prohibitas, rejciendamque eſſe limitationem de tempore divinorum Officiorum. Quod autem in aliquo ex locis recitatis videantur prohiberi ſpectacula tantum, non ideo tamen dubitare debemus, quin etiam Choreæ comprehendantur, quia ſpectaculi nomen generale eſt ad omnia ejuſmodi voluptatum genera, ut colligitur ex legibus ſupra recitatis, & ex tit. *c. Theod. de ſpectac.* Præterea idem indicat ratio dictarum legum: *quia aliud tempus voluptatum, aliud ſupplicationum*: quæ quidem ratio ad Choreas pertinet; præterquam quod in *d. c. Irreligioſa*, de ſaltationibus, ſeu Ballimachiis expreſſum eſt. Immo etiam Doctores æque hæc accipiunt, ut videri poteſt ex eorum interpretatione ſuper dictos Canones, *Qui die*: & *Irreligioſa*. Et ita in hac Concluſione oſtenſum ſit: primo quantum repugnet cultui Feſtorum Chorearum occupatio: ſecundo eas, ſicuti etiam omne genus ludorum ſeu ſpectaculorum, diebus Feſtis, tum Eccleſiaſticis, tum Civilibus ſanctionibus eſſe prohibitas. Ex quo ſequitur, ſecundum ſententiam omnium, peccare mortaliter, qui eis tali tempore operam dant, niſi quos fortaſſe ignorantia, vel auctoritas eorum, qui regunt, vel qui ſacra tractant ſcribendo, aut miniſtrando, excuſet.

CAPUT XV.

Adaptatio Chorearum noſtrarum ad Concluſiones ſcriptas.

QUÆ facti eſt hæc complectatur, Choreas noſtri temporis, primo incidere in Concluſionem ſeptimam, cum ex arbitrio cujuſque privati tantum pendeant. Quare iis malis obnoxiæ ſunt, quæ ibi tetigimus. Incidunt & in octavam ob immoderatos motus, ut patet, neque ſolum quod ſint incitatiores, quam honeſtati conveniat, ſed quod etiam ſemper ſint obſcœni; veluti cum membra oſtentantur, aut cum actus aliqui ad libidinem pertinentes repræſentantur. Quod præcipue accidit in quibuſdam exteris Choreis, quæ introductæ ſunt, & vulgo dicuntur *Balletti*. Quare ratione valde dubito, ne vel ex hoc ipſo ſæpe Choreæ fiant cum mortifera culpa. Incidunt in decimam, & periculum, de quo ibi diximus, ob frequentiam. Fiunt enim publice ſingulis fere Feſtis diebus ruri, idque paſſim in Urbibus, & etiam ruri, & ubique, & quoties cuique privato libitum eſt: intolerabili vero frequentia, ſacro tempore, quod a Natali ad Quadrageſimam intercedit.

CAPUT XVI.

Pericula ex aſpectu Mulierum, ex rixis, & ex aliis circumſtantiis.

INcidunt in quintam plurimi, cum ii, qui ad Choreas accedunt, fere omnes vitam quandam laxiorem, & mundi corruptelas ſequantur. Ad quod demonſtrandum; pono primo, neminem ſe debere periculo exponere, & occaſiones omnes malas vitare quemque debere, ſecundum illud Evangelii: *ſi oculus tuus ſcandalizaverit te, &c.* Secundo conſidero illud pariter Evangelicum: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Deinde conſidero mares, & feminas in Choreis ſedere: omnes ibi eſſe ad voluptatem capiendam paratos. Conſidero mutuos aſpectus, moramque diuturnam, motus item corporis, in quibus oculi curioſi multa inveniunt luxurioſa incitamenta. Addo muſicæ ſuavitatem, quæ maximam vim habet, in quocumque genere quis occupetur, ſive bonum ſit, ſive malum. Addo colloquia, quæ ſæpe intercedunt. Addo tactum. Item conſidero omnes accedere quam ornatiſſimos, plerumque etiam pleno ventre: item calorem, qui ex motu excitatur. Quibus omnibus conſideratis, non video, cur, non dico homines, ut dixi, vitæ laxioris, ſed qui continentiſſimi ſunt, ſibi fidere in ejuſmodi periculo debeant. Atque cum Scholares & Laici eſſemus, memini graviſſimum quemdam Philoſophum, licet quodammodo invitum, a nobis ad Chorearum locum adductum eſſe, qui quidem, cum genus ludi contemplatus eſſet, magna affectus eſt admiratione, exclamavitque: illud eſſe inventum ad mores depravandos ſingulare.

Quam vero diligenter periculum etiam ex ſolo aſpectu, nedum tactu & colloquio, vitare debeamus, Spiritus Sanctus nos docet: *Virginem ne aſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore ejus*, Eccleſiaſt. 9. & : *Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam; propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Quibus vetus dictum addi poteſt: Ab aſpectu naſci amorem. Addamus exemplum David, qui ex aſpectu illo in graviſſima peccata incidit; & exemplnm Sichem, qui cum Dinam aſpexiſſet, & libidine propterea exarſiſſet, ex ea re tantum malorum intulit ſuis. Ideo dicebat David: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et Job 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Adde S. Auguſtini dictum, quod, *non licet aſpicere, quod non licet deſiderare.* Adde vero etiam Gentilia. Cum Sophocles de quodam puero prætereunte dixiſſet; *o pulchrum puerum!* dixit Pericles: *decet Prætorem non ſolum manus, ſed etiam oculos habere abſtinentes.* Quod quidem ad omnes pertinet, quos oportet eſſe caſtos. Recuſavit Alexander Macedo videre Darii filias, ne, cum alios viciſſet, ipſe vinceretur a mulieribus. Chriſtiani vero puriſſimæ diſciplinæ dediti, ultro ſibi mille laqueos parant, graviſſimaque pericula adeunt, monita Spiritus Sancti, honorem Dei, propriamque ſalutem nihil facientes. Quare in tanta corrupte-

la, atque periculis, minus ſeveri videri non debemus, ſi iſtos Chorearum ſectatores a peccato mortali excuſare non audemus, quando & probatiſſimus auctor Alex. de Ales citata p. 4. non audere ſe eos excuſare, dixit, a peccato mortali, qui etiam inviti, aut caſu ad Choreas accederent, ubi libidinis illecebræ eſſent.

Neque id cuiquam mirum debet videri, qui conſideret, quam facile homines mundani in peccata cordis incidant, & quam negligenter ad ea advertant; ex quibus etiam multos invenias, qui turpes cogitationes, quacumque animi aſcenſione firmatas, omnino parvipendant.

Neque etiam de ruſticorum ſimplicitate excipere poſſumus, qui quamvis ad hæc peccata minus proclives ſint, quam urbani, præſertim otioſi; tamen de naturali affectu agimus, qui & in rudibus hominibus & in brutis facillime excitatur. Affirmo etiam, prudentes & multo rerum uſu præditos a me interrogatos, quibus de ejuſmodi periculo nihil videretur a ſententia per nos deſcripta alienum.

Non ſolum autem periculum libidinis eſt in Chorea, ſed aliud etiam, neque remotum, neque leve, rixarum ſcilicet, ex quibus inimicitiæ capitales, homicidia, & plurima mala proficiſcuntur, ut eventus quotidie docet. Dum enim vel in tripudium prodeundo, vel loco occupando, vel muliere ad ſaltationem incitanda, alius alium antevertere conatur, vel quod hic illius amaſiam invitet, ad arma venitur. Ideoque Chorearum ſectatores, ſemper armis valde munitos invenio.

Incidunt in ſextam, qui Choreas celebrant, poſito periculo, de quo ſuperius egimus, quod quidem periculum in majore parte Chorearum contingere, non videtur dubium. Licet enim fortaſſe, inter amicos & cognatos concedamus honeſtam Choream haberi poſſe, major tamen pars earum honeſtati contraria eſt, imo nullus fere ejuſmodi honeſtas Choreas habere poteſt, ob malam conſuetudinem, qua ſolet juventus in domos irrumpere, ubi Choreæ celebrantur, & ſi janua clauſa ſit, inſolenter pulſare, dominumque domus injuria afficere.

Eodem modo Tibicines peccant, quia ejuſmodi malum adjuvant, & eorum ars, quatenus ad Choreas ſpectat, adhibetur ad ea, quæ plerumque continent peccatum. De illis in ſpecie Silveſter in verbo *Dominica*, *n.* 7.

Peccant eodem modo ii, qui Rempublicam adminiſtrant, qui hæc vident, neque ſaluti eorum conſulunt, quorum cura ſibi commiſſa eſt, per ea, quæ ſcribit *Rich. in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 4. *cap. Error*, *diſt.* 83. *cap. Ita plane* 23. *quæſt.* 4.

Concluſionem quartam conſiderent, qui amaſiæ videndæ, tangendæ, aut cum ea loquendi cauſſa ad Choreas accedunt. Item qui eadem de cauſſa eas celebrant, ſua vel aliorum gratia, quod frequens eſt. Item qui Principibus viris Choreas offerunt, quaſi Mulierum mercatum, ut ſeligant, quæ magis eis placuerit, ejuſque pudicitiæ inſidientur.

De Concluſione decima, qua a diebus Feſtis, ſacriſque temporibus Choreæ arcentur, nihil attinet inferre, cum corruptela ſatis manifeſta ſit, qua iis diebus, temporibuſque, præſertim a Quinquageſima ad Quadrageſimam, indigniſſime, niſi dicamus impie, Choreis, & omnis generis ſpectaculis & ludis vacatur: legis divinæ, qua dierum ſanctificatio eſt præcepta, ſanctionum Canonicarum, rituum Eccleſiaſticorum, humanarumque legum, nulla habita ratione.

CAPUT XVII.

Quibus auctoritatibus condemnatæ ſint Choreæ, & quædam vitia Chorearum Urbanarum.

Ex his capitibus omnibus mala noſtrarum Chorearum oſtendimus, ad Doctorum rationem noſtram tractationem accommodantes. Videamus nunc, ſi quid in eodem genere ex Sacra Scriptura, & ex Patribus haberi poſſit.

Illud primo Eccleſiaſt. afferri poteſt c. 9. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia ejus*. Quod quidem dictum nihil impedire videtur, quin ad mulieres omnes accommodetur ſaltationum ſtudioſas.

Item illud Saræ filiæ Raguelis *Tob.* 3. *Tu ſcis, Domine, quod numquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia: numquam cum ludentibus miſcui me, neque cum iis, qui in levitate ambulant.*

Item

Item Job 21. de improbis loquens. *Egrediuntur quaſi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus, tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Addamus inſignem locum Iſaiæ cap. 3. *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decalvabit Dominus.* In quem locum S. Baſilius, poſt aliqua contra muliebrem faſtum & petulantiam dicta, addit, ut quidem vertit Godefridus. *Quin & in hodiernum diem identidem videre licet Judæas, ſuis quaſque pedibus ludentes, ne tantilli quidem revertas ſententiam Prophetæ. An non filiæ etiam Eccleſiæ ab eadem injuſte provocatæ ſunt? Pleræque enim earum, tamquam in numeroſa multitudine, diebus Feſtis, dum adveniunt aditura verbum Dei, per inſcitiam lætitiæ ſpiritualis, ſe dedunt inhoneſtis diſciplinis.* Hæc Baſilius.

S. Auguſtinus etiam in ſer. 215. de tempore: *vicinos*, ait, *& proximos veſtros jugiter admonete, ut ſemper quod bonum eſt & honeſtum, loqui ſtudeant, ne forte detrahendo, malum loquendo, & in ſanctis Feſtivitatibus Choreas ducendo, cantica luxurioſa & turpia proferendo, de lingua ſua, unde debuerant Deum laudare, inde ſibi vulnera videantur infligere. Iſti enim infelices & miſeri homines, qui vallationes, & ſaltationes ante Baſilicas ipſas ſanctorum exercere nec metuunt, nec erubeſcunt, etſi Chriſtiani ad Eccleſiam venerint, Pagani de Eccleſia revertuntur; quia iſta conſuetudo vallandi de Paganorum obſervatione remanſit &c.* Damnavit vir ſanctus Choreas, ut ſuo tempore habebantur, ſed omnino tamen Paganorum non Chriſtianorum voluptatem eſſe judicavit.

De ſpectaculis vero generatim quamplurima invenias apud Patres, quibus tamquam Chriſtianæ diſciplinæ contraria damnantur. A quibus Choreas ut eximas, neque ratio, neque ſcriptorum mens ullo modo patitur. Ideoque aliqui de hoc ſpectaculi genere ſiluerunt, quod tunc, aut potius iis locis in uſu non eſſet.

Exſtat Tertulliani Libellus contra ſpectacula, quæ omnia, ut inſana, impudica, & diabolica improbat; quod idem facit in *Apologetico cap.* 15. & 38.

S. Cyprianus quoque *in l. de ſpect. & in Ep. 2. lib. 2.* graviſſime queritur de Chriſtianorum miſeria aut inſania, qui ejuſmodi Dæmonum inventa ſectentur, moreſque imitentur Gentilium, & quod gravius ducit, Sacrarum Scripturarum auctoritate ea defendere conentur: affirmantes Davic ante arcam ſaltaſſe; & in ſacris litteris Nabla, Tympana, Cytharas, Choroſque legi: quaſi ad rem pertineat, ad turpia tuenda, ea, quæ ad Dei cultum facta ſunt, proferre.

Eadem S. Auguſtinus agitat *in l. de catechiz. rudib. cap. 16. l. 2. de Symb. c. 1. & 3. conſ. cap. 2. & l. 1. de conſ. Ev. cap. 33.*

Frequentiſſime vero, & graviſſime S. Joannes Chryſoſtomus in omnibus fere Homiliis, nunc civitatis peſtem, nunc malorum omnium fontem, nunc peſtilentiæ cathedram, incontinentiæ gymnaſium luxuriæ Officinam, Babilonicam fornacem appellans.

S. Epiphanius quoque in fine libri *contra hereſes*, & Sexta Synodus cap. 15. eas prohibet Chriſtianis, & alia Concilia.

Item eadem Salvianus Epiſc. Summa pietate & eloquentia condemnat, *de prov. l. 6.* ea pariter ad Gentiles mores referens: & ideo Apoſtatas illos Chriſtianos appellans, qui poſt abrenunciationem diaboli, & operum ejus, ad ea rurſus redeunt. *Diabolus*, inquit, *eſt in ſpectaculis & pompis ſuis, & per hoc, cum redimus ad ſpectaculum, relinquimus fidem Chriſti. Hoc itaque modo omnia Symboli Sacramenta ſolvuntur, & totum quod in Symbolo ſequitur, labefactatur, & nutat: nihil enim ſequens ſtat, ſi principale non ſteterit:* Hæc ille, & alia quamplurima contra ſpectacula ludoſque omnes.

Repetas vero hic etiam licet, quæ ſuperius in concluſione allata ſunt ex ſacris Decretis, turpia ſcilicet & diabolica ejuſmodi omnia in ipſis dici. Ejuſdem generis multa invenies apud veteres Scriptores.

Arnob. adverſus gentes *lib. 4.* & Lact. *lib. 6. cap. 20. div. Inſt. Vitanda*, inquit, *ſpectacula omnia non ſolum, ne quid vitioſum pectoribus inſideat, quæ ſedata & pacifica eſſe debent, ſed ne cujus nos voluptatis conſuetudo detineat, & a Deo, atque a bonis operibus avertat.*

Alex. de Ales quoque in citato loco vere ita de Choreis agere videtur, tam-

quam

quam de malo quodam ludo ad libidinem excitandam accommodato.

Item Jo: Gerſon in par. 4. ſer. Dominicæ tertiæ Adventus contra luxuriam, ait: *Choreas ob fragilitatem hominum difficile ſine diverſis peccatis haberi, & omnia peccata choreizare in Choreis.*

S. Bernardinus Senenſis, vir magnæ ſanctitatis, & doctrinæ *in ſer.* 10. *de obſerv. ſabbathi: Execrabile*, ait, *Feſtis diebus vacare Choreis, ubi viſu, auditu, geſtu, tactu, mentes aſtantium illaqueantur, & contaminantur*; citatque. *c. Irreligioſa* ſuperius a nobis recitatum, addens: *væ iis, qui ſunt in cauſſa efficaci tantorum malorum per ſuos laſcivos ſonos. Reddent de omnibus malis, quæ occaſione pulſationis contingunt, apud juſtum Judicem rationem. Qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, c. ſi culpa de injur. & damn.* Hæc ille, & ſimilia.

S. Antoninus in citat. tit de Choreis, *fere omnes*, ait, *ad provocandam libidinem Choreas habere*. Quem ſequitur Cardinalis Turrecremata ex Alberico *in cap.* 1. *de pœn. d.* 5. §. *cohibeat num.* 3. Invehitur vero pluribus S. Antoninus in Choreas, & contra illas late exponit, accommodando illud *Pſalm.* 11. *In circuitu impii ambulant*; & illud *Pſalm. 96. Inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Item illa *Apocalyp. 9. De fumo mutei aſcenderunt locuſtæ in terram*. Et paulo poſt. *Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita earum tamquam coronæ ſimiles auratæ*. Et multa ex ſanctis Scripturis dicens, in Choreis reperiri pompam, laſciviam, ſuperbiam, vanam gloriam, & ideo per eas homines effici inimicos Dei; omnino vero Choreas vult eſſe ludum diaboli, quo miſeras animas capiat: atque adeo Choreas condemnat, ut per eas contra omnia mandata Dei & contra omnia Sacramenta fieri late probare conetur.

Petrus de Palud. in 4. ſent. d. 16. ſimpliciter improbat Choreas tamquam malas, *cum*, inquit ille, *viros cum mulieribus ludentes maledixerit Barnabas*. Et certe magnum habet periculum, *ut eſt in Gloſ.* 1. *cap. mulieris de judic. in ſexto*, marium & feminarum cœtus, præſertim ad capiendam voluptatem coactus.

Addamus etiam aliorum piorum virorum auctoritatem, quorum conciones integræ contra hoc malum habentur, qui quidem omnes in peccatis, quæ ex Choreis proficiſcuntur ex aſpectu, ex tactu, ex colloquiis, valde commoventur, eaſque habent tamquam diaboli ludum, in quo a pleriſque graviter peccetur: neminemque a libidine quacumque ratione tam alienum eſſe, ut earum periculo ſe exponere debeat. Sunt vero Frater Cherubinus de Spoleto, Frater Jacobus de Voragine Archiepiſcopus Genevenſis, Frater Gabriel Barleta.

Refert etiam Jacobus de Vitriaco, quod cum in quodam Pago Saxoniæ multi a Presbytero moniti, Choream relinquere noluiſſent, quibuſdam Feſtis diebus mirabili quodam modo eos eſſe divinitus punitos.

Noviſſime Conradus Aingius in ſuo Catechiſmo Catholico *l.* 4. *cap.* 12. *Chorea mundana*, inquit, *habet hanc definitionem quod eſt circulus, cujus centrum eſt Diabolus, & cujus circumferentia Angeli ejus circumſtantes: & ideo raro vel numquam ſine peccato fit. Talem Choream ordinavit Sathan, poſt adorationem vituli &c.* Hæc ille. Sequitur vero oſtendens omnia peccata in Choreis verſari, neque aliquem, licet continentem & ſanctum, ab eis diſcedere ſine peccato: aliaque multa enumerat ab eis proficiſcentia.

Quid quod ſola civili prudentia multi viri graves eas improbarunt. Dixit Cicero, neminem fere ſaltare ſobrium. Et Alphonſus ille Neapolitanus Rex dicebat in Gallos, qui in Chorearum valde ſunt ſtudioſi, ita ut ſenes etiam non abſtineant: eos in ſenectute deſipere.

Neque vero hodie quiſquam eſt paulo prudentior, qui Choreas non deteſtetur, & a domo ſua non arceat, quantum poteſt; cupiuntque boni omnes hanc pravam conſuetudinem exterminari, & quidem merito. Nam præter communia quædam mala, quæ plerumque accidunt, de quibus ſuperius egimus, alia etiam multa referre poſſemus, Chorearum urbanarum fere propria, quæ religioſæ aures ferre non poſſint. Proh dolor! tantam in Ecclefia Dei licentiam tolerari; ut publice tamquam luxurioſa ſchola habeatur, ſtuprorumque & adulteriorum mercatus: idque præcipue ſacroſanctis Dominici Natalis diebus, & ſacro Septuageſimæ & ſequenti tempore, quo Eccleſia nos ad gratias agendas peccataque flenda invitat.

CA-

CAPUT XVIII.

Improbatio cujuſdam excuſationis.

DIcunt vero Chorearum defenſores multa ea de cauſſa contrahi matrimonia, quæ non contraherentur. O ſacramenta libidinis adjumento inita! Quaſi vero timendum ſit, ne matrimonia amittantur, niſi per vitia contrahantur; aut vero ex tam fœdis principiis proſpere res contingere ſoleant. Sed cur non referunt etiam fœda conſilia de ſtupris & adulteriis? Cur non mentium labes, quas qui forte puras ad Choreas attulerunt, reportant malis cogitationibus, cupiditatibuſque inquinatas? Etenim libere mares cum fœminis colloquuntur, manibus ſe invicem tenent, idque ſatis diu, & dum aula, per genus illud Choreæ, quod vulgo *Pœna* vocant, multitudine perſonarum referta eſt, non ſolum turpia verba, ſed turpiſſimi etiam tactus contingunt. Dicant vero qua de cauſſa hujuſmodi Choreis urbanis arceant nondum nuptas, niſi quia turpitudinis plenæ ſunt: quaſi vero, quæ in matrimonio collocatæ ſunt, verecundiæ fines libere tranſire poſſint; & vere in his ceſſat ratio matrimoniorum.

Hic jam modum ponemus noſtræ de Choreis diſputationi, Deum Opt. Max. orantes, ut populorum rectoribus id conſtituere concedat, quod ad honorem ſuum fideliumque ſalutem, ipſe ſcit eſſe magis accommodatum.

CAPUT XIX.

An Epiſcopus poſſit prohibere Choreas diebus Feſtis, & an omni tempore.

XII. CONCLUSIO.

QUæritur vero poſtremo, utrum Epiſcopus, ubi eæ Chorearum corruptelæ vigent, ſicuti in Concluſione undecima dictum eſt, poſſit eas prohibere.

Primo autem quæritur utrum prohibere poſſit diebus Feſtis, & ſacris temporibus? Et reſpondetur poſſe. Primo, quia, ut jam oſtendimus, de hoc habemus Canones & Leges. Epiſcopus autem poteſt, adjuvando jus commune, ſtatuere cum pœna excommunicationis, aut alia. Exemplum affertur ex *cap. Animarum de Sepult. in 6.* tradit Gloſſa *in Clem. ne Romani de Elect.* §. 1. *in verbo Tolli*. Abbas, *in cap. Innotuit num.* 2. *de eo qui furt. ord. ſuſcept.* Doctores *in dict. Clem. ad Gloſſ. citatam*, Henricus Bohic, qui ad hoc probandum quamplurima congerit *in tract. de Synod. Ep. p.* 3. *art.* 1. *concluſ.* 13. Cum autem jus adjiciat pœnam excommunicationis *d. c. Qui die de conſ. D.* 1. juncta doctrina Doctorum, præſertim Turrecrem. in *d. c. Irreligioſa*, *eod. tit. D.* 5. poterit Epiſcopus eam augere, ut ſit latæ ſententiæ, ut idem Henricus probat *loc. cit. num.* 114. Immo, etiamſi jus commune non ita expreſſe id conſtitueret, poſſet Epiſcopus ſupplere & omnino prohibere ad morum correctionem, ut eſt præclara doctrina Hoſtienſis *in cap. fin. de Off. Archiprerbyteri*, *quam eod. c.* ſequitur Joannes Andreas iis verbis, & eodem pariter loco Butrius. Aliquos alios quoque citat idem Henricus *Concluſ.* 17. Secundo poteſt prohibere, quia Epiſcopus habet juriſdictionem ratione temporis, ut ait Franc. in *Ea quæ ad fin. de reg. jur. in 6.* quem ſequitur idem Henr. *loc. cit. concluſ.* 17. *num.* 265.

Quæritur ſecundo, utrum poſſit prohibere Choreas omnino quocumque tempore, licet de hoc jus non ſtatuat? Et reſpondetur quod poteſt. Epiſcopus enim habet poteſtatem conſtituendi præter jus, ad morum correctionem, peccata tollenda, & pietatem conſervandam, quæ ſpectant ad Judicem Eccleſiaſticum *cap. Novit. de Jud. cap.* 1. *de empt. & vend. cum gloſſ.* 2. & Hoſtien. qui etiam affirmat contrariam conſuetudinem non valere; cum ſit contra correctionem peccati. Ideo quoque fuerunt, qui de jure reſponderunt Epiſcopum poſſe punire illos, qui commiſcent farinam fabarum ceræ venali, ut apud Abb. *in d. c.* 1. *de empt. n.* 9. Roman. *ſingular.* 528. *c. fui interrogatus*. Sed & Innocentius *in eod. cap.* dicit Epiſcopum in crimine notorio poſſe irrogare pœnam excommunicationis, & ſequitur Abbas eodem loco. Facit cum *d. c.* 1. *l.* 1. *C. de Ep. aud.* prout intelligit eam Bald. & habent meliora exemplaria. Addo *c.* 1. *de rapt.* ubi raptores excommunicantur a loci Prælato; & Franc. *in c. Ea quæ de reg. jur. in 6.* ubi poſt aliqua diſputata, concludit in fine, quod Epiſcopus poteſt indiſtinte ſtatuere in iis, quæ pertinent ad mores Laicorum, pro conſervanda honeſtate, & evitando peccato.

Quin etiam ex alio capite poteſt Epiſcopus in tali caſu ſtatuere, ob negligentiam ſcilicet ſæcularis Magiſtratus, qui malum videt, & non curat, ſecundum Doctrinam Gloſſæ *in cap. fin. de except. in 6.* & Firman. *in tract. de Ep. part.* 2, *lib.* 5. *n.* 5.

FINIS.

APPENDIX
SEU
COLLECTIO SELECTARUM SENTENTIARUM
S. CAROLI BORROMEI
S. R. E. CARDINALIS
ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS
ADVERSUS
CHOREAS, ET SPECTACULA
EX EJUS STATUTIS, EDICTIS, INSTITUTIONIBUS, HOMILIIS.

I.

MAximam in eo diligentiam ac ſtudium Epiſcopi ponere bebent, ut dies feſti pie ſanĉteque obſerventur ab omnibus. Cum enim ii potiſſimum ad celebrandas Dei & Sanĉtorum laudes ſalutariter inſtituti ſint; curandum eſt etiam diligenter, ut ne iis ipſis quiſquam ad divinam offenſionem, & animæ ſuæ perniciem abutatur. Prohibeant igitur. . . . . ne ludi equeſtres, certamina, aut alia ludicra, & inania ſpeĉtacula adhibeantur. Choreæ, ſaltationes in urbibus, ſuburbiis, oppidis, vicis, ac uſquam omnino ne agantur.

Decretum editum in Concil. Provinc. Mediolan. I. celebrato An. ſal. 1565. Tit. de Feſtorum dierum cultu.

II.

Clerici perſonati non incedant, Choreas privatas aut publicas non agent, nec ſpeĉtabunt. Fabulis, comœdiis, & baſtiludiis, aliiſve profanis & inanibus ſpeĉtaculis non intererunt, ne aures, & oculi ſacris officiis addiĉti, ludieris & impuris aĉtionibus, ſermonibuſque diſtraĉti, polluantur.

Decretum editum in eodem Concil. Provinc. Mediol. I. Tit. De armis, ludis, ſpeĉtaculis & ejuſmodi a Clerico vitandis.

III.

De his etiam Principes, & Magiſtratus commonendos eſſe duximus, ut hiſtriones, & mimos, ceteroſque circulatores, & ejus generis perditos homines e ſuis finibus ejiciant, & in caupones, & alios, quicumque eos receperint, acriter animadvertant.

Decretum editum in eodem Conc. Prov. Med. I. Tit. de Hiſtrionibus.

IV.

In quibus Eccleſiarum ædibus ad Reĉtoris uſum, & domicilium conſtitutis, & ipſe, & laici præterea, facultate impetrata, habitant; in iis, ne propter nuptias quidem ſaltetur, neve comœdiæ, aut ſpeĉtacula agantur.

Decretum editum An. ſal. 1569. in

Concil. Prov. Mediol. 2. Tit. 2. Decretum 34.

V.

Quoniam autem uſu jam hac in provincia nimis compertum eſt, depravatis his temporibus & moribus, ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia numquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcœna dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, diffidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia quam ſæpiſſime: his tot offenſionum & peccatorum ſeminariis locum dari, iis præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt; & iis ipſis diebus fideles pleroſque nefariis iſtis Satanæ blanditiis illectos, & divinis officiis, religioſis ſupplicationibus, lectionibuſque ſacris abduci, avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis, alioſque ab aliis Chriſtianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt, abſtrahi, & amoveri; hoc certe graviſſimum eſt in conſpectu Dei & Eccleſiæ; quare feſtis iis diebus, ſaltem horis, quibus divina celebrantur officia, interdicimus ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne item comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatrales & haſtiludia, & alia cujuſvis generis. Spectacula agantur . . . Contra eos, qui non paruerint, Epiſcopus agat pœnis, & aliis item remedii arbitratu ſuo . . .

Prohibeat diligenter Epiſcopus, atque omnino efficiat, ut non modo non ſaltationes & choreæ, verum etiam ne comeſſationes in honorem Sanctorum, ludi, alievæ profanæ actiones ab eorum feſtorum dierum, & piorum inſtitutorum cultu alienæ, ullo quovis modo, etiam illorum prætextu occaſioneve introductæ, publice iis ipſis diebus fiant.

Studeat etiam Epiſcopus, ut quo tempore in Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ hebdomadis Eccleſia mater, & officiorum ritu, & hymnis, canticiſque fidelium mentes ad mœſtitiam, taque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum veſtimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei inſtruit, ac præparat tot ante diebus ad ſancte recolendam Chriſti Domini paſſionem & crucem; eo potiſſimum tempore fideles ſibi in curam traditos, ſpectacula, ludos ſcenicos, & alia, quæ Gentilitatis ſpeciem præſeferunt, tunc præſtim morum corruptelis introducta, illa ipſa tamquam a ſanctiſſimis Eccleſiæ inſtitutis abhorrentia omnino fugientes, ad pietatis Chriſtianæ ſtudia, & ad orationem attentiores ſint, propoſita omni Chriſtianarum actionum exercitatione.

Decreta edita An. Sal. 1573. in Concil. Provinc. Mediol. III. *Tit. de Feſtorum dierum cultu.*

V I.

Publiorum peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis errore decepti, pro nihilo putant, Concionator perpetuo reprehendat, atque in ſummum odium adducere contendet: oſtendetque quam graviter Deum offendant, quam multa mala, atque adeo publicæ etiam calamitates, infinitaque detrimenta inde exiſtant. Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur, execrabitur. Demonſtrabit incommoda publicaſque inde ærumnas in populum Chriſtianum dimanare. In quam ſententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ graviſſimi viri, Tertullianus, Ciprianus Martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt; in eoque argumenti genere, nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur. Choreas, ſaltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de ſuggeſtu ſæpe graviter reprehendet, atque inſectabitur. Scenicæ, perſonatæque actiones, unde tamquam e quodam ſeminario, ſemina malefactorum, ac flagitiorum pene omnium exiſtunt, quam a Chriſtianæ diſciplinæ officiis abhorrentes, quam valde cum Paganorum inſtitutis convenientes, atque Diaboli aſtu inventæ, omni officio a populo Chriſtiano exterminandæ ſint, qua maxima poteſt religioſa contentione aget.

In-

Inſtructiones Prædicationis verbi Dei edita ex Decreto Concil. Prov. Mediol. III. *An.* 1573.

V I I.

Queſti erano gli eſercizj, e le occupazioni della Chieſa, e di tutti i Fedeli in queſti tempi (*parla dei giorni*, *che cominciano dalla Domenica di Settuageſima*) cioè di pianti, lagrime, penitenza, reconciliazione, ed altre ſimili opere per riconciliarci con Dio, e così eſſere diſpoſti al digiuno quadrageſimale: in luogo delle quali tanto ha prevalſo il Demonio, che ſi ſono introdotte riſſe, inimicizie, giuochi, balli, commedie, ſpettacoli, conviti, crapule, e ogni ſorta di diſſoluzioni, e offeſe di Dio.

Queſta è la memoria, dilettiſſimi, dei ricordi del padre noſtro ſantiſſimo Ambrogio? non dice egli: *Idoli portio eſt, inebriare vino mentem, ventrem cibo diſtendere*, SALTATIONIBUS MEMBRA TORQUERE, *& ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare, quod Deus eſt?* Non dice egli in queſto propoſito con l'Apoſtolo S. Paolo: *Quæ portio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci cum tenebris? aut quæ pars Fideli cum Infideli? qui conſenſus templo Dei cum idolis?* Parvi, che queſte ſiano opere di figliuoli della Chieſa, non meritano già queſto nome.

Figliuoli veramente ingrati verſo la lor madre! Eſſa piange, eglino ridono: la Chieſa geme per li peccati loro, eſſi trionfano con li SPETTACOLI, con li quali trionfa di loro il Diavolo. La Chieſa attende ſollecitamente nelli ſuoi officii a placare l' ira di Dio, ed eſſi s' accordano con ogni ſorta di peccati a provocarla maggiormente: la Chieſa con ogni ſtudio cerca di levare ogni profanità e gentilità, e eglino rinnovano l'uſanze dei Gentili, ritrovate da Satanaſſo fino dal principio del Mondo, quando maſcheratoſi in figura di ſerpente, ingannò i primi noſtri padri: e ſiccome con quella maſchera cagionò la caduta miſerabile di tutto il genere umano, così adeſſo ſi sforza con la vanità e falſità delle maſchere precipitare il mondo nella medeſima rovina.

Epiſtola Paſt. data Kal. Febr. An. Sal. 1574.

V I I I.

A ludis, ſpectaculis, circulatorumque, atque id genus vilium hominum præſtigiis procul eſtote . . . Sic denique cor veſtrum corroborate, ut inania ſpectacula non appetat; a mundi ludis, atque ineptiis abhorreat.

Monitiones editæ tum in Synodo Diœceſ. Mediolanen. IV. *celebrata An.* 1574. *tum in Concil. Provin. Mediol.* IV. *celebrato An. Sal.* 1576.

I X.

Fuggi li ridotti, e le bettole, e baratterie, i banchetti, balli, le feſte, le maſchere, e li ſpettacoli vani, dove ſi offende Dio; e guardati non ſolo da parteciparne in altro modo, ma anco da eſſervi preſente.

Ex libello S. Caroli inſcripto: Ricordi per il vivere Criſtiano ad ogni ſtato di perſone &c. edito An. Sal. 1577.

X.

E perchè le moſtruoſe pazzie dei ſpettacoli, giuochi, e voſtri carnevali antepaſſati, hanno avute non picciola parte in provocare Dio a flagellarci con la peſte, e ſe non vi diſtoglierete alfine da queſte ed altre sì fatte coſe indegne della pietà Chriſtiana, s' ha a temere di molto maggior gaſtigo. Abbiamo voluto, oltre quello, che vi è ſtato detto da noi in queſta materia, aggiungere anco a que-

ſto noſtro Memoriale il trattato di uno antico Padre uomo dottiſſimo, Salviano Veſcovo di Marſilia; il quale vi fa toccar con mano, che da tali vanità [a], e diſſoluzioni, che hanno origine dal paganeſimo, vengono gravi flagelli, e le rovine intiere ſpeſſe volte delle città, e dei popoli Criſtiani; perciocchè, ſiccome in coſe tali, che ſono piene di brutture, vi ſi trova aſſai cibo di Satanaſſo, così vi ſono ordinariamente congiunte in ogni parte grandi offeſe di Dio . . .

Che coſa atta veramente a commovere ognuno, in cui riſieda qualche pietà Criſtiana! vedere il Mondo darſi a ſpaſſi, a giuochi, a ſpettacoli profani, a diſſolute allegrezze, quando le voci di Dio lo chiamano più particolarmente a pianto, a legrime, a lutto, a ſacco, a ceneri . . .

Conſidera poi, Milano, dall' altro canto la gran provvidenza di Dio, il quale ha voluto, che la memoria del benefizio, che hai miracoloſamente ricevuto dell' eſtinzione della peſte, eſtingua, ſeppelliſca, atterri affatto le paſſate memorie de' giuochi, ſpettacoli, maſchere, e brutture del carnevale: anzi che ſia eſtinto il nome iſteſſo, e le buffonerie del Mondo, e ogni altra coſa, che va congiunta con l' opere, e diſſolutezze del carnevale.

Ogni ragione vuole, figliuoli benedetti, che per la gratitudine della grazia ricevuta ve ne allontaniate totalmente, e ve ne ſcordiate affatto perpetuamente, e le laſciate. Così appunto in queſto tempo vi ricorda col ſuo ſermone tuttavia il Padre e Protettore voſtro S. Ambrogio, il quale vi dice chiaramente, che, poichè avete ſentito il beneficio di Dio, laſciate d' andar dietro a' deſiderj di coſe profane. Gli antichi Pagani in tempo che incrudeliva la peſtilenza, cominciarono a introdurre sì fatti giuochi e ſpettacoli; volete voi ad una certa imitazione loro nella eſtinzione della peſte; che è tutta grazia di Dio, ritenere una ſimile uſanza di coſe sì eſecrabili, e che tanto ſpiacciono alla ſua divina bontà? Nol fate, figliuoli, nol fate. Reſtituite pur una volta a Dio, ed all' onor ſuo queſto tempo di Settuageſima e Seſſageſſima, e Quinquageſima: tempo conſecrato a ſervitù di ſua Divina maeſtà, tempo miſterioſo, il quale così tirannicamente con le ſue invenzioni il Demonio, e coi ſuoi allettamenti il Mondo ſi ha già uſurpato.

Odi, odi, Milano, le voci di Dio. Reſtituiſci, dice Dio, a me queſti ſacri giorni, che così empiamente erano voltati a ſpenderſi contra me, a far la guerra al mio regno, a diſſipar l' anima dei miei Fedeli, a dar tante cauſe di pianto alla mia Chieſa.

Fra tutte le conſolazioni, che mi potete dare, figliuoli miei, per quante fatiche, pericoli, e ſollecitudini, che io abbia giammai, ſpecialmente nel tempo della peſte, ſoſtenuti per voi, ſia queſta, la quale io deſidero ſommamente per ſalute voſtra, che vediamo ormai eſtinte affatto le profane memorie del Paganeſimo, delle quali ſi è ſervito il Demonio ad occupare in queſti tempi, e per dir così, ad incantare i cuori degli uomini, e a fargli impazzir talmente, che nè anche i più ſavj, ſecondo il Mondo, abbiano vergogna di far pubblica profeſſione di pazzia carnevaleſca.

Siano ormai perpetuamente bandite le maſchere con le quali pare, che gli uomini ſtudino non ſolo di trasformarſi; ma di ſcancellare in un certo modo quella figura, che Dio ha data loro; anzi alcuni vanno tanto innanzi in queſte brutta pazzia, che rappreſentano quelle metamorfoſi antiche con trasformarſi in beſtie.

Maledette ed eſecrande maſchere, oltre ogni altro riſpetto, anche perchè ci rappreſentano la memoria dell' antica noſtra rovina, la quale ci procurò il Demonio, che s' immaſcherò da ſerpente.

Abominevoli maſchere, ſotto le quali ſi fanno lecito gli uomini di dir parole diſoneſte, e ſporche, di far geſti, e atti pieni d' impudicizia. Scellerate maſchere, oppugnatrici dell' oneſtà, inimiche della gravità, e rovina d' ogni cuſtodia, che dentro e di fuori dee avere l' anima d'un buon Criſtiano.

Vadano ormai perpetuamente in eſilio inſieme non le maſchere, e le commedie, e le favole del Mondo, e li ſpettacoli profani, coi quali ha queſto popolo in queſto tempo particolarmente così profanati i ſenti giorni delle feſte, allontanandoſi tanto da quel fine, per il quale

le ſono religioſamente inſtituti.

Siano banditi quelli deteſtabili e perniciosi balli tanto inimici della caſtità dei coſtumi Criſtiani, che ſono radici e cagioni di riſſe, di queſtioni, di odii, d'ingiurie, d'insolenze, di ferite, di morti: che ſono ſeminarj di laſcivia; che più? dai balli procedono rovine perpetue dei corpi, della fama, della roba, ed inſomma d' ogni Criſtiana diſciplina.

Si eſterminino dunque i balli, vadano inſieme con loro in diſperſione tante altre corruttele, con le quali, maſſimamente in queſto tempo, ſuole il Demonio dilatar così fuor di modo la ſua tirannide nei cuori degli uomini.

Liber memorialis editus a S. Carolo An 1579.

X I.

Sunt plerique, qui tamquam fanatici homines, ethnico more, & joculari quadam licentia Satanæ aſtu introducta, larvis induti furiantur & bacchantur, choreas ducunt, tripudia agunt, ſpectacula profana edunt; atque in aliis iſtiuſmodi actionibus uſque adeo inſaniunt, ut in tanta peccatorum, quæ inde exiſtunt, colluvione, ne culpam quidem agnoſcant.

Ex oratione habita in Concilio Prov. Mediol. VI. *celebrato An. ſal.* 1582.

X I I.

Caupo . . . . ne lenones, meretrices, hiſtriones, mimos, & ceteros malæ conditionis homines, nugatoreſve apud ſe diutius hoſpitari patiatur.

Decretum Concilii Prov. Mediol. VI. *Tit. Quæ ad matrimonium pertinent.*

X I I I.

Si cognoviſſetis quam turpe ſit nobiliſſimum hominem ad Dei formatum ſimilitudinem, mille expoſitum periculis, cæleſtis patriæ hæredem, modo velit, futurum, inſtar viliſſimarum beſtiarum ſaltare, ac tripudiis incumbere, & choreas ducere; terram ſaltibus veſtris non pollueretis, quin potius Eccleſiam genibus tereretis. Si cognoviſſent plurimi horum temporum juvenes, & forte etiam, quod eſt turpius, ſenes, quam periculoſa ſint Comœdiarum ſpectacula, quales ſint infernalium ſerpentium latebræ, qualia Dæmonum retia, quibus incautas animas illaqueant, &, quocumque lubet, pertrahunt jucundiſſima penitus libertate privatas; fugerent certe ſcenas pluſquam patibula, Comœdias pluſquam Dæmones ipſos; & quas horas diabolicis illis inventis audiendis atque ſpectandis tradunt; divinis tribuerent colloquiis, & orationibus.

Homil. in Dom. IX. *poſt Penteceſt. dicta An. ſal.* 1583.

X I V.

Parochus, & Confeſſarius . . . . peccata quædam magis uſitata, & quæ maximo ſunt fidelibus populis damno & ſcandalo, ſtudioſius perſequatur: contractus, quibus uſura palliata ineſt, ut in cambiis, & venditionibus multis: crimen falſi teſtis: CHOREAS ET SPECTACULA &c.

Sacramentale Ambroſianum, in quo continentur inſtitutiones, pro adminiſtratione omnium Sacramentorum, editum a S. Carolo An. ſal. 1584. *Tit. De Sacramento Pœnitentiæ* §. *Quæ in miniſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Parochus & Confeſſarius obſervet.*

Mun-

X V.

Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanæ conſectantibus, eam pœnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus, (id quod in ſingulos dies etiam faciendum eſſe graviſſime beatus Chryſoſtomus monet) ſanċta meditatione ſibi propoſita, ſolemnem illam ſponſionem, quam per compatres in baptiſmo ſanċte fecerunt; redintegrent, intime Deum precando: in qua precatione, firmo ſtabilique animi propoſito ſtatuant ſe Chriſto Domino adhærere, renunciareque iterum atque iterum ſæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui ſe adverſarios eſſe & profeſſi ſunt, & profitentur perpetuo.

Ibidem §. *De modo imponendæ pœnitentiæ*.

F I N I S.

OPERA OMNIA
R. P. F. DANIELIS CONCINA
ORDINIS PRÆDICATORUM
ad hanc uſque diem typis edita.

Latine ſcripta.

COmmentarius Hiſtorico Apologeticus in duas Diſſertationes tributus, quarum altera antricriticis Animadverſionibus refellit ea quæ adverſus paupertatis Diſciplinam a D. Patriarcha Dominico in ſuo Ordine conſtitutam, intemperantiore critice ſcriptis prodiderunt Continuatores Bollandi in Commentariis nuper in Acta ejuſdem Patriarchæ editis. Altera eamdem Diſciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pornaſio interpretamentis vindicat. Accedunt de origine Diſciplinæ Regularis primum in Ord. Præd. per B. Raymundum de Vineis XXIII. Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis, inſtauratæ, Diſſertatio Hiſtorica, & Quæſtiuncula Moralis de Regularibus perſonatis, ſub nomine Caroli Antonii Plantamuræ. Venetiis 1736. iterum 1745. 4.

Diſciplina Apoſtolico Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata, & in duas Partes tributa: in quarum prima de Voto paupertatis Vita communi circumſcripto: in altera, de ceteris ejuſdem Diſciplinæ præcipuis capitibus diſſeritur. Accedunt ſelecta quædam veterum Theologorum Monumenta. Venetiis 1739. iterum 1750. 4.

Præfatio ad Lectorem in Dictionarium caſuum conſcientiæ Joannis Pontas, & Animadverſiones Critico-Morales in Menda Pontaſiana, ſive Obſervationes quaſdam Interpretis Auguſtiniani, cum Auctario duorum caſuum qui in eodem Dictionario deſiderantur.

Epiſtolæ Theologico Morales ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. Epiſcopum N. N. Venetiis 1744. 4. iterumque ibid. Lucæ, & Romæ.

In Reſcriptum BENEDICTI XIV. P. M. ad Poſtulata ſeptem Archiepiſcopi Compoſtellæ Jejunii legem ſpectantis, Commentarius Theologicus. Venetiis 1745. iterum 1755. 4.

Defenſio Decretorum Concilii Trid. & Apoſtolicarum Conſtitutionum Eccleſiæ Romanæ in cauſa Paupertatis Monaſticæ, adverſus duos Libros inſcriptos *Vita Clauſtralis*, & *Vindiciæ Regularium &c.* ad Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. Accendunt Cenſura in *Cenſuram Diſciplinæ Apoſtolicæ-Monaſticæ*, & Animadverſiones in *Epiſtolam Exegeticam* P. G. C. Bonon. 1745. iterum 1758. 8.

In Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIX. adverſus uſuram Commentarius, quo illuſtrata doctrina catholica, Nicolai Broederſen ac aliorum errores refelluntur. Romæ 1745. 1748. 4.

Uſura contractus trini Diſſertationibus Hiſtorico Theologicis demonſtrata adverſus mollioris Ethices Caſuiſtas, & Nicolaum Broederſen. Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adverſus uſuram. Romæ 1746., & 1748. 4.

Theologia Chriſtiana Dogmatico moralis, Summo Pontifici BENEDICTO XIV. feliciter regnanti nuncupata, in decem tributa Tomos: quibus accedit Apparatus duobus Tomis comprehenſus: quorum alter, præter Decreta, & Conſtitutiones Pontificias, fidei, morumque rectam tradentes normam, de Locis Theologicis, ſive de purioris Ethices Chriſtianæ fontibus Librum exhibet, alter vero Conſcientiæ, & Probabiliſmi argumenta duobus diſtinctis Libris pertractat. Romæ 1750. iterum 1754. & 1758. 4.

De Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque Miniſtro Commentarius Dogmatico-moralis. Romæ 1750. 4. Qui licet Theologiæ Chriſtianæ pars ſit, ſeparatim tamen diſtrahitur.

Romani Philalethis ad Theologum Lovanienſem Epiſtola de juſta Bibliothecæ Janſenianæ proſcriptione. Venetiis 1750. 4.

De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuique tum laico, tum clerico vetitis Diſſertationes duæ. Accedit Diſſertatio tertia de Presbyteris Perſonatis. Romæ 1751. 1754. 4.

Epiſtola ad Polycarmum Virum Clariſſimum, in qua B. Nicolai Juſtiniani Veneti Monachatus a fabulis, vaniſque Commentis aſſeritur. Tridenti 1746. 1755. 4.

De Sacramentali Abſolutione impertienda, aut differenda Recidivis, Conſuetudinariis, Diſſertatio Theologica. Romæ 1755. 4.

De Vita, & Rebus geſtis P. Thomæ Mariæ Ferrarii Ord. Præd. S. R. E. Card. Titulis S. Clementis Libri tres. Romæ 1750. 1755.

Ad R. P. Carolum Nocetium Epiſtolæ octo de ſingularibus Argumentis in ejuſdem Libro inſcripto VERITAS VINDICATA contentis. Accedunt Opiniones Laxæ quamplurimæ ex variis Caſuiſtis collectæ: item Cenſura R. P. Euſebii Amort Canonici Lateranenſis in Theolog. moralem R. P. C. L. C. &c. Venetiis 1755.

Theologia Chriſtiana dogmatico-moralis contracta in Tomos duos: *ſive* Compendium Theologiæ &c. ab ipſo Auctore concinnatum, & in duos Tomos tributum. 4. 1760.

Ad Virum Clariſſimum R. P. Joſephum Carpani S. J., & in Romano Collegio Studiorum Præfectum, Epiſtolæ 4. 1769.

Vindiciæ Societatis Jeſu hiſce temporibus, ejuſque Doctrinarum purgatio 4. 1769.

Epiſtolæ Abbatis Titularis NN. ad RR. PP. Richelmium, & Gagnam Auctores duorum Operum, inſcriptorum: *Specimen Animadverſionum* &c.,

&c., *Epiſtolæ Eugenii Apologiſtæ* &c. adverſus Hiſtoriam Probabiliſmi, ac Rigoriſmi 4. 1770.

Manuale Concinæ ſeu Theologia Chriſtiana Dogmatico Moralis a P. Daniele Concina elucubrata priore contractior. Adjectis ad calcem definitionibus ad examen ſubeundum neceſſariis atque opportunis. Venetiis 1763. Tom. 2. in 4.

De Danielis Concinæ Vita & Scriptis commentarius a Dionyſio Sandellio elaboratus. Venetiis 1767. 4.

Italice emiſſa, quorum tamen titulos hic latine ſubjicimus.

Vetus & nova Romanæ Eccleſiæ Diſciplina circa ſacrum Quadrageſimale Jejunium, duabus Apoſtolicis Litteris, *Non ambigimus*, *&* *In ſuprema* Benedicti XIV. Summi regnantis Pontificis expreſſa, atque Hiſtorico-critico theologicis Animadverſionibus illuſtrata. Venetiis 1742. 1756. 4.

De Probabiliſmi ac Rigoriſmi Hiſtoria Diſſertationes Theologico-morales-criticæ, quibus fundamenta Chriſtianæ Theologiæ explicantur, atque a recentiorum Probabiliſtarum cavillationibus vindicantur. Opus in duos Tomos tributum. Ad calcem ſecundi Tomi adjecta eſt Diſſertatio Apologetica adverſus Libellum: *Difeſa della Diſſertazione Teologico morale critica de' Signori Abate Pietro Cappellotti, ed Arciprete Bartolomeo Caſali* ec. Lucæ 1743. & iterum 1748. 4.

Quadrageſima a Foro contentioſo recentium quorumdam Caſuiſtarum ad recti ſenſus, bonæque fidei populi Chriſtiani Tribunal Appellans ſuper jejunii præcepto cum carnium eſu conjungendi ex eo dumtaxat, quod noceant cibi quadrageſimales. Diſſertatio adverſus Libellos duos nuper hac de re editos. Tertia Editio novis additamentis locupletata, videlicet duobus Brevibus Pontificiis de jejunio, & integra Diſſertatione in Librum, cui titulus *Difeſa* ec. de quo ſupra in Hiſtoria Probabiliſmi. Venetiis 1744. 1756. 4.

Obſervationes critico morales, quibus vindicatur Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi, adverſus Librum cui titulus; *Giuſtificazione di più Perſonaggi, e di altri Soggetti ragguardevoli in Lucca* 1748. propoſitæ in hac Epiſtola Auctoris ejuſdem Diſſertationis. Piſauri 1745. 4.

Examen Theologicum Libri inſcriptis: *Saggio de' Supplimenti Teologici, Morali, Critici, di cui abbiſogna la Storia del Probabiliſmo, e del Rigoriſmo* ec. typis editi Lucæ anno 1744. a R. P. Nicolao Ghezzio. Piſauri 1745. 4.

Explicatio quatuor Paradoxorum quæ plurimum obtinent ætate noſtra. Animadverſiones in duos libros RR. PP. Lecchi & Bovio, inſcriptos *Avvertenze, e Diſſertazione* ec. Præmittitur brevis notitia Librorum editorum a quibuſdam Probabiliſtis in defenſionem tum Probabiliſmi, tum aliarum moralium opinionum. Lucæ 1745. & iterum 1750. 4.

Expoſitio Dogmatis, quod Eccleſia Romana credendum proponit circa uſuram, una cum confutatione Libri cui titulus: *Dell' impiego del dinaro*. Neapoli 1746. 1756. 4.

Monumenta Hiſtorica circa uſum Chocolatis tempore jejunii expoſita in Epiſtola ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Archiepiſcopum N. N. Venetiis 1749. 8. & iterum 1749. additis alterius Anonymi Auctoris Animadverſionibus ſpectantibus Librum ſcriptum *Quareſima appellante*.

Confeſſariorum & Pœnitentium Inſtructio, ut digne miniſtrent, atque frequentent Pœnitentiæ Sacramentum. Venetiis 1753. & iterum 1755. 8.

De revelata Religione adverſus Atheiſtas, Deiſtas, Materialiſtas, Indifferentiſtas, qui myſteriorum veritatem inficiantur, Libri quinque Venetiis 1754. 4. Vol. 2.

De hodiernis Theatris chriſtianæ profeſſioni infeſtis Libri duo, quibus duæ de ſpectaculis theatralibus Diſſertationes confirmantur. Romæ 1755. 4.

Pro eodem Auctore Opera Apologetica ab aliis vernaculo ſermone conſcripta, & edita.

Defenſio Doctrinæ Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis 2. 2. quæſt. 154. art. 4. exhibitæ. Lucæ 1746. 4.

Epiſtolæ Theologico-morales Euſebii Eraniſtes, quibus Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi P. Danielis Concinæ vindicatur. Editio tertia Tridenti 1752. 8. Vol. 2.

Adelphi Caritei, & Philarmindi Arenii Epiſtolæ in Libellum editum adverſus Epiſtolas Theologico morales Euſebii Eraniſtes. Tridenti 1753. & iterum 1754.

Notæ anticriticæ Eudoxii Filenii in Reſponſionem ad ad. R. P. I. S. exhibitam Epiſtolis Theologico-moralibus Euſebii Eraniſtes. Tridenti 1752. & 1753. Vol. 2.

Specimina, & Obſervationes Joannis Ambroſii Toniſchi circa Theatra, & aleæ Ludos. His additur Diſſertatio de iiſdem Ludis Auctore Anonymo. Venetiis 1755.

Criticæ Animadverſiones, queis compendio refellitur Opus inſcriptum *Dell' impiego del danaro*. Lucæ 1755. 4.

Supplementum, vel Obſervationes in ſeptem priores Hiſtoriæ Litterariæ Italicæ Tomos. Lucæ 1753. 8. Vol. 2.

Obſervationes Euſebii Eraniſtes ad Hiſtoriam Litterariam ſpectantes. 8. Vol. 2. Venetiis 1756.

Epiſtolæ Agenoris ad Defenſionem P. Concinæ, & Euſebii Eraniſtes ſpectantes. 8. Vol. 5. Venetiis 1756. 1758.

Probabiliſmi tenuitas, ſeu notiones quam breviſſimæ, quibus homo tuto ſe dirigat in negotio æternæ ſalutis. Venetiis 1758.

Tractatus de Regula proxima humanarum actionum in opinionum delectu, in quo patefiunt falſitas, improbabilitas, atque abſurditas ſyſtematis probabiliſtici, nec non illud in praxi ſequentium grave periculum. Opus P. F. Vincentii Pattuzzi O. P. Ven. 1758. Vol. 2. in 4.

Latine.

F. Vincentii M. Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ord. Præd. ad Carol. Nocetium Soc. Jeſu Theologum, de Danielis Concinæ in indicandis deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide ac diligentia, Epiſtolæ XII. Romæ & Venetiis 1754. 4.

Moralium Actionum Regula in Opinionibus, ſeu Quæſtio de Opinione probabili. 1756. 4.

2556-591